
C & C 71
Ex Bibliotheca
I. C. Hallwachs Iur. Utr. Licentiati
et Consiliarii Nobil. Imed. Suev.
Loci ad Kocharum


ANDERS RINGBERG ·
· EX LIBRIS


EX LIBRIS
*
BENON GREGORIČ

COLL: Schulze

NVMOPHYLACIVM SCHVLZIANVM

DIGESSIT DESCRIPSIT
ET
PERPETVIS
INSIGNIORVM
REI NVMARIAE SCRIPTORVM
COMMENTARIIS
ILLVSTRATVM
EDIDIT
MICHAEL GOTTLIEB AGNETHLER
TRANSILVANVS

PARS PRIOR

ACCEDVNT
SELECTIORES CLARORVM VIRORVM
AD B. SCHVLZIVM EPISTOLAE.



LIPSIAE ET HALAE
CIↃIↃCCXXXXVI.

IO. DAN. MAIOR.

Quemadmodum ſtudium non habetur theologico ſanctius; ſic inter ſcientias ſaeculares numiſmatico-critica non facile ſublimius aliud reperitur: quoniam cum dei in hoc orbe vicariis, perſonis illuſtribus, in aere, argento, auroque viuentibus negotium ſibi eſt.

VIRIS
ILLVSTRIBVS
CONSVLTISSIMIS GENEROSISSIMIS
VIRTVTE MERITIS GENERE
NOBILISSIMIS
METROPOLITANAE
SAXONVM IN TRANSILVANIA VRBIS
ET INCLVTAE REIPVBLICAE
CIBINIENSIS
PROCERIBVS
PATRIBVS CONSCRIPTIS
GRAVISSIMIS AMPLISSIMIS

NEC NON

VIRIS
MAXIME VENERANDO CLARISSIMO
PRAECLARIS REVERENDIS
AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS
DIVINAE VERITATIS STATORIBVS
ECCLESIAE METROPOLITANAE
ANTISTITI ET MINISTRIS
VIGILANTISSIMIS

VTRIVSQVE ORDINIS DIGNISSIMIS
PATRIAE VRBIS PATRIBVS
CIVIVM DELICIIS
PATRONIS OPTIMIS

SVMMA OBSERVANTIA AC PIETATE COLENDIS

PARITER

AETERNAE MEMORIAE

VIRI INCOMPARABILIS

IOANNIS HENRICI SCHVLZII

QVONDAM

MEDICI ET PHILOLOGI CELEBERRIMI

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM VT ET PETROPOLITANAE NEC NON REGIAE BEROLINENSIS SOCIETATIS SODALIS MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIAE IN ILLVSTRI FRIDERICIANA PROFESSORIS ORDINARII

NVPER

DEPLORANDO LITTERIS SEVERIORIBVS FATO REBVS HVMANIS EXEMTI

OPELLAM HANC SACRAM

CVPIT

AVCTOR

MARTINVS SCHMEIZEL

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO REGI PRVSSORVM A CONSILIIS AVLICIS NEC NON IVRIS PVBLICI AC HISTORIARVM PROFESSOR ORDINARIVS IN FRIDERICIANA HALENSI

LECTORIBVS

S. E. O. D.



Etiamſi pluries, in hoc genere ſcriptionis, hunc meum calamum ſumſerim; nunquam tamen, id, ea factum eſſe cum voluptate ac in praeſenti deſtinatione, eſt, quod ſine omni falſa ſpecie adfirmem: rationes quoque huius mei inſtituti, non vnius fuere generis. Primam ſuppeditauit operis, cui praefari iubeor, argumentum; cuius tanta ſane nobilitas & praeſtantia, vt hoc reſpectu iam pridem, in circulo litteraturae elegantioris, locum eminentiſſimum promeruerit. Inſuper, cum graue & valde quam arduum ſit, vetera numiſmata interpolare, & exanimatis iſtis corporibus veluti animam inſpirare, atque ita demortua multa, altiſſimaque obliuione ſepulta, in viuum quaſi reuocare, ſtudium iſtud proinde non niſi magnorum ingeniorum diligentiam ac ſolertiam multis modis exercuiſſe. Taceo, quod alii iam praeoccuparunt, penuque locuplete congeſſerunt; vſus puta, quos accurata veterum nummorum notitia in varias eruditionis partes diffundit ſpargitque multiplices: ſigillatim vero in Hiſtoriam, teſtem illam temporum rerumque geſtarum memoriam, cui numos luculentiſſima praebere ſubſidia, nemo his rebus edoctus, eſt, qui neſciat; huius autem ſcita publice profiteri, cum rationes muneris mei iniungant, facile eſt ad cogitandum, vel ob nexum illum vere ſororium, qui Hiſtoriae cum Re nummaria intercedit, hanc ſcribendi prouinciam non niſi perlubenter mihi imponi, me paſſum eſſe.

Ab tenore argumenti laudati ſi receſſero, memoriamque

viri pie defuncti recolam, qui possessor fuit horum numismatum, primaque in quibusdam explicandis lineamenta duxit, noua & praegnans se obtulit caussa, qua inductus, non nisi cum delectatione, huic suo nummophylacio, praefari voluerim. Non loquar de multifaria hominis eruditione, qua oppido, nominis sui famam & celebritatem, apud exteros etiam in dissitis Europae locis post se reliquit, acquisitam in Literatura orientali, studiis Antiquitatum, Perorandi facultate, nec non arte illa salutari, quam Medicinam vocare mos est, cum res notissima sit, consterque inter omnes, vnum hunc virum, (rarissimo parili exemplo) respectiue trium posteriorum, quas diximus, eruditionis partium, triplicem quoque honoris gradum, in hac musarum palaestra, non sustinuisse tantum, verum & ornasse laudabiliter. Neque scripta frugis & eruditionis plenissima, proinde victura apud posteros, commemorare animus nobis est, quippe quod catalogus, secundum annorum, quibus lucem viderunt, seriem adornatus, numerando ea percensuerit. Conamina etiam, quibus noster in illustranda re numaria, magno studio fuit occupatus, sicco praeterimus pede; quoniam ista partim iam ab auctore suo edita sunt, adeoque nota, partim antea adhuc in scriniis Schulzianis latitarunt, quae nunc autem in operis huius contextu locum adepta sunt suum.

Id igitur est, LECTOR HVMANISSIME, quod mihi palmarium de SCHVLZIO, piae memoriae viro, dicendum putaui, videlicet quod aptum est, animi sui indolem depingere, a quo illud omne, quod in toto homine bonum esse solet, censum atque dignitatem adipiscitur; caetera enim, quae diuitiarum, honorum & fortunae gloria nobis praebet, fluxa, fragilia & vana sunt, sola virtus clara aeternaque habetur. Quicquid autem omnes boni & ipsi similes, in optimo viro, prae omnibus suis dotibus suspiciendum esse putant, candor fuit & sinceritas incredibilis; in actionibus mirabilis modestia; pectus fidum & ab omni colore, fastu,

inuidia

inuidia & pruritu altercandi, quo infruniti homines admodum vexari ſolent, longiſſime alienum; ſapiebat etiam, ſed ſine pompa & abſque oſtentatione, quibus virtutibus an pares ſibi multos habuerit, alii dixerint, nobis ſaltem haud conſtare, audacter profitemur.

Atque id ipſum pietatis & amoris officium, viro tam egregio praeſtandum eſſe duximus, vt nomen eius, hoc etiam loco conſeruetur & ab obliuione vindicetur; exempla enim virtutum in illuſtri quaſi monumento proponenda ſunt, vt alii habeant, quae ad imitandum intueantur, diſcantque fieri poſſe, quae regulis ac praeceptis inculcantur; denique, vt BENEVOLVS LECTOR recolendi anſam habeat, ex iſto charactere, quomodo is ſuperſtes, in doctrinis proponendis, curationibus adhibendis, ac tandem conuerſatione cum omnis generis hominibus, ſeſe geſſerit, cognoſcatque, mirum non eſſe, tantum virum, apud bonos omnes maximum ſui deſiderium poſt ſe reliquiſſe.

Porro nunc & de operis huius editore, maximaque ſui parte, auctore doctiſſimo, bona verba ſunt facienda; cuius ſolertia & cura factum eſt, vt viri laudati relicta numiſmata, vſu quotidiano extra ſcrinia ſua prolapſa, non tantum locis & ordinibus debitis reſtitui atque redigi, verum etiam, quod rei caput eſt, doctiſſimis illuſtrationibus explicati ad communem vtilitatem, in apricum prodire potuerint; cuius certe niſi acceſſiſſet induſtria, vel maxime verendum erat, vt tam egregio multaque eruditione referto libro, frui vnquam licuiſſet, rei numariae cultoribus; quam in rem, vel ex ea cauſſa paullo plenius mihi diſſerendum eſſe ſentio, quod nullus dubitem, fore nonnullos, qui, in admirationem rapti, ſcire, ac de occaſione edoceri cupiuerint, qua fieri potuerit, vt bonarum iſte artium ſanctiorisque doctrinae candidatus, ſed in extremo Europae cultioris angulo natus atque educatus, tam celebris in Germania viri numiſmata, docte illuſtrata, in publicum producere compos factus ſit.

Aliquot iam anni praeterlapſi ſunt, ex quo is, relicto paterno lare, ſtudiorum perficiendorum ſtimulo adactus, in celebre hoc variae eruditionis emporium conceſſerat; cuius cum limina vix eſſet ingreſſus, ſtatim morbo grauiſſimo tentabatur, ex itinere & longinquo & difficili, contracto. Florebat illo tempore SCHVLZIVS, apud ciues Hungaros & Tranſiluanos, inſigni ſua eruditione animique propenſione, prae aliis ſui ordinis viris: allicit enim homines virtus ad diligendum; quo fomite inflammati, doctrinas eius nonnulli gnauiter ſectabantur, alii, morbis forte affecti, cura & conſiliis viri beati vtebantur; quae popularium exempla, & noſtrum impellebant, caſu & neceſſitate nunc cogente, iiſdem veſtigiis inhaerere, quae eum, ad medicum tam clare doctum longoque vſu experientem ducerent. Vt autem eo felicius medicina ſuccederet, mutato priſtino muſeo, in medici ſui domum conceſſit. Nec id quidem, vt euentus docuit, ſine ſingulari Numinis prouidentia; Quum enim antea nulla propemodum ſalutis ſpes amplius ſupereſſet, breui poſt ſenſim conualeſcebat. Multis interea ampliſſimae propenſionis documentis cumulatus, quibus rependendis, vbi ſe omnino imparem ſentiret, in id omnes animi & corporis vires contulit, ſaltim vt quam gratiſſimus cognoſceretur; qua teſtificatione id porro conſecutus eſt, vt beatus, ex medico ei fieret Maecenas, locumque inter familiares ſibi intimos concedere, eo minus dubitaret, quo magis de clientis ſimulque officioſi amici ſui dexteritate, fide & obſeruantia, haud ſimplici documento quam perſuaſiſſimus eſſet factus.

Haec dum fiunt, SCHVLZIVS ipſe in morbum grauem imo ſupremum incidit, quo durante & ingraueſcente, hic euergetae ſuo gratioſo die nocteque adſtitit, talemque ſe praebuit, vt decumbens, vbi diem ſuum vltimum aduentare ſentiret, ſuprema ſua per eundem ordinare, & quod maximum dignumque notatu vere, in complexu eius animam creatori reddere, nullus dubitaret.

Quan-

Quanta cum dexteritate, post obitum viri desideratissimi, commissa sibi perfecerit noster, inter omnes constat. Index librorum, quos beatus reliquit, accurate compositus, primum industriae & commissae sibi prouinciae exstitit documentum. Missis illis, quae ad priuatas, beati rationes pertinere videntur, de iis tantum, quae circa numophylacium ex demandata sibi cura praestiterit, LECTOREM, in operis huius limine curatius informandum esse duximus. Restitutis & in ordinem redactis, vt iam monuimus, nummis, omne studium & diligentiam, in illorum explicationem contulit. Cum vero ad perficiendum ea, quae destinauerat, varia nec obuia vbique subsidia requirerentur; prima eius occupatio fuit, magna sollicitudine conquirere, quae in vrbis huiatis tam publicis quam priuatis bibliothecis, vsibus suis inseruientia, haberi possent. Cumque optime sciret, exstare in celeberrima Lipsiensium vrbe, librorum aeque ac numorum scrinia instructissima, quibus magnopere iuvari posse sperabat; hinc mature eo etiam sese contulit, perque aliquot menses ibi commoratus, nullis nec sumtibus nec laboribus pepercit, saltem vt particeps fieri posset eorum, quae tam ad arduum hoc institutum necessaria, quam apta maxime essent, ad splendorem maiusque ornamentum ei conciliandum. Laudat hic impense summi & illustris viri, MASCOVII, ocelli illius reipublicae literariae incomparabilis, singularem beneuolentiam, qua factum, vt ex Amplissimi Senatus thesauro, toto orbe celeberrimo, haurire & in vsus suos conuertere potuerit, egregia plane adminicula, nec alibi facile reperiunda. Multum praeterea etiam cl. IO. GOTHOFR. RICHTERI, eleganter docti apud Lipsienses iurisconsulti, apparatui librario sane egregio, sese debere, ingenue & grate fatetur.

Atque ista de occasione huius operis, & quam in publicando illo, doctissimus auctor curam studiumque adhibuerit solertissime. Proximum est, vt de interiori eius

habitudine, quo tota fere diſpoſitio aeque ac argumentum redit, dicenda in medium proferam. Singula numophylacii Schulziani numiſmata, priore hac parte publicata, deſcripta accurate, ac pro rei dignitate ſufficienter illuſtrata ſunt. Cumque eruditi in plerorumque nummorum interpretatione diuerſas paſſim foueant ſententias; hinc ſingulorum fere, tam antiquiorum, quam recentiorum, antiquae pecuniae interpretum opiniones, operoſe congeſſit, nummiſque hic occurentibus diligenter ſubiunxit; quibus doctorum ſententiis haud raro ſuas, firmis rationibus ſuffultas, obſeruationes auctor inſeruit; Quoties cunque autem ab aliorum mente, non ſine ratione in medium prolata, recedere ſibi viſum fuit, cum decenti moderatione id factum a ſe fuiſſe, ipſo verborum contextu, ad oculum pateſcit. Vbi praeterea breuitati litandum erat, illorum in gratiam, qui plura heic noſſe geſtiunt, ſedes & auctorum loca fideliſſime indicauit, quos cum fructu conſulere poſſint. Singulorum huius theſauri numiſmatum imagines, vt aere expreſſae oculis ſiſterentur, ſuperuacaneum fore duxit, quod in vulgatis eruditorum, paſſim que allegatorum operibus, iam ſint obuiae; hinc ii tantum nummi hic locum adepti, atque egregii artificis ſtilo aeri inciſi ſunt, qui, aut hactenus ignoti delituerunt, aut a peritis, rariſſimis adnumerantur, aut qui ad illuſtrationem partis alicuius eruditae antiquitatis apprime facere poſſunt, aut denique, de quibus conſtat, antea ab aliis haud accurate ſatis delineatos eſſe.

Quod nunc porro ediſſerendum eſt momentum; inter praecipua huius operis capita locum habere, intrepide adfirmamus, quo ipſo, aliis huius generis ſcriptis, palmam praeripere aptum eſt. Conclamatum eſt inter rei nummariae cultores exercitatiſſimos, pretium cuique antiquo nummo ſtatuere, rem eſſe altioris indaginis, nec minoris difficultatis; tentaſſe nonnullos id ipſum, ſaltim quoad rariores, ignotum eſſe illis haud poteſt, qui ſcripta huc pertinentia

lege-

legerint; idem & noſtrum cum laude obſeruaſſe, ſuo loco comperimus: quinimo *Morellianam aeſtimationem* rariorum Conſularium, hactenus, quantum nobis quidem conſtat, nullibi publice viſam, nunc primum, ad vſus publicos, in lucem produxit, blattisque ac tineis, aeque vt alias ineditas, iamque ſqualore ſepultas, SCHVLZII obſeruationes, feliciter ſubtraxit.

Numiſmata, quae in priori hac numophylacii Schulziani parte deſcripta & illuſtrata occurrunt, duplicis potiſſimum ſunt generis; duplicem hinc liber nactus eſt partem. Omnia enim, quae hic complectuntur, numiſmata, vel Graeca ſunt, vel Romana; Graeca, ſecundum nobilitatem metalli diſpoſiti, priorem abſoluunt partem: alteram operis partem exornant argentei & aerei Familiarum Romanarum nummi, quibus aerei vrbis Romae, argentei incertarum familiarum, ac tandem barbara quaedam ſuccedunt numiſmata. Circa omnes & ſingulos hos nummos, quomodo verſatus ſit auctor diligentiſſimus, ſuo iam commemorauimus loco. In ſubſequenti volumine, quod ipſius iam exercet curas & induſtriam, Imperatorum Romanorum argentea & aerea numiſmata, pari diligentia illuſtrata, locum habitura ſunt ſuum.

Tandem illud etiam breuiter commemoraſſe neceſſarium duximus, non ſine graui omnino cauſſa factum eſſe, vt ſub calcem operis, inſtar vtilis appendicis, certus Epiſtolarum numerus compareat, quas docti & celebres viri, ex vicinis & longe diſſitis locis, ad b. SCHVLZIVM ſubinde exarauerunt; Vnam huius inſtituti rationem ſuppeditauit affinitas argumenti, & nonnullarum contextus, qui aptus eſt, haud ſimplici vice lucem fœnerari doctrinis in opere ipſo paſſim propoſitis; altera eſt, vt ex earum publicatione ad oculum appareat, in quanta exiſtimatione, fama & celebritate, etiam apud exteros vixerit SCHVLZIVS ſaepe, nec tamen ſatis laudatus.

Vlti-

Vltima, quae dicenda habeo, ad ſpeciales praeciſe auctoris eruditiſſimi rationes ſpectant, inque eius gratiam, animi conteſtandi cauſſa, dicta ſunto. Natum eſſe eundem in Tranſiluania, regione multorum doctorum confeſſione, ex variis rationibus, iam dudum concelebrata, ſuo loco innuimus. Cum igitur & mihi ſub eodem caelo contigerit natiuitas, vix ac ne vix quidem, hic meus calamus deſcribat, quanta cum voluptate perfuſus, data hac occaſione, verba iſta fecerim: nulla de cetero illi neceſſitudine iunctus, praeterquam illo nexu, qui inter populares in peregrinis oris debet exiſtere. Sextus ſupra quadrageſimum, iam vertitur annus, ex quo dulcem, nec ſine teneriore adfectu memorandam patriam reliqui; ſeptimum vero luſtrum procurrit, a quo, vt in Ienenſi olim, ita praeſens nunc in Halenſi conſtitutus, bonas artes profiteor; Eo temporis interuallo, licet plures ſane noſtratium, in meam venerint notitiam, nullus tamen, quod vere dixerim, mihi innotuit, ſi a STEPHANO BERGLERO, STEPHANO KESSLERO, aliiſque paucis receſſero, qui cum iſto comparandus ſit; etiamſi de cetero fuerint nonnulli, ob nauatam in ſtudiis operam, ſuo merito minime defraudandi; ſaltim, qui in argumento tam nobili, ſed & difficili, vires ſuas, idque in facie totius doctae Germaniae, periclitari voluerint aut potuerint, talem, dico, me hactenus nouiſſe cum ignariſſimis.

Vale LECTOR HONORATISSIME, & fruere opere vt docte & eleganter conſcripto, ita quoque maxime vtili ad rem numariam omnino illuſtrandam & promouendam. Si quae forte occurrant, quae limatius exponi potuiſſent, iuuenili aetati adtribues, memineriſque illius Horatiani, vt nemo hominum ſine vitiis naſcitur, ita nec vllus liber, qui ab eorum labore proficiſcitur; optimus eſt, qui minimis vrgetur. Inuidos autem & maleuolos, & qui, ea, quae ignorant, carpunt aut contemnunt, non curat Hyppoclides.

Perſcriptum in Academia Regia Halenſi, Dominica Quaſimodogen. A. R. S. M. DCC XXXXVI.

MOREL-

MORELLIANA
RARIORVM FAMIL. ROMAN. NVMISMATVM
AESTIMATIO.

ABVRIA.
n. 5. 2
ACILIA.
n. 1. 4
o. 1. 8
AEBVTIA.
n. 1. 1
n. 2. 1
o. 1. 2
AEMILIA.
T. 1. n. 1. 1
n. 4. 2
n. 5. 1
n. 7. 3
n. 8. 2
T. 2. n. 1. 2
n. 2. 1
n. 3. 1
n. 4. 10
n. 5. 3
n. 7. 4
n. 8. 2
T. 3. n. 1. 1
n. 2. 1
n. 3. 1
n. 4. 1
n. 5. 1
n. 6. 1
n. 7. 1
n. 8. 1

AFRANIA.
n. 4. 3
ALLIENA.
n. 1. 8
ANNIA.
n. 1. 1
n. 2. 1
n. 6. 1
ANTIA.
n. 3. 6
ANTISTIA.
n. 1. 1
n. 2. 3
n. 3. 9
ANTONIA.
T. 1. n. 1. 3
n. 2. 2
n. 3. 2
n. 4. 3
n. 5. 12
n. 8. 3
T. 2. n. 1. 10
n. 2. 10
n. 3. 10
n. 4. 10
n. 5. 6
n. 6. 2
n. 7. 2
n. 8. 4
T. 3. n. 1. 3
n. 2. 2
n. 3. 2
n. 4. 5
n. 5. 5
n. 6. 2
n. 7. 8
n. 8. 2
T. 4. n. 1. 2
n. 3. 7
n. 4. 7
n. 5. 3
n. 6. 3
n. 7. 3
n. 8. 2
T. 5. n. 1. 8
n. 2. 2
n. 4. 1
T. 6. n. 2. 2
n. 4. 2
n. 5. 2
n. 6. 8
n. 7. 6
n. 8. 10
T. 7. n. 1. 2
n. 2. 2
n. 8. 3
T. 8. n. 7. 1
T. 9. n. 7. 1
T. 10. n. 7. 10
n. 8. 6
T. 11. n. 1. 20
n. 2. 5
o. 1. 2

APRONIA.
n. 3. 3
AQVILLIA.
n. 3. 4
n. 4. 4
n. 5. 4
n. 6. 6
n. 7. 8
ARRIA.
n. 1. 12
n. 2. 4
o. 1. 4
o. 2. 6
ATIA.
n. 1. 8
n. 2. 34
AVRELIA.
n. 5. 1
AXSIA.
n. 1. 3
n. 2. 2
n. 3. 2
BAEBIA.
n. 3. 2
BELLIA.
n. 1. 4

CAECILIA.
T. 2. n. 2. 1
n. 8. 1
T. 3. n. 1. 7
n. 2. 7
n. 3. 7
n. 4. 3
n. 5. 2
CAECINA.
n. 1. 1
CALPVRNIA.
T. 1. n. 5. 2
T. 2. n. 1. 2
n. 2. 8
n. 5. 2
n. 6. 2
T. 3. n. 1. 2
n. 2. 2
n. 6. 1
CANINIA.
n. 1. 2
n. 2. 12
CARISIA.
T. 1. n. 7. 4
n. 8. 6
T. 2. n. 1. 1
n. 2. 2
T. 3. n. 2. 4
n. 3. 6





Q. D. B. V.

NVMI GRAECI AVREI.

ALEXANDRI MAGNI.



1. Caput Palladis galeatum promiſſa caeſarie.
   Victoria ſtans alata, dextra aliquid porrigit, iuxta, vt videtur, caput bouis.

Singularis elegantiae & raritatis aureus. Duc. $2\frac{1}{4}$



Aureum hunc Alexandri M. rariſſimum celeb. *Io. Iac.* GESSNERVS inter *regum Macedoniae numiſmata* tab. V. num. 16. primum vulgauit. Prouocamus ad *Curtium*, qui *Mineruam* & *Victoriam* ab Alexandro cultam haud vno teſtatur loco. *Caput bouis* Euboeorum fuit inſigne, qui numum in Alexandri honorem cudiſſe videntur. Monarchiae tertiae conditoris Alexandri memoriam *Arrianus*, *Curtius*, *Plutarchus*, *Iuſtinus* & ipſae ſacrae paginae, *Dan.* VII. verſ. VI. cap. VIII. verſ. V. I *Maccab.* I. verſ. I. ad noſtra vſque tempora conſeruarunt. Succinctius Alexandri, cui rerum geſtarum gloria Magni nomen dedit, vitam, illuſtria facta & mor-

tem memoriae prodidit *Ludou.* NONNIVS in *comment.* ad *Hub.* GOLTZII *Graeciam* pag. 172. ſqq. conf. cel. *Laurent.* BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 242. ſqq. eruditiſſ. *Chriſt. Sigiſm.* LIEBE in *theſ. Frideric.* pag. 4. ſqq. cel. GESSNERVS in *numiſm. regum Maced.* pag. 12. & 17. Vnius *Iuſtini* de praeclaris Alexandri geſtis nobis h. l. ſufficiat teſtimonium: *cum nullo vnquam*, inquit, *hoſtium congreſſus eſt, quem non vicerit; nullam vrbem obſedit, quam non expugnauerit; nullam gentem adiit, quam non calcauerit.* vid. *Iuſtinus* lib. XII. cap. XVI. *edit. Graeu.* pag. 289.

LYSIMACHI.

2. Caput Lyſimachi regis diadematum & cornutum.

BAΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas νικηφόρος ſellae inſidens, ſiniſtra ſcuto innititur, ad pedes tridens cum quatuor delphinis, in area monogramma ΔΙ.

Optime conſeruatus, qui tamen recentioris fabricae numus eſſe videtur. Duc. 2. $\frac{1}{8}$

Simile paene Lyſimachi numiſma adſeruatur in numophylacio cel. *Io. Iac.* GESSNERI, vid. *eiuſdem reg. Maced. numiſm.* tab. VI. num. 34. pag. 33. *Conſtant.* LANDVS in *ſelect. numiſm.* pag. 22. ſqq. commemorat, ſeſe apud *Io.* CAVINIVM, nobiliſſimum quendam aurifabrum, ſimilem Lyſimachi aereum vidiſſe. Quumque l. c. inter alia LANDVS referat, CAVINIVM hunc tam praeclare veterum numiſmata expreſſiſſe, vt antiquos illos Graecorum & Romanorum artifices arte propemodum ſuperauerit; hinc ferme crediderim elegantem hunc SCHVLZIANVM, vna cum GESSNERIANO, itidem ex eiusdem CAVINII officina prodiiſſe. *Iouis Ammonis*, cuius ſimulacrum cornibus arietinis ornatum frequenter occurrit, filium ſeſe Alexander iactabat. *Ouidius:*

Quam qui *Cornigero* de *Ioue* natus erat.

Hinc Alexandri numiſmata eiuſdem caput diadematum annexis cornibus arietinis paſſim oſtendunt. Hoc Alexandri M. diadema, in inſigni ſucceſſoris eius Lyſimachi numiſmate conſpicuum, egre-

egregie illuſtrat *Iuſtinus*, dum p. m. 333. *Lyſimachum*, inquit, *deſiliens equo Alexander haſtae cuſpide ita in fronte vulnerauit, vt ſanguis aliter cludi non poſſet, quam diadema ſibi demptum rex, alligandi vulneris cauſſa, capiti eius imponeret. Quod auſpicium primum regalis maieſtatis Lyſimacho fuit.* Perilluſtris *Ezechiel* SPANHEMIVS de *praeſt.* & *vſu numiſm.* tom. I. *diſſert.* VII. proiectam ceruicem & cornua ideo Alexandri ſucceſſoribus vſurpata fuiſſe docet, vt ſeſe, & oris & habitus ſimilitudine, eius quaſi legitimos heredes probarent. Alexandri potius imaginem in aduerſa numi pagina expreſſam eſſe cl. *Io. Georg.* WACHTER, illuſtris Lipſienſium antiquarius, antiquiores ſequutus, exiſtimat, dum: credibilius eſt, inquit, Lyſimachum maluiſſe caput ipſius Alexandri numis ſuis praefigere, ad oſtendendum, ſe legitimum eius in regno Thraciae ſucceſſorem eſſe, quam proprium caput alienae diuinitatis ſymbolis exornare, quod nemo ſucceſſorum Alexandri auſus eſt, vid. WACHT. *archaeologia numaria* pag. 67. In numiſmatibus Lyſimachi paſſim ſignata eſt *Minerua* cum *Victoria;* nam, vt antea vidimus, *Curtio* teſte, vtraque ab Alexandro, &, quod vero ſimile videtur, ab aliis Macedoniae regibus, culta fuit. Illum & propterea numis ſuis *Mineruam* toties cum *Victoria* coniunxiſſe eruditi autumant, quoniam ſapientiſſimus rex experientia perſpectum habebat, Mineruae, vel ſapientiae ſtudiis cum labore coniunctis, magnam victoriae partem tribuendam eſſe. Alii tamen ſtatuunt *fortitudinem* hoc *ſymbolo* pingi; vnde in *actis ſoc. reg. inſcript.* tom. VIIII. pag. 242. Pallas, repreſentée ſur la medaille, n' eſt qu' un ſymbole de la valeur des peuples, ſur qui le Prince regnoit, conf. GESSN. *reg. Maced. numiſmata* pag. 32. Vtrum *tridens* ad victoriam quandam naualem ſpectet, an locum ſignati numiſmatis indigitet BEGERVS dubitat. De *monogrammate*, quod areae partem occupat, audiamus celeb. GESSNERVM: non raro, in *proemio ad Maced. reg. numiſm.* inquit, cernuntur aliae litterae temporis & locorum indices, atque nexus litterarum ſibi inuicem implicatarum, quos *monogramma-*

 ta

ta vocant, & cel. BEGERVS, GOLTZIVS, SPANHEMIVS, regionum, vrbiumque initiales ſtatuunt, in quibus numiſmata cuſa fuerunt, vel epithetorum deorum, quorum imaginibus ſignata ſunt, vel monetariorum: non pauca eorum exempla cernuntur, in regum Macedoniae deſcriptione, atque in indicibus inſcriptionum Graecarum, quas GOLTZIVS *Siciliae* & cl. VAILLANTIVS *numis Graecis imperatorum* ſubiecerunt. De *monogrammatibus* paucis multa dicuntur in *Memoires de l'Academie des Inſcriptions:* Les Monogrammes, ſont ordinairement ſur les medailles Greques des chiffres particuliers, ou à des certains coins de monoyes, ou à des villes, ou à des Peuples, ou meme aux Monetaires, & il eſt tres difficile d' en penetrer le ſens. Les lettres qui les forment ſont ſouvent, ou renverſees, ou unies en ſemble; ou pour en tirer ſignification, il faut les decompoſer & les arranger dans un ordre naturel. Lyſimachus Agathoclis filius, illuſtri Macedoniae loco natus, quondam inter Alexandri M. cuſtodes fuit; quo extincto in Thracia ad regalem dignitatem adſpirauit, *virtutis experimentis*, *Iuſtino* teſte, *omni nobilitate clarior, quae tanta in illo fuit, vt animi magnitudine, philoſophia ipſa, viriumque gloria, omnes per quos oriens domitus eſt, vicerit.* Idem hiſtoricus lib. XV. cap. III. p. m. 332. inter alia, quae de Alexandro, Lyſimacho & Calliſthene commemorat, Lyſimachum Alexandri iuſſu ferociſſimo leoni obiectum fuiſſe refert; haec fabulam redolere *Curtius* quidem ſcribit, pro veris eadem autem narrat *Seneca* de ira III. De Lyſimachi vita, fama, fatis & morte, praeter *Iuſtinum* aliosque antiquiores, vid. *Lud.* NONNIVS in ſupra laudato *commentario* pag. 192. ſqq. BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 244. de WILDE in *ſelect. numiſm. antiqu.* pag. 28. ſqq.

3. Idem Lyſimachi & Mineruae typus, cum eadem epigraphe; inſuper autem in auerſae paginae area litt. C. & in ſella B. conſpiciuntur, in imo tridens cum duobus delphinis.

Ele-

Eleganter signatus, probus. *Duc.* $2\frac{1}{4}$

Aureum hunc numum vna cum praecedente Alexandrino haud pridem ex Transsiluanorum Corona missos esse; cum cl. *Io.* ALBRICHII, medicinae doctoris & Coronensium senatus assessoris amplissimi, litterae, tum illustris SCHVLZII schedae testantur. Aureorum istorum, peritissimi artificis manu depictorum, bigam tab. I. sistit. Lysimachi ex auro purissimo fabricatos, & in gaza regis Dacorum Decebali repertos numos XI. possidet SENATVS Lipsiensis in splendidissimo suo apparatu numario. Ex tot aureis & argenteis Lysimachi numis, quot adhuc reperiuntur, & ex historia reliquiarum gazae, a Decebalo quondam exstructae, saeculo demum XVI. in Transsiluania inuentarum colligitur, ingentem opulentissimum hunc regem & argenteorum & aureorum numorum vim cudendam curasse, vid. cel. LIEBEVS in *thes. Frideric.* pag. 7. conf. *allgemeines historisches lexicon* sub tit. *Siebenbürgen*, vbi tum de Decebali thesauris a Traiano Romanorum imperatore inuentis, paucis multa referuntur, tum generatim ad Transsiluanorum historiae ambitum spectantia notatu digniora commemorat illustris Transsiluanus *Martinus* SCHMEIZELIVS noster. Ad litteram B. quod attinet, vid. *Memoires de l'Academ. des inscript.* tom. VIIII. pag. 240. On, trouve au revers des Medailles de Lysimaque, dans la partie interieure du siege de Pallas, le monogramme, ou le commencement du nom des Villes ou elles ont été frappées, & plus souvent qu'aucun autre, celui de Byzance, qui étoit la capitale du Bosphore de Thrace, reliqua.

ARGENTEI.

PHILIPPI.

4. Iouis Olympii caput barbatum, & olea coronatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Alexander gradienti Bucephalo insidens,

dens, dextra oleæ ramum praefert, inter anteriores equi pedes vasculum cernitur.

Numisma, quod tres drachmas praeponderat. Aduersae paginae effigiem *oleagina corona* cinctam esse, ex foliorum tenuitate coniicimus. *Olympicum Iouem* olea significat, cui, apud *Arrianum* lib. I. pag. m. 30. Alexander, in Macedoniam reuersus, sacra fecit. *Pausanias* in *Eliacorum* lib. I. edit. *Kuhnii* pag. 400. dum imaginem Iouis Olympici pluribus describit, testatur, eum oleaginam coronam gestasse. De *Bucephalo* CAMERARIVS in *opp.* suis *subcisiuis* cent. I. cap. XXI. p. m. 112. celebrantur, inquit, quoque sepulcra equorum, videlicet Cimonis & Alexandri Magni, cuius equus Bucephalus siue ab aspectu toruo, siue ab insigni, h. e. taurino capite armo impressi dictus, in dorso suo ornatus regiis phaleris, & bullis insidere nullum alium patiebatur; regem vero, quum vellet ascendere, sponte sua genua submittens, excipiebat, credebaturque sentire, quem veheret. Haec CAMERARIVS; conf. de WILDE *select. numism. antiqu.* pag. 12. Ortu Thessalus fuit, emptus XIII. talentis, h. e. septem millibus octingentis aureis, vt refert *Plinius* in *hist. nat.* lib. VIII. cap. XXXXII. edit. HARDVINI tom. I. pag. 465. Philippus Macedo, Alexandri M. pater, inde potissimum celebratur, quod, oppressis caeteris Graeciae populis, prima monarchiae tertiae fundamenta posuit: quibus vero artibus id imperii & auctoritatis consequutus sit, illarum rerum studiosi non sine voluptate & fructu intelligunt ex cl. PVFFENDORFII *einleitung zur Staatshistorie* tom. I. pag. 15. sqq. & ex amplioribus *commentariis*, quos de vita, eiusque actis publicis & priuatis ex *Diodoro*, *Iustino* aliisque edidit *Lud.* NONNIVS ad GOLTZII *Graec.* tab. XXX. conf. cl. *Io. Iac.* GESSNERVS lib. laud. pag. 15.

5. Caput Iouis Olympici laureatum.

Eadem epigraphe, idemque typus, insuper ramus & litt. Π. inter equi pedes conspiciuntur.

Numi-

Numiſma, quod itidem tres drachmas pondere ſuperat. Quemadmodum in praecedenti numismate ex foliorum tenuitate olea coronatum Iouem vidimus; ita in hoc argenteo ex eorundem latitudine *corona laurea* Iouis eiusdem caput cinctum eſſe iudicamus. Cel. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 236. ex ampliſſima Pruſſorum regis gaza ſimile produxit numima, eiusdemque aduerſam de *Iouis Olympici cultu* explicat, auerſam autem *victoriam Olympicam* celebrare exiſtimat; conf. NONNII *comment.* loc. cit.

6. Idem caput Iouis barbatum & olea coronatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Eques pileatus & armatus gradienti equo inſidens, inter anteriores equi pedes ſtella, & ſub eius pedibus cultri genus cernitur.

Numiſma, quod identidem tres drachmas pondere ſuperat, cuius typum, quod nos quidem ſciamus, haud aliquis antiquariorum exhibuit. De *ſolemnibus ludorum Olympicorum certaminibus*, quae iſta numiſmata reſpiciunt, praeter *Pauſaniam* in vtroque *Eliacorum libro*, caeterosque antiquos ſcriptores, conſulendus cl. LIEBEVS in *theſ. Frideric.* pag. 474. ſq. & alibi.

7. Caput Philippi laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Vir bigis vectus equos agit baculo, ſub equis tridens.

Eleganter ſignatus, cuius typum tab. II. num. I. contemplamur. Simillimum aureum ex theſauro regio tom. I. pag. 233. exhibuit BEGERVS. In memoriam expeditionis ſuſceptae in Phocenſes *laureatam Philippi imaginem* in aduerſa numi pagina ſignatam eſſe *Lud.* NONNIVS autumat. Eo enim tempore Philippus omnes milites coronas laureas ſummere iuſſit, atque ita proelium commiſit, & Phocenſes ſuperauit. Cl. *Laur.* BEGERVS l. c. non Phocenſem tantum, verum, quum laurea victorum in genere ſymbolum

lum ſit, Philippo autem, victoriarum compoti, inſigne victoriarum inſolitum non fuerit; hinc alias quoque Philippi victorias laureatam regis iſtius imaginem indigitare credidit. Quod aliquando *bigis in Olympicis viceſſet* Philippus, hinc in auerſa numi pagina bigas effictas eſſe idem NONNIVS aſſerit. Quam opinionem etiam *Plutarchi* teſtimonium confirmat: Καὶ τὰς ἐν ὀλυμπίᾳ νίκας τῶν ἁρμάτων ἐγχαράττων τοῖς νομίσμασιν. *& victoriis curruum Olympiacis ſuis numos ſignabat*, vid. *Plutarchus* in *Alexandro*, edit. optim. pag. 666. BEGERVS loco antea laudato auerſae typum itidem latius patere, neque ſolum ad Olympicas, verum etiam ad Pythicas, Philippi victorias bigas illas referendas eſſe exiſtimat. *Plutarchus* de Olympicis, vt vidimus, nominatim teſtatur, de Pythicis autem nullo auctore conſtat. Ill. *Io. Georg.* WACHTERVS, celebris Lipſienſium antiquarius, paucis omnia antecedentia Macedoniae numismata egregie illuſtrat, dum: quam gratum, inquit, ſemper fuerit Macedonibus equorum & rei equeſtris ſtudium, ex eorum numis liquet, in quibus equites cum haſta decurrentes, equites ex ludis cum frondibus & palmis reuertentes, equorum domitores & aurigae in bigis paſſim conſpiciuntur. Omitto nomen Philippi, addit vir litteratiſſimus, in Macedonia frequentiſſimum, & ab amore equorum deſumptum. Idque ſtudium apud inſanos illos tanta in aeſtimatione fuit, vt eum, qui equum ferocem domare poſſet, etiam regno gerendo parem eſſe iudicarent. Hinc Alexander, poſtquam ferociam Bucephali ſuperauit, ab omnibus maximo adplauſu, a patre prae gaudio lacrymante hiſce verbis exceptus eſt: *quaere fili, par tibi regnum, ſiquidem Macedonia te non capit; Plutarch.* in vita Alexandri, vid. cl. WACHTERI *archaeol. numaria* pag. 51. ſqq. *Tridens*, quae in hoc Philippi numismate ſub equis conſpicitur, & apud GOLTZIVM deſideratur, Neptuni equeſtris eſt inſigne, cuius honori aeque vt Iouis Olympici, dicata erat ludorum Olympicorum celebritas. *Iuſtinus* quidem, quod probe obſeruat celebris Lipſienſium antiquarius, Philippum quadrigis viciſſe ſcribit, non bigis. Verum

Iuſti-

Iustinum e numis corrigendum esse patet. Numus iste, huius victoriae index, ex eiusdem clarissimi viri sententia, tanto gratior & pretiosior possidentibus esse debet, quod eum eodem anno, quo Alexander natus est, a Philippo signatum esse certissimis indiciis cognoscatur. *Plutarch.* loc. cit. *Philippus capta modo Potidaea, eodem die tres accepit nuntios, fusos a Parmenione ingenti pugna Illyrios, alterum in Olympicis se equi pernicitate vicisse, tertium natum Alexandrum;* conf. *Iustinus* lib. XII. cap. XVI. p. m. 289.

ALEXANDRI MAGNI.

8. Alexandri Magni spoliis leonis exornata effigies.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Iupiter ἀετόφορος throno insidens, d. aquilam praetendit, s. hastam puram tenet.

In *elegantissimo* hoc Alexandri numo *rex leonino spolio* ornatus cernitur, & quidem haud dubie in Herculis memoriam, a quo Macedonum reges originem traxisse credi voluerunt, vnde *Constant.* PORPHYROGENNETA lib. II. *de thematibus: ideoque Macedoniae reges*, inquit, *pro redimiculo & corona & purpura regia, leonini capitis exuuiis se redimiunt, atque hoc gestamen coronam & ornatum esse censent, eoque magis quam pretiosis lapillis & vnionibus decorari putant: ac testis huius rei fide dignus est numus Alexandri Macedonis, eiusmodi figura insignitus.* Hinc ita de Auentino *Aen.* VII. vers. 666. canit *Virgilius:*

Ipse pedes, tegimen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Vid. NONNII *comment.* in GOLTZII Graec. pag. 179. BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. pag. 231. sq. perillustr. *Ezech.* SPANHEMIVS de *praest. & vsu numism.* tom. I. pag 386. sq. *Iouis sedentis* imago admodum frequenter, ob cultum Ioui ab vniuersa Graecia exhibitum, in Graecorum numis occurrit. Peculiariter autem eum ve-

nerati ſunt reges Macedonum, in primis autem Alexander M. Non ſolum itaque quod eius filium paſſim ſeſe praedicabat; verum etiam potiſſimum ob eximium Iouis cultum paſſim in Alexandri numis exprimitur Iupiter. *Aquila* itidem non tantum ad imperii maieſtatem, & progeniem ex Ioue, declarandam exhibetur; ſed etiam quia aquilae Alexandro ſaepius fauſtiſſimi ominis loco fuerunt. Plura huc pertinentia commemorant NONNIVS loc. cit. BEGERVS *theſ. Brand.* tom. I. pag. 239. ſq. cl. GESSNERVS *in reg. Maced. numiſm.* pag. 12. & 17. Aquilam Ioui in primis ſacram, eamque diuinitatis, prouidentiae & imperii ſymbolum eſſe docet illuſtriſſimus *Ezech.* SPANHEMIVS *de vſu & praeſt. numiſm.* tom. I. pag. 170. ſq.

9. Idem Alexandri M. numus, ex vtraque pagina detritus.

10. Caput virile itidem leonis exuuiis ornatum.

ΛΟΚ. ΜΑ. ΔΝ. aut ΔΥ. Iupiter ſellae inſidens, d. aquilam ſ. haſtam tenens.

Hoc numiſma, quod pondere quatuor drachmas ſuperat, in antica ad antiquam illam elegantiam accedit; ex poſticae autem typo & inſcriptione recentioris fabricae argenteum hunc numum eſſe iudicamus: & hinc forte etiam differt hoc νόμισμα ab omnibus illis typis, quos cel. GESSNERVS in praeclaro, vtinam perfecto, ſuo opere ex pleriſque rei numariae ſcriptoribus collegit.

LYSIMACHI.

11. Caput regis Lyſimachi cum diademate & cornu arietino.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas galeata ſedens, d. victoriolam alatam praetendit, ſ. ſcuto Gorgonis capite inſignito innititur, ad dextram fax accenſa, in area monogramma ex Π. ΜΥ & Ρ. compoſitum.

Numiſma pondere vnciam dimidiam excedens, quod cl. *Io. Andr.* SCHMIDTS in *ſchediaſm. de numis cathedraticis* probe delineatum exhibet. Cel. GESSNERI typi haud ex omni parte conueniunt cum arche-

archetypo SCHVLZIANO. Ad elegantis numiſmatis huius interpretationem ea, quibus aureos Lyſimachi numos expoſuimus, vtramque faciunt paginam.

METAPONTINORVM.

12. Caput deae Cereris ſpicis ornatum, cum inauribus.

METαποντιων. Spica, ex cuius culmo inſidenti ramulo videtur inſiſtere Cupido; certe puellus alatus.

Haud antiquariorum aliquis huic SCHVLZIANO *ſimile vulgauit* *νόμισμα.* Cum agrum admodum foecundum Metapontini poſſiderent, Apollini Delphico, teſte *Strabone*, meſſem auream dono miſerunt. Fertilitatem autem agri eorundem teſtantur numiſmata, quorum fere omnium auerſae *ſpica triticea* ſignantur, in quibuſdam, aeque vt in hoc SCHVLZIANO numiſmate, inſuper & *Cereris caput* deprehenditur; vid. *comment.* in GOLTZII Metapontinorum numiſmata, & cl. *Laurent.* BEGERVS in *theſ. Brand* tom. I. pag. 328. ſq. De *Cupidine* iudicium paenes peritiores eſſe volumus.

MASSILIENSIVM.

13. Dianae pharetratae imago, cum monogramm. ex H. & E. compoſito.

ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. Leonis gradientis effigies, in area itidem monogr. ex H. & E.

Adſeruantur in numophylacio SENATVS Lipſienſis quinque argentei, & aureus vnicus, omnes Dianae & leonis ſimulacris inſigniti, qui characteribus quibuſdam tam inter ſe quam a GOLTZIANIS diſcreti ſunt. Elegantiſſimus iſte SCHVLZIANVS itidem ab omnibus, quos vulgarunt eruditi, Maſſilienſium numis differt. *Dianam* tota Ionia magna veneratione colebat. Cumque Maſſilia colonia fuerit Phocaeorum, videlicet eorum, quin in Ionia fuerant; hinc facile patet, quid ſibi velit Dianae imago. Maſſilia au-

tem tali occaſione condita eſt. Cyrus Perſarum rex quum Croeſum Lydorum regem, opibus ſuperbientem, armis edomuiſſet, & in poteſtatem redactum regno ſpoliaſſet; maritimis Ioniae & Aeoliae regionibus Harpagum ducem praefecerat. Is quum ſuperbe admodum & ex libidine dominaretur, metum Phocaeenſibus incuſſit; quos vt tumultuari accepit, tanquam vrbem obſeſſurus propius ad Phocaeam mouit. Phocaeenſes vero, vt vim ab Harpago parari vident, noctu qui elabi poterant, conſcenſis cum familia nauibus, in Epheſum vela faciunt; idque ex omine quod forte nauigationis eiusdem gubernatori exciderat, conſulendam videlicet eſſe Dianam, quo curſum oraculo ſuo dirigendum dea reſponderet. Nocte vero eadem qua Phocaeenſes Epheſum appulſi fuerant, Ariſtarcha inter Epheſias matronas honeſtiſſima vidit Dianam in ſomno monentem, vt vna cum Phocaeenſibus accepto ſecum quodam ſimulacro nauigaret. Italiam itaque ex deae oracnlo petunt, & inde cum tota claſſe in Galliam Braccatam profecti, Maſſiliam Ariſtarchae monitu ad Rhodani oſtia condiderunt, vrbeque moenibus cincta arcem exſtruxere, templumque in arce Dianae Epheſiae ſplendiſſimum, ob oraculi memoriam, condiderunt. Ariſtarcham, quam ſummo in honore Phocaeenſes habebant, eiuſdem Dianae ſacerdotem creatam fuiſſe memoriae proditum eſt. Conſentit cum hiſtoriis elegantiſſimus iſte numus. Maſſilienſes, per Phocaeenſes, a Phocenſibus deſcenderunt. Cumque *leo* Phocenſium inſigne fuerit; hinc numi iſti Maſſilienſium vtramque originem reſpicere videntur; vtpote *deae ſimulacrum* proximam a Phocaeenſibus, & *leonis* ſimulacrum remotiorem a Phocenſibus innuit; vid. *Hub.* GOLTZII *Siciliae & magn. Graec. hiſt.* pag. 319. ſq. BEGER. *theſ. Brand.* tom. I. pag. 339. & pag. 361. cl. WACHTER in *archeol. numar.* pag. 78. ſq.

I. Caput Florae deae frondibus arboreis redimitum.
ΜΑΣΣαλιητων. Idem gradientis leonis ſimulacrum.

Auerſam paginam ad praecedentem Maſſilienſium numum expoſui-

poſuimus; ad aduerſae interpretationem ſufficiat vnius, nobiliſſimi Lipſienſium antiquarii, cl. WACHTERI ſententia, dum loc. cit: condita, inquit, Maſſilia Ligures incrementis vrbis inuidentes Graecos aſſiduis bellis aut fatigabant ipſi, aut regulos Gallorum ad bellum illis inferendum inſtigabant. Cauſſas inuidiae narrat *Iuſtinus*. Narrat etiam ſtructas inſidias, iis circumſtantiis, quae, quia alteram Maſſilienſium deam, quae tunc Graecae loquentibus *Chloris*, & poſtea corrupto vocabulo *Flora* dicta, eiuſque cultum ſolemnem vrbi paene coaeuum, perſpicue declarant, hic omitti non debent, praeſertim cum verba *Iuſtini* numis Maſſilienſium miram lucem affundant, & ab illis viciſſim accipiant. *His incitatus rex* (Segobrigiorum Comanus) *inſidias Maſſilienſibus exſtruxit. Itaque ſolemni* FLORALIORVM *die multos fortes ac ſtrenuos viros hoſpitii iure in vrbem miſit, plures ſirpeis latentes frondibusque ſupertectos induci vehiculis iubet: & ipſe cum exercitu in proximis montibus deliteſcit, vt quum nocte a praedictis apertae portae forent, tempeſtiue ad inſidias adeſſet, vrbemque ſomno & vino ſepultam armatis inuaderet.* Infauſtum inſidiarum exitum nunc mittimus, id vnum obſeruamus, quod caput Florae in Maſſilienſium numis ſatis frequens ſit, & quidem haud corona florea, ſed frondibus arboreis redimitum, vt recte clar. WACHTER contra HARDVINVM & BEGERVM monet.

15. ———————————

ΜΑΣΣΑλιητων. Leonis gradientis imago mutato paullulum typo, in area monogr. M. in imo ΡΠΔ.

Vtriusque paginae typus quid indigitet iam nouimus; qua ratione autem ambo haec auerſae monogrammata ſuppleri debeant nobis haud conſtat.

RHODIORVM.

16. Caput Solis aduerſum.

Roſa, cuius calici capitulum inſiſtit.

Affabre signatum numisma. Rhodiorum numi frequenter ex altera parte Solem, ab altera rosam exprimunt. *Solem* enim peculiariter Rhodii coluerunt, cuius honori celebrem illum, atque immensae magnitudinis, colossum consecrarunt. Erat autem Asiae minoris illustrissima haec insula Soli sacra, teste *Manilio* IIII. *Astronom.* p. m. 103.

Tuque domus vere Solis, cui tota sacrata es.

Eo enim tempore, quo Iupiter & caeteri dii vniuersum orbem inter se diuiderent, Rhodus sub aquis tecta latebat; Sole autem absente, cursumque suum conficiente, cum in diuisione ab omnibus praeteritus esset, Iupiter re cognita voluit nouam diuisionem inire, sed Sol hoc recusauit, & Rhodum emergentem e fundo maris, caeteris diis occultam, sibi vero perspectam, elegit; quod a Ioue reliquisque diis illi concessum fuit. Hinc *Plinio* & *Solino* testibus nulla dies est tam nubila, in qua Sol non oriatur in hac insula. His haud illepide cel. BEGERVS suam addit epicrisin; dum: mirum, inquit, in tanta solis luce tam densas regnasse fabularum tenebras, vt & ipsi Rhodii non tantum Solis colossum, qui inter mundi miracula locum meruit, aedificauerint; sed & Solis se progeniem ambitiose iactauerint. Rhodus a rosis denominata creditur; & hinc *rosam* in numis Rhodiorum effictam esse eruditi existimant. Insulam non vrbem a rosis etymon habere constat, indeque facilis coniectura est, Rhodum vrbem deinceps non aliunde, quam ab insula, nomen petiisse; vid. illustriss. SPANHEMIVS *de vsu & praest. numism.* tom. I. pag. 315. sqq. NONN. in GOLTZII *Graec.* pag. 274. sqq. *Laur.* BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. p. 410. sqq.

THASIORVM.

17. Caput Bacchi capillo circa tempora collecto, cuius frontem diadema ornat, sinciput & occiput corona cingit hederacea.


ΘΑΣΙΩΝ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ. Hercules nudus stans, a cuius sinistro humero dependent leonis

exuuiae


pag. 14 sqq.

Tab. I.

I.



II.



III.



exuuiae, dextra clauae innititur, ſuper humero ſiniſtro eminet pharetra ſagittis plena, in area monogramma ex M. & H. compoſitum.

Integerrimum hoc νόμισμα, *quod quatuor noſtrates drachmas notabiliter excedit pondere*, illuſtri SCHVLZIO, ipſis Kal. Ianuariis anni cIↄIↄccxxxiiii, obtulit *Samuel* de DRAVTH Corona-Tranſſiluanus, tunc medicinae candidatus, poſtea doctor, Academiae naturae curioſorum collega, & in patria practicus. Hoc donum, nil minus quam antiquos numos cogitantem, ad delicias has primum inuitauit & deduxit nuper beate defunctum huius κειμηλιαρχεῖου poſſeſſorem digniſſimum. Idem eſt cuius ἔκτυπον ill. SCHVLZIVS in tabula diſſertationi de numis Thaſiorum praemiſſa tertio loco exhibuit. Eadem illa tabula, inter reculas SCHVLZIANAS latitans, nuperrime forte in manus nobis incidit, quam in eorum gratiam, qui modo laudatam b. SCHVLZII diſſertationem haud poſſident, denuo imprimendam duximus. Summos in medicina honores cl. de DRAVTH gratulaturus, ob numum hunc Thaſiorum argenteum ſequenti carmine Graeco ſimul gratias egit celeberrimus, vtinam adhuc noſter, SCHVLZIVS.

Ἄγριον Ὕδρα πέλωρ Λέρνης, λυμήνατο Ἄργος
Πολλὰ Μυκηναίοις πήματα λυγρὰ φέρον.
Ἀμφιτρυωνιάδης ἀπαμῦναι ἀεικέα λοιγὸν
Ὀξὺ ἄορ κολεοῦ ἤλυθ' ἐρυσσάμενος.
Τῷ σοβερῶς παίων κεφαλὰς ταχὺ ἤλπετο δοῦναι,
Πάσαις τμηθείσαις, αὐχέσιν ἑπτὰ φόνον.
Μαψίδιον δ' ἐνόησε πόνον καὶ ἔργον ἄληκτον,
Ἀντὶ δυοῖν ὁρόων τέσσαρα φύντα κάρη.
Οὐχ ἅλις ὧδε σίδηρος, ἔφη, σὺ δὲ βάσκ', ἴθι, φλόγα
Αἰθομένης δαδὸς, παῖ φίλε, ὦκα δίδου.
Τώς διοσῇ φλογός τε βίῃ κρατεροῦ τε σιδήρου
Νίκην, ΣΩΤΗΡΟΣ τ' ὄυνομα, κῦδος ἔχει.

Coì μεῖζον νικῶντι τέρας, φίλε, κῦδος ὀπηδεῖ
Οὔνομα σοι δίδομεν φέρτερον Ἡρακλέους.
Οὐχ ὕδραν κεφαλαῖς βριαρὴν μόνον ἑπτὰ φόνευσας
Μυρί' ἔχον δε κάρη, δὶς δὲ τοσοῦσδε πόδας
Χαῖρε πολύ· σέο δ' αἰὲν ἐγώ, φίλε ΔΡΑΥΘΙΕ, μνήμην
Ασω τῆς φιλίας. ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ τε χάριν.

Accedimus iam ad numiſmatis ſingulas partes ordine deſcribendas. Nobiliſſimos antiquarios, & in primis illuſtrem SCHVLZIVM, ſequuti, pauca quaedam pro inſtituti ratione, tum ex aliorum ſcriptis, tum ex praeclara illa diſſertatione delibabimus. Siſtit autem aduerſa numi pagina caput iuuenile, vultum decore pulchrum praeferens, qui propius ad venuſtatem feminini ſexus, quam ad virilis grauitatem accedit. *Lud.* NONNIVS, in *comment.* ad GOLTZII *Gr. & inſul.* pag. 238. de hoc ipſo numo agens, *Bacchi caput* hic agnoſcit. Eandem de Baccho ſententiam ſequitur *Laur.* BEGERVS *theſ. Brand.* tom. I. pag. 423. eamque contra KIRCHMAIERVM defendit, qui caput Alexandri M. hic inueniſſe ſibi viſus erat. Ipſemet *Io.* HARDVINVS, qui non ſegnem ſe praeſtare ſolet in corrigendis aliorum ſententiis, in *num. antiqu. pop. & vrb.* illuſtratis, nihil hic vel monere vel mutare voluit: vt taceam alios complures, qui ſeſe nihil de Bacchi imagine hic expreſſa dubitare oſtenderunt. Domeſticas Thaſii habuerunt rationes, cur ſe Baccho gratias habere declararent, quippe vini optimi largo & vario prouentu beati. Altera numi pagina *Herculis imaginem* exhibet, idque cum ex typo tum ex adiecta inſcriptione facile colligi poteſt. Thaſii colebant olim Herculem illius gentis, a qua fuerunt deducti, hoc eſt Tyriorum, & ideo poſticam ſimulacrum eius occupat. Antequam autem in numophylacii SCHVLZIANI deſcriptione ad ſequentes Thaſiorum numos progrediar, ea ſaltim adiiciam, quibus ſaepius laudatam de Thaſiorum numis illuſtris SCHVLZIVS finiuit tractationem: nobis non licet, ſcribit vir incomparabilis, omnia vetuſti erroris deliramenta hic repetere, aut diiudicare

dicare, quo maxime intuitu Herculi tantum honorem ipſi tribuerint. Scimus Herculem Soterem, niſi σεσοφισμένον μῦθον, nihil eſſe. Precamur vnicum & verum σωτῆρα noſtrum, IESVM CHRISTVM, vt ſaluos nos praeſtet, & ab omni calamitatum genere liberet, quotquot nomen hoc vnicum, in quo ſalus nobis datur, pia mente pioque obſequio venerantur: nam οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς. Tandem hoc loco haud praetereundum eſt cel. *Iul. Caroli* SCHLAEGERI de erudita illuſtris SCHVLZII diſſertatione iudicium. In *commentatione de diis hominibuſque ſeruatoribus* §. XIII. operi admoturis manum, inquit vir omni mea laude ſuperior, vt Thaſiorum numiſmatis ſenſus, pro ingenii modulo a nobis inueſtigatus, lectori proponeretur, adferebatur perpolitum *Io. Henr.* SCHVLZII, medicae artis politiorumque litterarum peritiſſimi, vt qui maxime, ſcriptum, in quo omnia Thaſiorum, quotquot nanciſci potuit, numiſmata, Herculis Soteris imagine ſignata, ſcite atque tanto eruditionis apparatu explicauit, vt, quod de reculis noſtris adderemus, haud inueniremus.

18. Idem Thaſiorum νόμισμα, quod Herculem in primis probe expreſſum ſiſtit.
19. Idem probus & elegans, haud pridem in Tranſſiluania effoſſus.
20. Idem, qui monogrammate ſaltim ab antecedentibus differt.
21. Idem aliquantum mutilus.
22. Idem, quem cel. SCHVLZIVS cap. II. §. 14. *diſſ. de Thaſior. numis ſpurium* eſſe iudicat, quia, vtor illuſtris praeceptoris mei verbis, arte caetera rudi elaboratus eſt, & loco litterarum mera puncta, eodem tamen ductu linearum, vt in genuinis eſſe ſolent, collocata habet.

Metalli quidem bonitate non cedit optimis, ſed pondere deficit. De horum numiſmatum grauitate, & argenti ex quo con-

flati sunt puritate consulendus est clar. SCHVLZIVS in supra laudata dissertatione.

CHALCIDENSIVM.

23. Caput muliebre Graecorum more eleganter comtum, cum inauribus.
XAΛκιδων. Aquila cum serpente pugnans.

Rarius Chalcidensium occurrunt numismata; hinc cel. BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. pag. 428. similem quendam gazae Borussorum regiae numum *rarissimum* appellitat. De *aquilae* cum *serpente* inimicitiis & pugna, quae in auersa numi pagina exprimitur, ita scribit *Plinius: Nec vnus hostis illi satis est; acrior est cum dracone pugna, multoque magis anceps, etiamsi in aëre. Oua hic consectatur aquilae auiditate malefica: ad illa ob hoc rapit vbicunque visum; ille multiplici nexu alas ligat, se implicans, vt simul decidant.* Haec de serpentibus, qui aquilae nidum spoliare solent, refert *Plinius;* vid. *Leonard.* AVGVSTINI *gemmae & sculpturae antiquae* part. I. imag. 197. Quumque Chalcidenses bellicosissimi quondam fuerint; hinc cel. BEGERVS l. c. fortitudinis huius gentis typum in auersa numi parte symbolice exprimi existimat. Chalcidis moenia, Troianis temporibus antiquiora, Athenienses condidisse *Strabo* auctor est. Chalcide, Euboeae oppido, philosophorum princeps versatus est, & ibi vita functus legitur. Nihil in vniuersa Euboea ipso Euripo magis memorandum esse, scriptores referunt. Hic enim septies, vt aiunt, nocte dieque refluit, quod *Pomp. Mela* breuiter sed eleganter describit: *Euboea angusto freto distat a littore, Euripon vocant, rapidum mare, & alterno cursu septies die, ac septies nocte fluctibus inuicem versis adeo immodice fluens, vt ventos etiam ac plenis velis nauigia frustretur;* vid. *Mela* lib. II. edit. GRONOV. pag. 64. Aristotelem in Euripum sese deiecisse fertur, quod huius reciprocationis caussas inuestigare haud posset. *Suidas* autem eum Chalcide veneno, & *Diogenes Laertius* morbo, periisse tradunt. Plura de Chalcide qui scire cupit,

cupit, euoluat celeb. *Chriſtoph.* CELLARII *geograph. antiquam* edit. optimae tom. I. pag. 1021. *Lud.* NONN. *comment.* in GOLTZII *Graec.* pag. 228.

DYRRACHIORVM.

24. ΜΕΝΙΣΚΟΣ. Vacca, quam exſugit vitulus, adſtat perſona.

ΔΥΡ. ΛΥκισκου. Alcinoi quadrangularis hortus.

Dyrrachiorum iſte denarius apprime conuenit cum typis, quos exhibuerunt cl. BEGERVS *theſ. Brand.* tom. I. pag. 459. & cel. WACHTERVS in *archaeol. numar.* pag. 99. num. I.

25. Eadem epigraphe idemque typus, inſuper autem victoria cum ſerto de caelo aduolat, in imo Iouis fulmen.

ΔΥΡ. ΚΑΛΛΩΝΟΣ. Idem auerſae typus.

Itidem & iſte denarius in theſauro Boruſſorum regio cernitur. Exeſas Brandenburgici numi litteras reſtituit iſte SCHVLZIANVS; vid. *theſ. Brand.* tom. I. pag. 460. num. III.

26. Eadem epigr. Vacca ſugente vitulo, in area fax accenſa, in imo canis venaticus.

ΔΥΡ. ΦΙ. . . ΤΑ. Idem Alcinoi hortus.

27. Idem Dyrrachienſium numus.

Differunt ambo inſcriptione & characteribus quibusdam minutis aliis, ab omnibus illis, quos vulgarunt GOLTZIVS, SPANHEMIVS, BEGERVS, de WILDE, WACHTERVS & ipſe *Io. Iac.* GESSNERVS.

28. ΜΕΝΙΣΚΟΣ. Vacca cum vitulo, deſuper aquila.

ΔΥΡ. ΔΙΟΝΥΚΟΥ. Idem Alcinoi quadrangularis horti typus.

Cel. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 461. primo loco huius numi typum exhibet.

C 2 29. ΦΙ-

29. ΦΙΛΩΤΑ. Idem vaccae & vituli typus, ante quem tripus, desuper corona hederacea.
ΔΥΡ... ΤΟΡΙΟΥ. Idem solitus Alcinoi horti typus.

Neque hunc denarium in nobilissimorum antiquariorum scriptis deprehendes.

30. ΚΤΗΤΟΣ. Idem typus, ante vaccam spica, in imo vua.
ΔΥΡ. ΔΑΜΗΝΟΣ. Idem typus, quem praecedentes omnes in auersa exhibent.

31. ΞΕΝΩΝ. Vacca lactans vitulum, in imo vua.
Eadem inscriptio, quae praecedentis erat, idemque typus.

32. ΞΕΝΩΝ. Vacca ex cuius vberibus vitulus pendet, ante eandem fax accensa, pone spica, & desuper duo apiaria cernuntur.
ΔΥΡ. ΦΙΛΑΙΑ. Idem Alcinoi quadrangularis horti typus.

33. Eadem aduersae epigraphe, idemque bouis & vituli typus, desuper aquila, infra canis venaticus.
ΔΥΡ. ΦΙΛΟΔΑΜΟΥ. Idem typus, quem in praecedentium auersa vidimus.

34. Eadem aduersae inscriptio, idemque solitus horum denariorum anticae & posticae partis typus, in antica insuper aquila expansis alis sceptro insidens cernitur, posticam ambit haec epigr. ΔΥΡ. ΧΑΡΟΠΙΝΟΥ.

35. Idem aduersae typus, eademque inscriptio, loco aquilae corona cernitur.
... ΝΕΒΙΙΣ... Idem Alcinoi quadrangularis horti typus.

36. ΞΕΝΩΝ. Ex vtraque pagina conuenit cum antecedentium typis, posticae partis inscriptionem temporis iniuria prorsus exesam offendo.

37. ΚΕΡ-

37. ΚΕΡΔΩΝ. Solitus aduerſae typus, pone vaccam palma.
ΔΥΡ. ΜΡΙΣΤΗΝΟΣ. Regis Alcinoi hortus.

Elegantioris fabricae denarius, quem haud vulgatum deprehendes. Perilluſtr. SPANHEMIVS *de vſu & praeſt. numiſm.* diſſ. VIIII. tom. I. pag. 569. ſqq. praeclare docet, ſolemni more antiquitus receptum fuiſſe, vt omnia ſua decora ac praeſidia ab originibus ſuis metropolibus, abſummerent ac retinerent conditae ſiue deductae ab iis vrbes vel coloniae, & hinc eadem paſſim cum matribus ſuis, communia vtriſque, numiſmatibus ſuis imprimebant ſymbola vel inſignia. Cuius rei, praeter luculenta apud antiquos auctores teſtimonia, clariſſima inſuper ac indubitatae fidei argumenta ſubminiſtrant veteres, ac Graeci potiſſimum, numi. Huius rei fidem confirmant cum antecedentes Dyrrachienſium denarii, tum ſubſequens Apolloniatarum numus. Dyrrachium Corcyraeorum coloniam fuiſſe ex *Thucydide* conſtat, quod itidem ſimilia a Corcyraeis apud GOLTZIVM procuſa docent numiſmata; & hinc omnibus iſtis Dyrrachienſium numis coloniae originem adumbratam eſſe eruditi exiſtimant. NONNIVS in *comment.* ad *Hub.* GOLTZII *Gr.* pag. 4. ingenue fatetur ſeſe neſcire quid altera numiſmatum pagina deſignet, *οὐδὲν*, inquit, *ὁρίζω*, *peritiores explicabunt.* BEGERVS NONNIO ſuccurrit & ex antiquiſſimo ſcriptore *Homero* quadratam illam figuram ad Alcinoi hortos reſpicere primum docuit. Extra dubium pono, inquit, ſchema hoc hortum praefigurare poſſe; quis enim neſcit, non tantum hodie, ſed etiam vetuſtis temporibus, variatos & terrarum & plantarum ductus, hortorum planities diſtinguere ſolitos? quis neſcit vel muris vel virgultis circumcirca ſolitos cuſtodiri? Illud in numiſmatibus noſtris interiores biſecti quadri lineolae adumbrare videntur, hoc exterius quadratum lineolis illis circumductum, intra quod & interior via includitur deambulationibus opportuna, praecipuo hortorum poſt fructus delectamento, caetera. Hactenus cl. BEGERVS. NONNIVS lib. perſaepe laudato altera numi pagina agrorum felicitatem deſignari autumat, dum: numiſmata haec, inquit, bouem habent

bent cum lactante vitulo; cui aliquando frumenti ſpica, aliquando etiam nauis clauus, vuae botrus, aratrum, vel aluearia adſunt. Nihil aliud videntur deſignare, quam agriculturae illos ſtudioſos fuiſſe: agrumque illis fuiſſe compaſcuum & fertilem, reliqua. Cel. WACHTERVS, nobiliſſimus Lipſienſium antiquarius, paucis vtramque horum numorum paginam ita explicat: numi, inquit, partim coloniam in genere, ſub rei pecuniariae, quae omnis coloniae fundamentum eſt, imagine, partim antiquas inſulae delicias, hortos inquam Alcinoi, qui ſunt proprius illius inſulae, in qua Alcinous regnauit, character, depingunt. Idem vir eruditiſſimus, NONNIVS & HARDVINVS, addit, hiſce imaginibus nihil aliud quam ſoli fertilitatem & ſtudium agriculturae deſignari putant. Quo ipſo ſupponunt, eandem rem in vtraque numi area, figuris ſaltim diuerſis, expreſſam eſſe. Quod, quam alienum ſit a conſuetudine veterum, neſcio quo pacto viros in re numaria ſumme peritos effugere potuerit, caetera; vid. WACHT. *archaeol. numar.* cap. VIII. §. 27. ſq. Accedimus iam ad minutiſſimarum, in his Dyrrachienſium numis occurrentium, figurarum explicationem. *Perſonam* illam in prioris denarii aduerſa vaccae aſſiſtentem colonum aut colonam eſſe cl. WACHT. loco modo allato aſſerit. *Fulmen, aquilam* & *ſceptrum* ad Iouem, *facem* & *canem* ad Dianam, *tripodem* ad Apollinem, *coronam hederaceam* & *vuas* ad Bacchum, *ſpicam* ad Cererem, *apiaria* denique ad Meliſſem Dyrrachii matrem reſpicere BEGERVS exiſtimat; vid. *theſ. Brand.* tom. I. pag. 455. ſqq. Tandem ad Dyrrachienſium numorum inſcriptiones quod attinet, *Lud.* NONNIVS Poletarum vel tribunorum vel etiam monetariorum nomina eſſe exiſtimat. BEGERVS Poletas reiicit, quod vnus tantum & quidem annuus fuerit, reiicit & tribunos & praetores, recipit autem monetae praefectos. Nos in re tam dubia potius paſſim laudatum WACHTERVM ſequimur, qui, loco antea excitato, has numorum inſcriptiones magiſtratuum, ſub quibus numi ſignati ſunt, nomina innuere arbitratur.

APOL-

APOLLONIATARVM.

38. ΑΓΙΑΣ. Vacca lactans vitulum.
ΑΠΟΛ. ΕΠΙΚΑΔΟΥ. Alcinoi quadrangularis hortus.

Ex ſplendidiſſimo SENATVS Lipſienſis κειμηλιαρχείῳ numum hunc optime delineatum exhibet cl. WACHTERVS. Apollonia itidem Corcyraeorum colonia idem & originis, & deductae coloniae, ſymbolum exhibet, quod Dyrrachienſes & Corcyraei ipſi in numis ſuis quondam expreſſerunt, idque ob antea in SPANHEMIO excitatam rationem; conf. illuſtriſſimus *Ezech* SPANHEMIVS diſſ. IIII. tom. I. pag. 210. vtrumque, inter alia antiquariorum princeps inquit, ſymbolum, tum *vaccae cum lactante* vitulo, tum *quadrate areolae* cum fructibus, ab antiqua patria ſeu Corcyraeis, quorum erant coloniae Dyrrachium & Apollonia, iuxta notum coloniarum morem, eſt deſumptum, caetera.

39. Caput Dianae, pone quod arcus & pharetra, ambiunt ſcuta Macedonica.
ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. Claua Herculis & tria monogrammata corona quernea cincta, cum Iouis fulmine.

Tetradrachmus. Idem iſtud numiſma adſeruatur in ampliſſimis Sereniſſ. Boruſſorum Regis theſauris; vid. BEGERVS l. c. tom. I. pag. 481. *Dianam pharetratam* aduerſa numi pagina exhibet, quam Macedones peculiari cultu proſequebantur, quod venationis egregie ſtudioſi eſſent. Altera numiſmatis facies *clauam Herculis*, cum Graeca inſcriptione, *Macedonum primae*, ſiſtit. Epigraphe in prima Macedoniae regione hunc ſignatum fuiſſe indicat, quippe quae in quatuor regiones a Paullo Aemilio diuiſa fuit; *claua* autem, in honorem Herculis, a quo Macedoniae reges originem ſuam deducebant, in auerſa numiſmatis pagina expreſſa cernitur. *Corona quercea* & *fulmen* Iouis ſunt inſignia. Macedoniam quidam a Macedone Oſiridis filio, alii a Macedone Iouis filio, alii ab Aeoli filio Macedone, alii denique ab aliis hanc regionem Macedo-

niam dictam fuisse volunt. Ab Aemilio deuicta in quatuor diuersas regiones diuisa fuit, de qua Macedoniae diuisione fusius egit *Liuius*. Eo tempore Aemilius haud in prouinciam redegit Macedoniam, verum liberam, & suis legibus vtentem eandem reliquit. Exactis autem viginti annis a Q. Caecilio Metello prouincia facta est. Latius haec prosequitur *Lud.* NONNIVS in *comment.* ad GOLTZ. *Graec.* pag. 122. conf. illustr. SPANHEMIVS *dissert.* VIIII. cl. *Laur.* BEGERVS *thes. Brand.* loc. cit.

40. Idem Macedoniae numisma.

Id nuper ex dono fulgentissimi apud Cibinienses in Transsiluania theologi cl. *Christiani* ROTH, numquam, mihi praesertim, nisi honoris caussa nominandi, ad illustris SCHVLZII thesauros accessit.

ISTRIANORVM.

41. Duplex vultus, alter ad ortum, alter ad occasum conuersus.

ΙΣΤΡΙΗΑΠ. Haliaeetus, delphino & vngues & rostrum insigens.

Numisma, quod, ob singularem elegantiam & dissimilitudinem a typis hactenus vulgatis omnibus, delineandum curauimus; vid. tab. II. num. II. Sub *duplici vultu* Istrianorum vrbis, in Asiae Europaeque confiniis positae, situm sibi imaginatur BEGERVS. Auersa numismatis pagina, ex eruditorum sententia, ad *naualem potentiam* refertur, tum quod haec vrbs mari vicina fuerit, tum quod *Plinio* & *Ammiano Marcellino* eius tractus pulcherrima & *potentissima* audiat. *Aquila* olim potentiae erat insigne, *delphinus* autem maris incola & rex; & hinc aquila delphino rostrum & vngues insigens potentiam & maris dominum sibi vindicat. Aquilam hanc ex earum genere videri obseruat BEGERVS, quae Graeco vocabulo *haliaeeti* vocabantur: de hac enim *Plinius* lib. X. cap. III. *superest*, inquit, *haliaeetus*, *clarissima oculorum acie*, *librans ex alto sese*, *visoque in mari pisce*, *praeceps in eum ruens*,

&

& discussis pectore aquis, rapiens; vid. *Lud.* NONNIVS in *comment.* ad GOLTZII *Graec.* pag. 161. BEGERI *thes. Brand.* tom. I. p. 488. sq.

AEREI.

PHILIPPI.

42. Caput Philippi diadematum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Vir, qui Alexander M. statuitur, equo insidens.

Equitem certe numis imposuit rex Philippus, vel vt nominis exprimeret naturam, vel vt reuera amorem & studium circa equos ostenderet. *Iustinus* enim lib. VIIII. cap. II. testatur, Scythis deuictis eum viginti millia equarum in Macedoniam misisse. Macedoniae autem vt & Thessaliae pascua ad alendos equos laudatissima & nobilissima fuere; vid. de WILDE *select. numism. antiqu* pag. 8. *Lud.* NONNIVS aliam auersae typi reddit rationem, nimirum in memoriam victoriae, quam equo in Olympicis obtinuit Philippus, numum hunc signatum esse asserit; NONN. in GOLTZII *Gr.* pag. 171. Cl. BEGERVS Alexandrum Bucephalo insidentem hic agnoscit, rationes, quibus hanc coniecturam stabilire conatur, occurrunt in *thes. Brand.* tom. I. pag. 238. Ad superiora Philippi argentea numismata fusius & de Philippo ipso, & de simili Philippi numo, egimus.

ALEXANDRI MAGNI.

43. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Alexandri galea ornatum caput, in qua effictus cernitur Neptunus, pone cassis Macedonica.

ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΩΘΕΙΣΑ. Alexander currui quatuor elephantorum insidens, ante se habens manibus post terga reuinctis captiuum, intrans portam vrbis, vel arcum triumphalem, cuius in vno latere quadriga equorum, currum antecedunt tubicen alte elatam tubam inflans & persona signum militare, labaro simillimum gestans, victoria per aera volitat currumque respicit.

Primae magnitudinis numiſma, quod, propter diſconuenientiam cum illuſtr. CVPERI typis, tab. II. num. III. accurate delineatum ſiſtimus. Celeberrimus CVPERVS, cuius in rem numariam ſumma merita dudum agnouerunt viri eruditiſſimi, ſimile paene νόμισμα recentioris fabricae eſſe exiſtimat. Commemorabimus prius illuſtriſſimi viri ſententiam, deinde noſtram itidem adiiciemus opinionem. Elephantorum curru, in *exercit. I. de elephantis in numis* pag. 47. ſcribit illuſtr. CVPERVS, Alexandrum triumphaſſe vel vrbem ingreſſum eſſe numus nos docet, deſcriptus in *muſeo Cuſpiniano*, cuius in vna area caput galea ornatum, in galea effictus Neptunus, & ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ; in altera vero idem Alexander inſidens currui IIII elephantorum ante ſe habens manibus poſt terga reuinctis captiuum, intrans arcum triumphalem, ante currum victoria volitans & tuba canens, mileſque gerens enſem, ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΘΕΙΣΑ. Sed bene habet, addit vir illuſtris, quod *Laurentius* LEGATVS, qui muſeum illud edidit & notis illuſtrauit, exiſtimet hunc numum temporibus Alexandri adſcribi non debere; veterem tamen eum facit. Si numum ipſum inſpicere daretur, melius iudicare de illius vetuſtate poſſem; neſcio enim quam ſuſpicioſus eiuſmodi in rebus ſim; & crediderim potius vltimorum ſaeculorum haec commenta eſſe; maxime cum mihi ſimilis plane ſit ex aere maioris formae, quem mihi dono dedit myſteriorum diuinorum apud nos interpres eruditus, ex cuius ectypo patebit ſcribendum in altero eſſe ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΩΘΕΙΣΑ. *Perſis capta.* Hactenus illuſtr. CVPERVS. Cel. GESSNERVS in *reg. Macedoniae numiſm.* pag. 29. hanc illuſtr. CVPERI coniecturam repetit. Ex inſigni hoc cel. SCHVLZII numiſmate bene multa poſſunt & debent emendari. Aduerſa enim in ill. CVPERI & cel. GESSNERI typis, ex male conſeruato archetypo forte, exhibet ornamentum aliquod fere campaniforme, quod male appenditur galeae. Noſter, quam optime conſeruatus, hic clariſſime ſeparatum illud corpus exhibet, quod nullus dubito eſſe caſſidem Macedonicam in numis pluribus obuiam; vid. GOLTZIVS in *Graec. numiſm.* tab. XXII. num. I. qui

typus

typus apud GESSNERVM tab. XXXXI. num. 9. occurrit, conf. BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. pag. 241. Galeam Macedoniae symbolum sistit de WILDE in *numism. antiqu.* num. 19. 20. & 21. In auersa huius numismatis facie clarissime legitur ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΩΘΕΙΣΑ. Antecedunt praeterea currum non miles ensem gerens, sed tubicen & persona quaedam signum militare gestans. Victoria volitans, currum respiciens, conspicua est; sed altera figura, victoriae aduersa, haud apparet in eleganti hoc SCHVLZIANO. Tandemque hoc νόμισμα cusum esse ex eo maxime colligo, quoniam vna parte crassius est altera; quod ob formae superioris, quam non satis firmiter tenuisse videtur suppostor, maiori & fortiori impressione factum suspicor; id quod in fuso non videtur potuisse aeque accidere. Est autem insignis iste numus quarta minimum parte maior illo, quem *Gisbert* CVPERVS exhibuit. Vt sit minor aetate Alexandri M. sane non potest esse recentissimi aeui, sed venerandam antiquitatem sustinet: quam determinare non ausim. De Alexandro M. plura ad argentea eiusdem numismata commemorauimus.

44. Caput Alexandri in exuuiis leonis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Iupiter ἀετόφορος sellae insidens, d. aquilam, s. hastae, seu potius scipioni nodoso innititur, in area monogramma ex Π. Α. & Ο. compositum.

Eleganter signatum secundae magnit. numisma, cuius vberiorem supra ad primum Alexandri M. argenteum suppeditauimus interpretationem. De *monogrammatibus*, quae persaepe vrbes, in quibus numi cusi sunt, non raro nomen magistratus, qui numorum curam gessit, denotant, supra itidem actum esse recordor.

45. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Caput Alexandri nudum.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. Νεωκορων. Mensa super quam duae vrnae insertis palmae ramis, sub mensa cernitur vasculum, quod praefericulum appellitant.

Sec. magnit. numisma, cuius vtramque paginam optime expressit cel. *Carol.* PATINVS in *numis aer. impp. Roman.* pag. 10. & 12. In-

ter numos Alexandri, quos hodie terimus, reperiuntur etiam quidam poſt eiuſdem obitum cuſi. Ob inſignem nempe illius herois, ſequutis adhuc aetatibus, apud Macedonas ſuos cultum, renouatam fuiſſe ſubinde, neque in numis ſolum, ſed in omni pretioſo momentarum genere, tabulis, clypeis, ſtatuis, annulis, eius effigiem nouimus; eaque vt plurimum adſcripto ſolo herois nomine, vt omnes alios titulos longe ſupergreſſo, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, deprehenditur. Vt autem conſtaret quorum iuſſu & auctoritate hi numi eſſent percuſſi; hinc in hoc numiſmate legitur: ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. Νεωκορων. Vocibus ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ *communia Macedoniae certamina* ſignificari ſtatuit HARDVINVS, in libro de *numis antiqu popp. & vrbium* pag. 309. & 93. Cl. *Carol.* PATINVS *lib. cit.* pag. 11. has voces interpretatur de vniuerſo conuentu Macedonum, qui honores publicos Alexandro M. geſſit. Vox ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quae initiali ſaltim littera in hoc numiſmate cernitur, ex BEGERI, HARDVINI, VAILLANTII, aliorumque ſententia, *aedituos & ſacrarum aedium curatores* deſignat. Plura de hac voce vid. in tom. I. *Hiſt. de l' Acad. des inſcript.* conf. GESSN. *reg. Maced. numiſm.* pag. 11. de WILDE *ſelect. num.* pag. 19. Solemnes agonum typi, vtpote menſa in cuius medio vrnae cum palmae ramis, qui in auerſa numiſmatis facie conſpiciuntur, inſcriptioni multum lucis affundunt: *vrnae*, PATINVS inquit, altaribus impoſitae, *palmis* exſtantibus, indicant ſuffragia in ludis ferri ſolita, quibus victores palma donabantur. Perilluſtr. *Ezech.* SPANHEMIVS de *vſu & praeſt. numiſm.* edit. optim. tom. I. pag. 382. ſimile ferme produxit numiſma; quod vir illuſtriſſimus primum ex Gallorum regis gaza vulgauit; quodque in ſingularis & anniuerſarii illius certaminis memoriam ſignatum eſſe aſſerit.

DEMETRII POLIORCETAE.

46. Caput Demetrii diadematum, cum cornu taurino.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Neptunus, pede dextro ſaxo impoſito, ſiniſtra tenet tridentem.

Sec.

Sec. magnitud. numiſma, quod cel. *Sigbert.* HAVERCAMPVS fuſum eſſe autumat. *Cornu taurino* caput ornari voluit Demetrius exemplo Liberi Patris, cuius morem & cultum aemulatum fuiſſe, *Diodorus* & *Plutarchus* tradiderunt; vid. illuſtr. SPANH. *lib. laud.* tom. I. pag. 399. GOLTZIVS perperam Demetrio Gonatae filio hoc nomiſma tribuit, quod itidem cl. NONNIVS pridem obſeruauit, dum in laudato ſuo commentario ad GOLTZII *Graec.* pag. 202. *Suſpicor*, inquit, *hos numos potius eſſe Demetrii Poliorcetae, ſiquidem ille egregias multas victorias nauales habuit;* conf. illuſtr. SPANHEMIVS *loc. cit.* cl. BEGERVS *theſ. Brand.* tom. I. pag. 250. Demetrius Poliorcetes Antigoni filius, varia fortuna aduerſus Ptolemaeum Lagi, Demetrium Phalereum, alioſque praeclaros belli duces bellum gerens, tandem regnum occupauit; *Iuſtinus* lib. XVI. cap. II. Vberius de vita & rebus geſtis Demetrii Πολιορκήτȣ, praeter antiquiores, egit *Lud.* NONNIVS *lib. cit.* pag. 187. ſqq.

ANTIOCHI II. VVLGO DEI.

47. Caput Apollinis laureatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Tripus, ad cuius pedes ancora.

Perilluſtr. *Ezech* SPANHEMIVS aereum hunc Antiochi numum ex Gallorum regis theſauris primum vulgauit, eiuſdemque typum tom. I. pag. 406. exhibuit. De Seleucidis Syriae regibus credebatur olim, illos Apollinem generis ſui auctorem habuiſſe. Seleuco primo in hac ſerie regi, & imperii fundatori, mater ad bellum eunti, annulum ferreum dedit, quem antea concubitus proemium ab Apolline acceperat, cuiuſque in gemma ancora inſculpta erat, genitale Seleucidarum inſigne; & hinc facile colligimus vtramque huius numiſmatis faciem Syriae regum originem reſpicere; vid. perilluſtr. SPANHEM. de *vſu & praeſt. numiſm.* tom. I. pag. 404. ſqq. BEGERVS *theſ. Brand.* tom. I. pag. 165. & 251. *Laurus*, cithara & *tripus* Apollinis olim erant inſignia. Tripodem machinam quandam, hiatui terrae, ex quo fatidicus ſpiritus prodibat, ſuperpoſitam fuiſſe, cui inſidens Pythia deum captabat, & vaticinia peten-

 tibus

tibus dabat, ex *Diodoro* BEGERVS docet. Quidam *tripodem* fuisse mensam, alii vas quoddam, plerique autem perforatum sedile, tradiderunt. Plura de Apolline & tripode commemorant *Lil. Gregor.* GYRALDVS in *hist. deorum* pag. 218. sqq. BEGERVS *lib. cit.* pag. 56. sqq. De Antiochi rebus praeclare gestis vid. VAILLANTIVS in *Seleucid. imp.* pag. 28. sqq.

PTOLEMAEI PRIMI REGIS AEGYPTI.

48. Caput dei Ammonis.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila stans fulmen Iouis vngulis tenet; inter vtrumque pedem monogramma, illi, quod christianis post multa saecula placuit ad nomen CHRISTI designandum, admodum simile; ante aquilam copiae cornu.

Primae magnitud. numisma, cuius ἔκτυπον tab. II. num. IIII. cernitur. Omnibus numeris absolutam numismatis huius interpretationem suppeditarunt ineditae illustris SCHVLZII obseruationes, ex quibus nos omnia ad hunc numum spectantia deprompsisse ingenue fatemur; ita autem ipsa cel. SCHVLZII verba sonant: numus, quem exhibeo, est integerrimus, & qui se antiquum & genuinum firma & nobili aerugine fusca cuiuis exploranti comprobabit. Magnitudinem totumque eius habitum delineatio accuratissima docebit. Non autem exhibeo illum tanquam nouum. Probe enim scio, multos de eo, & monogrammate, quod exhibet, sententiam dixisse: quos ante hos XXXXIIII. annos singulari dissertatione complexus est vir celeberrimus & de omni litterarum republica optime meritus *Io. Burc.* MENCKENIVS, qui & iconem, ad nostram proxime accedentem, adiecit. Postea etiam R P. *Io.* HARDVINVS ad PLINIVM lib. V. cap. XXXI. sect. 36. dedit ectypon numi auersa parte haud adeo dissimilis, & de eo haec disseruit: *est ex aere maximae molis numus eximius, qui Iouis vultum parte priore exhibet: altera titulum* ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ *cum aquila, quae fulmini insistit, & inter aquilae pedes est monogramma, quod ibi arbitra-*

bitramur Χαλκὸς Ροδίων, *aes Rhodiorum.* Caput in aduerſa parte MENCKENIANI meique numi eſt Iouis Ammonis, diademate & cornu a temporibus prominente conſpicuum: ſimillimum, ſi diadema excipias, illi Mitylenaeorum, quod MORELLIVS *ſpecim. tab.* XXV. exhibuit cum epigraphe ΘΕΟC ΑΜΜΩΝ. Sed HARDVINIANA delineatio Iouis Ammonis maximam notam, cornu, omittit: omninoque videtur ille numus aut alium Iouem exhibere, aut aduerſam partem detritam vel aerugine exeſam habuiſſe, quia reliqua etiam imago multum diſcrepat. Sed de Ioue Ammone nihil habeo, quod nunc addam toties iam dictis & vbique obuiis. In auerſa pagina ſiſtitur nobis aquila ſtans, alis demiſſis, quieta & otioſa, Iouis fulmen vngulis ſuis tenens. Quantopere Ptolemaeis haec volucris placuerit, docent plurimi eorum numi, qui illam praeferunt. Sed videas in aliquibus eandem non quieſcentem, verum alas ad volatum pandentem, quin omnino volantem. Tam diuerſi habitus rationem aliquam ſubeſſe valde probabile videtur, & niſi me omnia fallunt, optime eam docet *Pyndarus*, quando eximiam ſuam citharam, Apollinis inuentum, quod iure communicationis Muſae etiam poſſident, ita commendat.

Καὶ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σβεννύεις
Αεννάου πυρὸς. Εὕ-
δει ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς, ὠ-
κείαν πτέρυγ᾽ ἀμφοτέρω-
θεν χαλάξαις,
ἀρχὸς οἰωνῶν, κελαινῶ-
πιν δ᾽ ἐπὶ οἱ νεφέλαν
ἀγκύλῳ κρατὶ, βλεφάρον
ἁδὺ κλαΐστρον κατέχευας, ὁ δὲ κνώσσων
ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, τεαῖς
ῥιπαῖσι κατοχόμενος.

Quae liberiori paraphraſi ſic redduntur in Oxonienſi editione: *triſulci fulminis inexſtinctum ignem, Iouis iram placans, exſtinguis,*

&

& Iouis aui, aquilae oſcinum principi ſuper eius ſceptro ſomnum conciliaſ: quo fit vt remiſſis & laxatis vtrimque alis dormiat, quum nubem obſcuram ſoporis ſuper aduncum eius roſtrum, qua ſuauiter clauduntur palpebrae, oculis affudiſti. Tum vero illa dormiens diffuſu facile & flexibile dorſum attollit, tamquam tuae harmoniae iaculis ſuperata & oppreſſa. Apparet ex hac antiquarum rerum callentiſſimi magiſtri inſtitutione, quod aquila fulmini quidem, ſed exſtincto, inſidens otioſa & quaſi dormitans, ſignum ſit Iouis placati & benigni. Accedit *Artemidorus onirocrit.* II. cap. 20. qui aquilam deſidentem fauſta deſignare docet. Quumque Cyrenaei Ptolemaeum ipſum Iouis Ammonis habitu in numis exhibuerint; qualem ill. SPANHEMIVS propoſuit tom. I. pag. 296. Ecquid aliud aquila ferias agens, fulmini tamen inſiſtens, deſignabit, quam exercitum eius, ad propulſandas quidem & vindicandas iniurias continuo paratum, nunc autem, domi & cum vicinis pace parta, quietum & feriatum? Pacis porro bona, abundantiam omnium rerum, denotat cornu copiae ad latus aquilae poſitum. Atque haec videntur ſatis iam expedita. Supereſt autem nunc alia quaeſtio, ſaepius agitata iam a variis doctrina & laude praeſtantiſſimis viris: quid nempe ſibi velit monogramma illud inter aquilae pedes & triſulcum fulmen poſitum? Equidem ſuo loco repoſitas, quae antea prolatae ſunt, ſententias doctorum virorum relinquo: pro ea autem libertate, quae ciuibus litteratae reipublicae permiſſa eſt, attingam pauculis, cur mihi aliqua videantur non ſatis probabilia: deinde, quid mihi in mentem venerit, ſubiungam. In HARDVINIANA quidem expoſitione illud merito deſiderandum videtur, quod nullo argumento conſtet hunc numum ad Rhodios pertinere. Certe vir doctiſſimus nullum ſuppeditat: videturque totum fundamentum explicationis eſſe P. littera. Deinde placere non poteſt, quod in litterarum compendio latitare credit χαλκὸς Ροδίων, aes Rhodiorum. Quid, quaeſo, opus erat homines monere, hoc, quod omnes ſine dubio oculis ſuis credere poterant, aes eſſe. Neque enim licet cogitare de altero ſignifi-

catu

catu vocis χαλκός, qua oboli octauam partem denotat: nam maximae molis numus hanc explicationem illico respuit. Sed forte hoc sensit HARDVINVS, numum conflatum esse ex aere Rhodiis domestico, & ex insulae fodinis eruto, non aliunde allato. Enimuero Rhodum non memini metallorum prouentu celebrari. Nam quod *Strabo* lib. XIIII. scribit vrbem Rhodum a Telchinibus conditam, qui primi dicantur ἐργάσασθαι σίδηρόν τε καὶ χαλκόν; non illico probat eos in hac vrbe aut insula haec metalla e terrae visceribus extraxisse. Nam praecedit ibi, venisse hos homines primum ex Creta in Cyprum, deinde in Rhodum. Scilicet in Cypro aes fossum & excoctum videtur, Rhodi autem fuisse artifices, qui ex ferro & aere varia ad vsum pararent. Sic Norimberga plurimos habet ciues ἐργαζομένους χαλκόν: sed propterea nullam libram aeris ipsi in sua regione effodiunt. Prostant sane antiqui numi, qui metallorum prouentu diuites tractus notant: quales sunt sub Traiano cusi, quibus MET. NOR. & METAL. DELM. inscribitur, pridem noti: quibus adiiciendus est, de quo doctissimus vir, & elegantiarum numismaticarum gnarissimus aestimator, in Hungaria me monuit, antea non descriptus, qui METAL. VLPIVM celebrat: de quo me spero alio tempore plenius scripturum, si, quam exspecto, numi accuratam iconem atque ipsius generosissimi possessoris explicationem nactus fuero. Sed ipsa laudatorum numorum perspicuitas, quae lectores plene instruit, dubitare nos facit de Rhodiis, elegantium & cultorum virorum copia semper adfluentibus, quod suae prudentiae conuenire putauerint, si patriae diuitias iactaturi, id facerent obscuro monogrammate. Ne dicam quam indecens videatur vrbi, quae regem honorare cupit, in eodem numo suam ostentare abundantiam. Aduersus illos, qui hic latitare initium alicuius epitheti, ad Ptolemaeum regem pertinentis, suspicati sunt, inuictum puto esse argumentum, quod doctissimus MENCKENIVS in dissertatione laudata attulit: nullum vnquam scriptorem meminisse vllius agnominis cuidam Ptolemaeo attributi, in quo litterae huius monogrammatis

initium faciant. Neque probari vllo exemplo posse, quod huius generis adiicialia verba litterarum compendio exhibita fuerint; praesertim in magnis numis, vbi abunde multum est spatii capiendis integris vocibus, quae regibus honorem afferunt. Dicam nunc, quid mihi videatur, sed ea conditione, vt magis exercitatorum iudicio liberrimo & aequissimo subiectas hasce suspiciones meas cupiam. Ipsemet locus, quo positum hoc monogramma videmus, non videtur permittere, vt aliquid suspicemur, quod ad principis personam priuatim pertineat. Quis enim non putet indecens, si pedibus ministri sui subiiciendus aut admouendus esset princeps. Iam vero aquila, si ad Iouem refertur, est ipsius minister. Et vbi Iouis imagine principem aliquis exhibuit, aquila eidem adiuncta denotabit illum ordinem, per quem fulmina sua mittit in eos, qui se proterue gerendo indignationem suam concitarunt. Pedibus igitur aquilae tutantis & protegentis nomen suum merito adponunt, qui vel subiecti sunt imperio, vel socii, quorum securitas ab aquilae tutela dependet, quique ipsa subiectione se tutos a fulmine, quod in promtu est, sentiunt. Ita cogitantem confirmauerunt numi, quos inter Lysimachi nomen praeferentes non paucos inuenimus, vbi sellae, cui Pallas in auersa parte insidet, subscriptum inuenimus, prioribus saltem litteris suis, nomen vrbium. Tales sunt bini aurei in *commentariis Regiae Academiae elegantiorum litterarum Parisiensis* tom. IX. pag. 240. quibus Byzantini subscripserunt. Lysimacho autem Pallas non minus, quam aquila Ptolemaeis, placuit: tanquam significare voluisset, sibi potius videri consilio, quam armata vi, tutari gentes subiectas. Quid, quod ipsi imperatores Romani Iouis, colossea magnitudine exhibiti, pedibus se apponendos curauerunt. Insignes sunt numi aurei in *Arschotanis* tab. XVI. num. 5. & tab. XVII. num. 9. quibus Traianum Augustum sub pallio Iouis & fulmine eius consistentem adspicimus: quorum priori circumscribitur, ne de sensu dubitemus, CONSERVATORI PATRIS PATRIAE. Quaerenti autem mihi vel vrbem Aegyptiam, vel Aegypto salutis suae caussa

caussa sociatam gentem, quae in huius monogrammatis ductibus contineatur, obuii fuerunt *Cyrenaei*, in quos omnia aptissime conuenire arbitror. Tres priores litterae K. Y. P. plane conspicuae adsunt. Tanquam basis est P. cuius cruri a dextro latere adhaerescunt illi in angulum coeuntes lineae, quae cum eo efficiunt K. Iam his Y. ita iungitur vt iaceat in huncce modum ≻, atque crus eius decussat crus τοῦ P, seque a dextris coniungat cum superiori illa linea, quae ad K denotandum iam aderat. Et sane in numo clarissime video illum ductum non valde obliquum, sed fere horizontalem. Sed & possumus litteras sibi implicatas alio modo, qui ad eundem tamen sensum redit, extricare, vt manentibus omnibus, quae de P. & K. diximus, alteras duas in angulum coniunctas lineas, cruri τοῦ P ad sinistram applicatas, pro K inuerso accipiamus, & pro Y illos binos in angulum coeuntes ductus, inter quos semicirculus τοῦ P. ponitur. Sic K duplicatum habemus & scriptura integra erit K. KYP. id est Κοινὸν ΚΥΡηναίων. Duxit me ad hanc omnem coniecturam numus, quem illustris SPANHEMIVS publicauit, cuius altero latere imago regis Ptolemaei cornuta, ad exemplum Iouis Ammonis, sistitur, cum epigraphe: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ: ex altera parte silphium exhibetur, cum litteris KYP. KOIN. qua inscriptione omnem pentapolin Cyrenaeorum comprehendi existimo. Neque historia, spero equidem, mihi hic repugnat. Docet enim *Diodor. Siculus* libr. XVIII. ad quem modum, quoque tempore Cyrenae, vrbesque vicinae amissa libertate Ptolemaico regno subiectae fuerint. Id vero quum primis statim ab Alexandri M. obitu annis acciderit: nullo sane negotio conficitur, numum hunc *subiectionem Cyrenaicae gentis describentem*, referendum esse ad *Ptolemaeum primum*, conditorem Ptolemaicae gentis, quae imperium Aegypti vsque ad illud tempus tenuit, quo Romanis tam nobile regnum, sub ipsa nascente monarchia, penitus subiectum fuit. Atque haec habui de monogrammate in numis Ptolemaeo inscriptis occurrente. Nolim tamen contendere hanc explicationem hisce numis accommodatam, caeteris monumentis

 vetu-

vetuſtis, ante ſuſceptam religionem chriſtianam elaboratis, ſi qua certae fidei cum hoc monogrammate ſuperſunt, debere applicari, eaque ad eundem ſenſum cogi. Sufficiat mihi, ſi idoneis arbitris viſus fuero non improbabilia de his numis attuliſſe. Proſtant etiam numi Ptolemaeorum, vbi in area viſuntur litterae KI, quos manifeſtum eſt ibi non poſſe deſignare aeram aliquam, quum illa ſeorſim exſtet. Videant, quibus manibus propriis tractare tales licet, an non forte pro I in illis exſtet Y, quod in detritis & aeruginoſis numis delineantium oculos fefellerit. De *cornu copiae* in hoc numo nihil volebam initio adiicere. Nolo tamen reticere me dubium eſſe, quid illud eſſe dicam, quod ipſi, tanquam fulcrum aut ſcala adiectum eſt. Conſideraui multorum aliorum delineationes, quarum aliae videbantur taeniam aliquam, illud vincientem, exhibere, aliae potius aliquam machinam, qua ſuſtentetur. Verum probe ſcio ſaepe accidere, vt talia pictores pro ſuo quiſque ſenſu, ſtudeant clariora delineando reddere. Haec ex illuſtris SCHVLZII autographis obſeruationibus, quae itidem ſplendidiſſimis *ſcientiarum Petropolitanae ſocietatis commentariis* inſertae ſunt, prelo ſubiicimus. Tandem de numiſmatis huius imagine, tab. II. num. IIII. exhibita, teſtor, quod fideliſſime curauerim exprimenda; nec quidquam ab archetypo diuerſum in delineatione admiſſum eſt.

PTOLEMAEI PHILOMETORIS.

49. Idem Iouis Ammonis cornutum caput.

Ead. epigraphe; aquilae geminae fulmini inſiſtentes, in in area copiae cornu.

Anna Maria Iacobi de WILDE filia, quae parentis numos delineauit, tab. IIII. num. XXIII. inſignis huius numiſmatis typum exhibet. De *Ioue Ammone* admodum appoſite *Lucanus*, VIIII. *Pharſal.* 512.

Stat corniger illic
Iuppiter, vt memorant, ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.

Nomen

Nomen habet ab ἄμμ@, *arena;* quod delubrum eius in Lybiae parte arenosa conditum erat. Per *cornua* regiam potentiam denotant Phoenices, Chaldaei & Hebraei, prout praeclaro *Danielis* loco cap. VII. vers. XXIIII, apud ill. SPANHEMIVM demonstratur. De *aquilis*, quae auersam numi paginam occupant, videantur ea, quae ad praecedentem Ptolemaei I. numum enarrata sunt; conf. BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. pag. 148. sq. Cui autem Ptolemaeo, inter tot eiusdem nominis reges, solo titulo distinctos, aereus iste numus iure tribuendus sit ignoraremus; nisi de *Ptolemaeo Philometori*, Epiphanis filio, Agyptiorum regi quinto, ex *Iosephi* testimonio constaret, eundem quondam duo gestasse diademata, Asiae nempe & Aegypti. Huic opinioni vtique fauere videntur *geminae* illae *aquilae*, coniunctae potentiae egregium symbolum; vid. *Iosephi antiqu. iudaic.* lib. XIII. cap. VIII. *Copiae cornu* felicitatem & omnium rerum abundantiam, sub Ptolemaeorum placido regimine significat; conf. de WILDE *select. numism. antiq.* pag. 29. sqq.

50. ——————————

——Aquila insistit fulmini.

Cum in hoc aereo Ptolemaei nomen recurrat, nullum autem cognomen adiectum sit, nullaque prorsus nota appareat, qua hic Ptolemaei numus a caeteris discerni possit; hinc haud aliquis docebit, ad quem horum regum merito referendus sit elegans iste numus. De Ioue *Ammone* & *aquila* ad praecedentes Ptolemaeorum numos, & alibi passim, egimus.

PTOLEMAEI PHILADELPHI.

51. Ptolemaei laureatum caput, cum pectoris parte lorica sqamigera ornata.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila Iouis fulmen vngulis tenens, pone copiae cornu.

Eruditissimus thesauri Brandenburgici interpres tom. I. pag. 262. accuratam huius numi delineationem suppeditauit. Ptolemaeos auream quondam gestasse loricam ex *Iulio Capitolino* docet BEGE-

RVS. *Laurea* non tam regiam dignitatem, quam victorias designat; & hinc ſub *aquila* κεραυνοφόρῳ & imperii vires & opem diuinam, quibus victoriae obtinentur; ſub *cornu copiae* autem rerum abundantiam, & felicitatem intellexerim, quae victoriis & promouentur & firmantur; vid. cel. BEGERVS l. c.

52. Caput barbatum, leonis exuuiis ornatum.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila ſuperbe reſpiciens.

Quamuis auerſae numiſmatis paginae inſcriptio paullulum exeſa ſit; tamen ex eiuſdem partis typo ad Ptolemaeum quendam aereum hunc referendum eſſe ſuſpicor. De *leonis exuuiis* ſupra pag. 9. ad Alexandri argenteos egimus. Et quemadmodum Alexandri M. ſucceſſores, extincto rege, ſimillimo diademate vſi ſunt, quod ex ſupra dictis apparet; ita Ptolemaeum hunc, cuius effigiem ſpoliis leonis tectam aduerſa pagina exhibet, ſingulari hoc ornatu, identidem Alexandrum M. reſpicere arbror.

HIERONIS I. DINOMENIS F.

53. Caput Hieronis imberbe diadematum.

Νίκαι ΙΕΡΩΝΟΣ. Hieronis galeati & haſtati ſtatua equeſtris.

Sec. magn. numiſma, cuius imaginem BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 291. ſiſtit. Hieronem, nominis huius primum Siciliae regem, bellicis artibus illuſtrem *equeſtrium certaminum victorem* exſtitiſſe fidem abunde praeſtant, praeter luculentos earum victoriarum praecones, plerique eiuſdem numi. *Diadema* regem demonſtrat. Eques armatus, haſtam in numo torquens, regiaque chlamyde inſignis, ſtatuas equeſtres Hieronis, in Elide, teſte Pauſania, poſitas, reſpicit. Plura, quae huic numiſmati lucem affundunt, reperiuntur apud illuſtr. SPANHEMIVM *de praeſt. & vſu numiſm.* tom. I. pag. 547. ſqq. conf. BEGERVS l. c. PARVTA in *Sicil. numiſm.* *Chryſoſt.* HANTHALER in *exercitt. de numis veterum* pag. 23.

54. Idem, eiuſdem paene magnitudinis, numiſma.

55. Idem νόμισμα mutato paullulum typo.

56. Pro-

56. Proſerpinae aut Cereris coronata effigies, pone litterae ΙΩΝ.

Bigae aurigante perſona equos agens baculo; deſuper ſtella.

Numiſma. Quamquam nec Hieronis Siciliae regis effigiem, nec eiuſdem nomen numus prae ſe ferat; tamen ex typi iſtius ſimilitudine cum pleriſque eiuſdem regis, pietatem celebrantibus, numis coniicimus, hoc *νόμισμα* itidem ad Hieronis I. pertinere numiſmata. *Pietatem* regis cernis in ſimulacro ſiue *Cereris* ſiue *Proſerpinae.* Hae enim non tantum Syracuſis & in vniuerſa Sicilia, verum etiam Hieroni ipſi tanta ſuperſtitione colebantur, vt non dedignatus fuerit ſacrorum earum antiſtitem ſe ferre; vid. BEGERI *theſ. Brand.* tom. I. pag. 294. ſq. Auerſae numiſmatis typo *currulis Hieronis ſtudii* memoriam exhiberi loco allato BEGERVS aſſerit.

AGATHOCLIS.

57. ΑΓΑΘΟΚΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Fulmen alatum.

ΣΩΤΕΙΡΑ. Caput Dianae eleganter comtum; pone pharetra.

Elegantioris fabricae, & nobiliori aerugine conſpicuum numiſma, quod a Syracuſanis, ſed amiſſa libertate, ſub Agathoclis violenta dominatione viuentibus, ſignatum eſſe praeclare docet cel. *Iul. Carol.* SCHLAEGERVS in perelegantí *comment.* de *diis hominibuſque ſeruatoribus* §. 10. Aduerſae *fulmen* tyrannidis eſt inſigne. Ob hoſtes *Dianae Seruatricis* opera fuſos atque fugatos graeco ſermone loquentes populi eandem venerabantur, quod *Pauſanias* in *Atticis* cap. XXXX. comprobat. Syracuſani autem non habebant, cur toties ſe inſolentiuſque iactarent Diana Seruatrice, quippe quae ſub Agathoclis iugo cultores ſuos gemere patiebatur. Ita etiam alias tantum abfuit, vt pro huius ciuitatis ſalute Diana excubauerit, vt potius die feſto, in eius honorem acto, Syracuſae in Romanorum poteſtatem venerint; quemadmodum ex fide priſcorum narrat *Hub.* GOLTZIVS; vid. cel. SCHLAEGERVS loc. laud.

conf.

conf. BEGERVS *thes. Brand.* tom. I. pag. 297. HANTHALER in *exercitt. de numis veterum* pag. 24. Agathocles patre figulo natus figulinis vasis vsus est, pristinae vt memor esset fortunae. Tyranni istius memoriam posteris prodidit *Hub.* GOLTZIVS in *Sic. & magn. Graec. hist. ex antiqu. numis* pag. 171. sqq.

HIERONIS II. HIEROCLIS F.

58. Caput virile barbatum & diademate cinctum.

ΙΕΡΩΝΩ. Tridens cum duobus delphinis, in area litt. Ν.

Diadema, plerumque potestatis regiae insigne, Hieronis effigiem in aduersa expressam indigitat. *Tridentem* aut Neptunum ipsum, aut eiusdem regni locum quendam, i. e. maritimum, respicere indubium est; & hinc facile patet, *tridentem* simul vrbis cuiusdam Hieronis imperio subiectae symbolum esse, quanquam etiam ad copias Hieronis nauales omnino referri possit. Praeclara huius regis gesta in GOLTZII *Sic. & magn. Graec.* pag. 187. sqq. commemorantur. Cl. *Io. Iac.* GESSNERVS in *num. reg. Sicil.* tab. V. num. III. ex PARVTAE *Sicil. numism.* desumtum, SCHVLZIANO archetypo simillimum, typum exhibuit.

AETOLORVM.

59. Caput Oenei imperbe singulari galea ornatum.

ΑΙΤΩΛΩΝ. Apri dentes, desuper venabulum, in area vua.

Tert. magnit. numus, cuius typus in *thes. Brand.* tom. I. pag. 464. conspicitur. *Oenei* simulacrum in antica numi facie expressum cernimus, quem Calydone regnasse, & vitis plantam primum a Dionysio accepisse, aiunt; quod ad *vuam* in auersa effictam facit. *Venabulum*, quo aprum Calydonium Meleager excipiens confecit, & *apri dentes* totam decantatae illius venationis historiam, aut potius fabulam, respiciunt. Cum quondam Oeneus primitias frugum diis omnibus, vna tantum neglecta Diana, obtulisset; irata dea inusitatae magnitudinis.

Misit aprum, quanto maiores herbida tauros
Non habet Epirus.

Qui

Qui cum agros passim vastaret, pecora & agricolas tolleret, Oenei filius Meleager, damnis commotus, strenuissimos Graecorum principum conuocat, vt feram persequantur, cuius pellis pulcherrimi facinoris proemium erat. Meleager aprum confecit, pellemque Atalantae virgini donauit. Apri autem Calydonii dentes, vt inusitatae magnitudinis, ad Augusti vsque tempora Calydone seruati fuerunt; qui Romam illos transtulit, quorum alter in Bacchi templum in hortos imperatorios, alter in forum Augusti, collocabatur: longitudine dimidiam vlnam adaequabant; vid. *Laur.* BEGERI *obseruationes in numismata quaedam antiqua* p. 1. sqq. & annexas huic operi illustr. SPANHEMII & BEGERI *epistolas;* conf. *Lud.* NONNII *comment.* in *Hub.* GOLTZII *Graec.* pag. 27. sqq. BEG. *thes. Brand.* tom. I. pag. 467.

BRVTTIORVM.

60. Martis barbatum & galea ornatum simulacrum.
BPETTIΩN. Victoria d. tropoeum coronat, s. ramum gerit.

Sec. magn. numisma, cuius typus, a numo, quem BEGERVS *in thes. Brand. tom.* I. *pag.* 340. *vulgauit, paullulum differt.* Ad *Bruttiorum fortitudinem* referendum esse hoc νόμισμα vtriusque paginae typus suadet. Vix etenim aliud quidquam *Mars* & *Victoria* in numis indigitare solent. De Bruttiorum fortitudine & praeclare gestis vid. *Hub.* GOLTZ. in *Sicil. numism.* pag. 252.

61. Idem eiusdem magnitudinis numus, qui ab antecedente differt. Nam ante victoriam tropoeum exornantem copiae cornu, & pone eandem malleolus obseruantur.

62. Idem Martis galeatum caput.
BPETTIΩN. Bellona hastata fugiens ingens ambabus comprehendit scutum; in area litt. Φ.

Optime conseruatum sec. mod. numisma, quod proxime accedit ad typum, quem in *Prosperi* PARISII *rariorib. magn. Graec. numis* tab. I. num. 2. cernimus. Ex antiquariorum sententia & istud Brut-

 tiorum

tiorum νόμισμα bellicas populi huius virtutes respicit. Littera Φ. incerti nominis index est.

63. Caput Iouis barbatum; pone fulmen.

Ead. epigraphe; vir galeatus nudus, d. hastam s. scutum fulmine insignitum gerens, ad proelium tendit; in area caput bouis.

Numisma. Caput Iouis, a quo Hercules ex Alcmena genitus fingitur, *fulminis* indicio agnoscitur. *Virum pugilem* in auersa expressum Bretton Herculis filium, ceu vrbis & populi auctorem, respicere NONNIVS existimat. Huic viri cl. sententiae haud subscribit BEGERVS; verum ex Mamertinorum numis probat, *Mortem* in postica numismatis facie agnoscendum esse. Hic enim cum *bouis capite* aut bellum contra *Thurios*, aut gentis huius a Sabinis originem indigitat; vid. GOLTZII *Sicil.* pag. 252. sqq. HANTHALER *lib. laud.* pag. 63. sq. BEGERVS in *thes. Brand.* tom. I. pag. 342. sqq.

64. Caput Mineruae galea cristata ornatum, galeae Sphinx insculpta cernitur.

Aquila superbe respiciens, ad volatum alas pandens, insistit fulmini.

Exesa vtriusque paginae inscriptione dubius omnino essem, vtrum hoc numisma iure in hunc locum sit referendum, nisi typus ad Bruttios me remitteret. Similia ferme in Borussorum Regis thesauro adseruantur numismata, quae certiores hac de re nos reddere videntur. *Prudentiam* & *fortitudinem* Bruttiorum cum *vigilantia militari* coniunctam, quam *aquila* indigitat, numismatis typus respicit. *Sphinx* & noctua Mineruae quondam erant symbola. *Sphingem* autem simul doctrinae symbolicae, ab Aegyptiis iuuentae, insigne fuisse aiunt. Hoc scientiae genus, quod ante inuentas litteras vnicum & gratissimum Graecorum erat studium, a Minerua ex Aegypto in alias regiones illatum esse fertur; & hinc Palladis galeam plerumque Sphinge ornatam offendimus; vid. cl. WACHTERI *archaeol. numar.* pag. 85.

GELEN-

GELENSIVM.

65. ΓΕΛΩΙΩΝ. Caput Iouis diademate cinctum.
Herculis barbatum caput, leonis ſpoliis tectum.

66. Idem paullo minor elegantiſſimus.

Accuratiſſimam horum numorum delineationem & praeclaram eorundem, a cl. SCHVLZIO elaboratam, interpretationem nuperrime tandem reperii, cum iam anxie antiquariorum ſcripta perperam peruoluiſſem. Eandem illam numorum imaginem artifici caelandorum numiſmatum peritiori aeri incidendam tradidi, cuius opera typos prototypis ſimillimos in tab. II. num. V. & VI. effictos exhibemus. Ita autem reperta horum numorum ſonat interpretatio. Venerunt iu manus meas, ſcribit illuſtr. SCHVLZIVS, duo numi in vrbe Siciliae nominatiſſima Gela ambo percuſſi, ex aere pallidius flaueſcente: quos ob ſingularem elegantiam & integritatem vtique valde aeſtimo. Tanto autem maioris facio binos, bona fortuna acceptos; quoniam vterque ad antiqui ſcriptoris illuſtrationem, forte etiam emendationem facit: alter autem alterius fidem confirmat. Eſt vterque quidem moduli exigui: verum ita diſcrepant mole, vt maior ex his alterum craſſitie dupla ſuperet: minimus ad denarii Romani ſolitam craſſitiem accedat. Capitum figurae in vtroque tam nitide eminent, tamque eleganti artificio, praecipue in minori, elaboratae ſunt, vt cum praeſtantiſſimis antiqui operis certare de praerogatiua poſſe videantur. Idem fere eſt vtriusque typus, quem a perito pictore, ſeruata iuſta magnitudine, delineatum exhibeo. Aduerſa facies caput Iouis praefert, in maiori diadematum, in minori apertius laureatum. Alteri ſubſcriptum eſt: ΓΕΛΩΙΩΝ: alteri linea faciei oppoſita, totidem litteris adſcriptum idem nomen. Aduerſa pagina vtrobique ſiſtit Herculis caput, leoninis exuuiis tectum, ſub maxillis in nodum quaſi conſtrictis. Iſtud tamen diſcrepat, quod maior faciem aperte barbatam exhibet: minor autem omnino imberbem, iuuenilem, glabram. Nihil eſſe ſingulare in capitibus

 numi-

numinum, quae hi numi oſtendunt, facile largior: neque quidquam habeo, quod de ipſis afferam, noui. Id autem credo nondum eſſe protritum, quod hinc licet diſcere τὸ ἐθνικὸν, ſeu formam adiectiui nominis, quo ciues Gelae ſe ipſos antiquiſſimo aeuo ſignauerunt. Vmquamne aliquis antea ſimiles numos aeri inciſos dederit aut deſcripſerit, equidem nec certo negare audeo, nec affirmare valeo. Certe apud GOLTZIVM & *Proſp.* PARISIVM eos non deprehendo: neque *Io.* HAVDVINVS, qui numos populorum & vrbium ex inſtituto illuſtrauit, eos vel ipſe vidit, vel apud PARVTAM, quem ego fruſtra requiſiui, ille ſe inſpexiſſe teſtatur, inuenit. Vero enim eſt ſimile illum non fuiſſe neglecturum, quod ſuae ſententiae repugnans in ipſis aperte cognouiſſet. Etiam cl. *Io. Iac.* GESSNERVS in *numiſm Graec. popul. & vrbium*, quae nouiſſime prodierunt, nullum adfert, qui noſtris ſit ſimilis: quin nec vnicum habet, in quo nomen gentile inueniatur. Scilicet iam pridem docti viri animaduerterunt, fieri non poſſe, vt integer iudicetur locus *Stephani Byzantini*, quando in voce ΓΕΛΑ ſic ſcribitur: τὸ ἐθνικὸν ΓΕΛΑΙΟΣ, ὀυ Γελῶος. Nam quum tot claſſici auctores graeci, & inter hos antiquiſſimi, *Herodotus* ac *Thucydides* illo Γελῶος ſemper vſi ſint; quod hic grammaticus improbare videtur: pridem adducti ſunt, vt tranſpoſita verba agnoſcerent, eademque ſic ordinanda: τὸ ἐθνικὸν Γελῶος, ὀυ Γελαῖος. Ita ſtatuentibus *Luc.* HOLSTENIVS non quidem repugnat: ſed aliam tamen & mitiorem medicinam videtur ſuadere, quando vnica ſyllaba mutata ſic legendum exiſtimat: τὸ ἐθνικὸν Γελαῖος, καὶ (vel ἢ) Γελῶος. Fateor mihi valde arridere hanc ſententiam doctiſſimi viri: quippe cui ſequentia optime quadrant. Subiicit enim: ὡς Ἄβρων καὶ ἡ συνήθεια. Quibus innuit ſibi non eſſe ignotum, quod Abronis auctoritate, atque vſu tyranno, nitatur illa denominatio, qua ciues huius vrbis Geloi ſolent appellari. Mirum autem videri poſſit, quid in mentem venerit *Stephano*, cur Γελαῖος, quod forte in nullo ſuperſtite monumento legitur, quam Γελῶος, maluerit formare gentile nomen. Forte incolae vrbis

Gelae

Gelae posterioribus temporibus auersari coeperunt τὸ Γελῷος aut Γελώϊος, quod *ridiculum* denotat: sibique potius aptauerunt nomen gentile Γελῷος, cui nihil ambigui sensus subest. Sic Hallenses nostri, quando vernaculo sermone scribunt, non facile adhibent adiectiuum *hällisch*, sed satis constanter ponunt *hallisch*: quamquam illud prius vicinorum plurimis vulgatissimo vsu tritum est; cui maleuoli quidam, diphthongo leuiter mutata, odiosam significationem subiiciunt. Id suspicantibus non leui adiumento est *Cicero*, rerum Siciliae, si quisquam alius, probe gnarus, quippe, cum quaestor esset, in ea versatus: eiusdemque prouinciae in accusatione C. *Verris* patronus. Hic abstinet se a Geloorum nomine, &, quoties eo vtendum fuisset, potius Gelenses vocat. Enimuero quicquid ab hoc praesidii speratur, eripere videtur *Diodorus Siculus*, rerum patriae suae non minus gnarus, apud quem semper Geloos inuenimus. *Plinius* Gelanos appellat: si non omnino Gelaeos scripsit, & librariorum vitio N. pro E. surrepsit. Fatendum tamen est, fuisse omnino tempus, quo haec ciuitas non refugiebat nomen gentile Geloorum ab euentu siue fabuloso, vt BOCHARTO credimus, siue vero, quondam impositum: sed propriis monumentis suis inscripsit ad omnem posteritatem propagandum. FAZELLVS, quem in notis ad *Stephanum* video laudatum, citat numismata cum oppidanorum inscriptione ΓΕΛΩΩΝ. Si recte & acute vidit, oportet illos esse a nostris diuersos, in quibus perspicue legitur ΓΕΛΩΙΩΝ. Quanquam fatendum est, eodem rem redire siue prius Ω nudum exstet, siue iota ei subiungatur, siue subscribatur. Est enim hic grammaticorum dissensus; quorum aliis hoc, illud aliis videtur: quem qui noscere cupit, adeat *Etymologum*, *Eustathium*, *Theod. Gazam*, alios, qui ipsum opinionibus suis explebunt, inque partes trahent. Antiquius puto ΓΕΛΩΙΩΝ; & antiqui moris crebra sunt exempla, vt πατρώϊος, ἡρώϊος, ὀλοφώϊος, pluraque eiusdem generis, poetis praecipue familiaria. Oportet autem antiquissimos esse hos numos & bis mille annorum aetatem forte satis longe superare. Do-

cent enim vetustissima monumenta Gelam sui iuris esse pridem desiisse, quum Gelonem, tyrannum potentissimum, iam varios dominos antea experta, acciperet: hoc autem Syracusis iam potito, Hieroni, fratri eius, tradita fuerit. Vero autem simile, & exemplis multis consentaneum est, numis, qui a ciuitatibus sub vnius imperium redactis cusi fuerunt, nomina principum fuisse sola inscripta, aut vna cum populi mentione. Sic apud GOLTZIVM tab. XI. prostant duo, in quibus praeter ΓΕΛΑΣ nihil legitur: hisque Hieronis & Gelae mentionem facientes sex subiunguntur: cum solo autem Hieronis nomine tab. XIII. quatuor visuntur. Puto autem illos omnes, in quibus tantum ΓΕΛΑΣ, ΓΕΛΩΙΩΝ aut ΓΕΛΩΩΝ mentio fit, ante Gelonis Hieronisque imperium fuisse procusos. Quum vero ante Salaminiam pugnam Gelo iam Syracusis potitus esset: illa autem tam celebris pugna, EX PETAVII calculo, ante initium aerae christianae annis CCCCLXXX. acciderit: erunt ex hac hypothesi certissime maiores aetate XXII. saeculorum. Incertum autem relinquo, quantum vltra id tempus excurrant: quum ante Gelonem iam commemorentur tyranni Gelensium. Vmquamne postea plenam libertatem, cum pristino flore, recuperauerit Gela; haud expeditum est dicere. Inuenio sane Gelenses aliquid virium exseruisse Agathoclis temporibus, Atheniensium ope subnixos. Videtur autem hic tyrannus omnium grauissime Gelam deiecisse, eamque deinceps sub Poenis nunquam conualuisse. Horum autem rebus primo statim bello Punico tantum attritis, vt Siciliam Romanis permittere deberent: non est vero simile ab illo tempore numos ibi fuisse conflatos. Vnde si minimam aetatem computemus, duo annorum millia iam effluxerunt ad nostra tempora. Sub Romanis vero Gela numquam magnopere fulsit. *Strabo* miseram eius conditionem describit: οὔτε γὰρ Ἱμέραν ἔτι συνοικουμένην ἴσμεν, οὔτε Γέλαν. Subiit scilicet sortem plurium in eadem insula olim florentissimarum vrbium, quae pleraeque tunc erant pastorum domicilia; quum montes & campestres regiones equorum boumque greges pascentibus

Roma-

Romani tradidiſſent. Mirum quam inique Siculorum, olim tam potentium, rebus conſuluerunt: vnde numi coloniarum & vrbium, in Auguſtorum honorem cuſi, de Siculis minimum trahunt, &, ſi recte memini, vna tantum Panormus in illa ſerie, nec frequens, conſpicitur. Quod tanto magis admirandum videtur, ſi Hiſpaniarum, Aſiae, Aegypti, Thraciae, Moeſiae, Ponti aliarumque remotiſſimarum vrbium ſortem feliciorem cogitamus: quarum multae tam obſcurae ſunt, & hiſtoricorum monumentis praeteritae, vt nunquam in orbe fuiſſe noſcerentur, niſi vilibus metallis Auguſtorum vultus & nomina, vna cum ſuis nominibus & inſignioribus fatis, commiſiſſent; quae memoriam earum quotidie renouant, & ad omnem, quae litteras amatura & cultura eſt, poſteritatem propagant.

THESSALORVM.

67. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. Caput Iouis olea coronatum.
ΘΕΣΣΑΛΩΝ. Pallas armata gradiens, d. haſtam vibrat, ſ. clypeum gerit; in area ΠΙΣ cernitur.

Natiua aerugine inſigne numiſma, cuius imagines GOLTZIVS & BEGERVS exhibent. Aduerſae autem inſcriptio & auerſae ſyllaba Graeca ΠΙΣ SCHVLZIANVM hoc *νόμισμα*, ab omnibus typis, quos cl. GESSNERVS collegit & vulgauit, diſtinguunt. Theſſalorum *Iupiter* & *Minerua* oculis noſtris ſe ſiſtunt. Non multum habet numus, quod explicationem requirat. *Pallas* bellicoſiſſimum populum Theſſalos quondam fuiſſe indicat. In Mineruae habitu probe notanda eſt chlamys cum angulis vtrinque dependentibus. Hi enim eſſe videntur, qui *Θετταλικαὶ πτέρυγες alae Theſſalicae* vocabantur. Magno cultu Theſſali quondam colebant *Iouem Lariſſaeum;* in primis tamen *Itoniam* venerabantur *Mineruam*, ita dictam ab Itonio oppido. Hinc cl. de WILDE in *ſelect. num. antiqu.* pag. 93 Palladem, inquit, a bellicoſa hac gente praeſertim veneratam fuiſſe non eſt adeo mirum, cum bellis quoque praeſit, quae non minus conſilio quam viribus geruntur. Sic *Virgilius*

gilius Latinas matres hiſce verbis eam implorantes, XI. Aen. 483. verſ. inducit:

Armipotens belli praeſes, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis.

Vid. *Lud.* NONNIVS in GOLTZII *Graec.* pag. 104. ſqq. de WILDE l. c. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 480. ſq.

THESSALONICENSIVM.

68. Iouis olea coronati caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ. Aquila fulmini triſulco inſiſtens.

Numiſmatis huius typum cl. de WILDE in *ſelect. numiſm. antiqu.* tab. XII. num. 70. ſiſtit. Theſſalonica, vrbs Macedoniae valida, litteris diui *Paulli*, gentium doctoris, chriſtianis quoque probe nota, prius *Therme* dicta, a Caſſandro autem reſtaurata eſt; & hinc ab eius vxore, Philippi filia, *Theſſalonices* nomen ſortita: hodie, corrupti nominis veſtigia ſeruans, *Solonichi* appellatur. De *Ioue* & *olea* ipſius *Olympia* ſupra ad argentea Philippi numiſmata egimus: aquilam expanſis alis *fulmini inſiſtentem* itidem paullo ante ad Ptolemaeorum numiſmata luculenter expoſitam eſſe recordor; vid. de WILDE loc. cit. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 483. ſqq. Vberiorem Theſſalonicae deſcriptionem ſuppeditat NONNIVS in GOLTZII *Graec.* pag. 127. ſqq.

CALENORVM.

69. Galeata Mineruae effigies.

CALENO Gallus erectus cum ſidere atergo.

Cl. WACHTERVS ſimillimum Calenorum aereum ex ampliſſimi Lipſienſium SENATVS theſauro vulgauit; cui ſequentem ſubiungit interpretationem. Neceſſario, vir eleganter doctus inquit, numus iſte vel cultum Mineruae communem, eius ſcil. cui *gallus* ſacer fuit, vel (quod ab ill. MAFFEO ingenioſe excogitatum) ſummam earum ciuitatum erga Pythagorae placita reuerentiam indicat. Vtraque coniectura, mox addit antiquarius, idoneo teſtimonio ſe tuetur. Illa *Pauſaniae*, qui gallum gallinaceum *auem Miner-*

uae

uae Erganae sacram vocat: haec *Iamblichi*, qui inter praecepta Pythagorae etiam hoc refert, *gallum non esse immolandum*, quod *Soli & Lunae sacer esset.* Puta ob cantum, quo horas nocturnas, & solis aduentum nunciat. Quodsi haec coniectura alteri praeferatur, necesse est, hos numos ab aetate Pythagorae non longe remotos esse; vid. WACHT. *archaeol. numar.* p. 105. Plura de Calenorum numis scire gestientibus consulendi cel. *Sigebert.* HAVERCAMPI *comment.* in *thes. Morell.* pag. 262. BEGERI *thes. Brand* tom. I. pag. 353. *seqq.* GOLTZII *Sicil. & magn. Graec. hist. ex numis.* pag. 232.

70. Idem Calenorum numisma paullo mutato typo.

CENTVRIPINORVM.

71. Apollinis laureatum caput.

KENTOΡΙΠΙΝΩΝ. Tripus.

PARVTAM in Centuripinorum numis simile quoddam Apollinis simulacro & tripode insignitum νόμισμα produxisse BEGERVS & cl. GESSNERVS docent. Quum autem & in publicis FRIDERICIANAE & priuatis celeberrimorum virorum bibliothecis frustra auctorem hunc quaesiuerimus; hinc nobis neque facultas fuit, quidquam, praeter vulgarem de Apolline & tripode eruditorum sententiam, ad numismatis istius dilucidationem addere; vid. BEGERI *thes. Brand.* tom. I. pag. 392. cl. GESSNERVS in *pop. & vrb. num.* tab. XXXII. conf. ea, quibus supra num. 47. Antiochi II. aereum exposuimus.

MAMERTINORVM.

72. Caput Iouis laureatum, pone fulmen.

MAMEPTINΩN. Mars nudus ad pugnam tendens, d. hastam, s. scutum gerit, in area lit. Π.

Natiua & nobili aerugine conspicuum numisma, quod proxime accedit ad GOLTZII delineationem in *Sicil. & magni Gr. hist.* tab. XXVII. num. 3. exhibitam. De Mamertinis in commentario ad GOLTZII modo citata numismata pag. 271. haec inuenio: Mamertinis nomen a Mamerte, i. e. *Marte* factum fuisse constat, siue ob

gentis illius in rebus gerendis fortitudinem, siue ob armorum peritiam, siue quod originem ab eo deo repeterent; quod, praeter veterum auctoritatem, numismata etiam ipsorum Mamertinorum testari videntur, in quibus Martis simulacrum vultu gestuque vario saepius adparet, Mamertinos certe sumo studio Martem & armorum studium excoluisse etiam priscorum monumenta testantur, reliqua. Idem de Mamertinis asserit cel. BEGERVS *lib. laud.* pag. 344. dum: a Sabinis, inquit, Marte consecratis Samnites, & ab his Lucanos & Bruttios descendere, ex *Strabone* discimus. Et hinc constat, cur vocem *Mamers Festus* Oscorum, *Varro* autem Sabinorum lingua *Martem* significare scripserint: constat cur Martem signauerint, non Mamertini tantum, sed & Bruttii; ideo scil. quod a Samnitibus Marti consecratis descendissent. Plura de Mamertinis loco antea allato, & alibi passim, commemorat in GOLTZII numismata commentator eruditissimus.

MASSILIENSIVM.

73. Caput deae Veneris laureatum, pone pomum.
ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. Taurus ferociens.

Fabula de iudicio Paridis notior est, quam vt pluribus recenseri operae pretium sit. Cum in nuptiis Pelei malum Discordia misisset, inscriptum: *detur pulcherrimae!* eiusque potiundi gratia Iuno, Minerua & Venus contenderent, arbitrium, aiunt, iussu Iouis ad Paridem pastorem, Priami regis filium, in Ida monte pecora pascentem, esse remissum, iussumque Mercurium, & pomum perferre, & deas iudicium subituras, deducere: eoque facto Paridem, cum vniuscuiusque & merita & promissa audiisset, spreta Iunonis potentia, neglectaque Palladis sapientia, Veneri mulierum in Graecia pulcherrimam amplexibus eius pollicitae, pomum porrexisse. Cumque, *Strabone* teste, olim promontorium Pyrenae & *Venereum* & *Massiliense* dictum fuerit; hinc procul dubio Massilienses Paridis iudicium respicientes *Veneris effigiem* cum *Eridis pomo* numis suis impresserunt; vid. *thes. Brand.* tom. I. pag. 361. sq. conf.

Caroli

Carolus PATINVS in *epiſt. de iudicio Paridis.* *Taurum* in numis coloniae ſymbolum eſſe paſſim antiquarii aſſerunt. In eleganti hoc numiſmate *taurus*, ex cl. BEGERI ſententia, ad Tauroentum, Maſſilienſium coloniam, refertur; vid. BEGERVS *loc. cit.* conf. GOLTZII *Sicil. & magn. Graec. hiſt.* p. 319. ſqq.

MELITENSIVM.

74. Caput venerabile diadematum &, quantum iudicare valeo, occiput velo tegens.

Medio ſtat ſimulacrum capite, vt iudico, bouino, ad dextram eius perſona facie belluina, ſuper caput eminente aliquo faſtigiato inſtar modii; ad ſiniſtram adſtantia ob aeruginem non ſatis diſtincte video.

Prim magn. numiſma, duo huic ſimilia numiſmata GESSNERVS exhibuit, quorum alterum Melitenſium, alterum obſcuris Graecorum, numis adnumerat; vid. *eiusd Gr. vrb. & pop. numiſm.* tab. XXXXV. num. 7. & tab. LXXXIIII. num. 15. Haec numiſmata abinuicem in eo ſaltim differunt, vt in altero aduerſae partis imago dextram in altero ſiniſtram verſus reſpiciat. Cum autem SCHVLZIANVM hoc νόμισμα hac ratione proxime ad Melitenſium numum accedat; hinc nos itidem, donec quis contrarium doceat, hunc locum SCHVLZIANO numiſmati tribuimus.

NEAPOLITARVM.

75. ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Caput iuuenile laureatum.

Minotaurus, ſupra quem roſa & litt. Π, infra monogr. litteras ΑΡ exhibens.

Rariſſimus, *cuius effigiem aeri inciſam tab.* II. *num.* VII. *ſiſtimus.* Inter affecta incomparabilis SCHVLZII ſcripta, viri omnium ſuffragio eruditiſſimi, pro dolor! orbi litterato, familiae & bonis omnibus, nimis mature erepti, pleniorem rariſſimi huius numiſmatis explicationem deprehendi, quam ſtatim ſubiungam. Ita autem ad hunc numum ſcribit Philologus & Medicus dum viueret & poſt fata famigeratiſſimus. Hic *praeſtantiſſimus* & *nobili aeru-*

gine viridescente totus obtectus, beneficio, viri maxime reuerendi & eleganter docti theologi Regiomontani, *Michaelis* LILIENTHALII ad me peruenit: inuentus autem fuit CIↃIↃCCVII Tierenbergae in Porussiae regno, tractus autem Sambiensis praefectura Fischhausensi. Illum quum ante complures annos vidisset vir de omni antiqua doctrina praeclarissime meritus *Theophilus Sigefridus* BAYERVS, ratus fuit illum Rhodiis deberi, suamque de hac re sententiam exposuit singulari dissertatione, quam nobilissimo & antiquitatum studiosissimo viro *Nicolao* KEDERO CIↃIↃCCXXIII inscripsit. Inserta haec commentatio deinde fuit *Actor. Porussic. vol. II. sect. V.* quod indicandum censui, vt facilius inuenire explicationem antea datam, a qua mihi discedendum putaui, vnusquisque possit. Vtar autem illa moderatione, vt simpliciter exponam in quo meae rationes dissideant ab illis, quae viro optimo, cuius tranquillos manes veneros, vero visae fuerunt similes: quod vbi fecero, arbitrium totius causae peritis lectoribus permittam. Primo omnium me mouet adscriptum nomen ΝΕΟΡΟΛΙΤΩΝ, ex quo tres priores litterae omnino integrae exstant, duae autem postremae satis conspicuae sunt. Certe Ω dimidia sui parte, N. autem integrum nudo oculo, tanto autem certius armato, cognoscitur. Quartum in hoc nomine elementum maiori sui parte quoque apparet. Intermedias non satisclare recepit metalli haud exquisite rotundi defectus. Quum haec oculis meis arbitratus essem, euolui auctores qui ectypa numorum dederunt. Primum adibam *Laur.* BEGERVM, qui *Vol. I pag. 350. num. 2.* exhibet aereum meo per omnia, quoad aduersam partem, tam similem, vt est ouum ouo. Caput enim lineamentis posituque iisdem videas, capillos coronamque similes, ipsamque scripturam loco tractuque simillimam. Vnica littera T quae est in ectypo BEGERIANO pone caput solitaria, quod ad rem parum facit, in nostro deest. Eiusdem auctoris alius est *pag. 352. num. 4.* qui aeque similis videtur, si hoc vnum excipias, quod vultus in dextram partem conuersus, eique inscriptio obiecta est. Postquam haec ita apud BEGERVM

vide-

videram, adibam GOLTZIVM atque GESSNERVM, qui ſimiles aut ex prioribus repertos dabant. Iuuabat me haec conſideraſſe, quum apud eosdem auctores per Rhodiorum numos accurate irem, omninoque nullum caput illi, quod in noſtro eſt, ſimile, &, quod maius, nullum quod *Apollinis* caput habet, non radiatum, nullum quoque vlla littera inſcriptum cognoſcerem. Iam ſi totus habitus vnius eiuſdemque ciuitatis aliquid valet ad eos cognoſcendos & diſcernendos; eoque argumento ſummi in re numaria auctores potiſſimum vtuntur: quam haec omnia vehementer faciant ad hunc noſtrum Neapolitanis vindicandum, & a Rhodiis reuocandum, omnes, ni fallor, cognoſcunt. Poterant haec ſufficere ad omnem hanc cauſſam diiudicandum: ſed vtile puto etiam de reliquis dicere, quae meam ſententiam penitus confirmant. In altera ſcilicet numi parte eſt *minotaurus*, quo nomine vocant animal cetera tauro ſimile, ſed facie virili barbata. Non repetam fabulam omnibus notiſſimam: neque nunc ſollicitabo eorum aſſertum, qui ciuitates hoc animal ſignare ſolitas eodem ipſo vltimam originem a Cretenſibus denotare aſſerunt. Iam vero inter tot numos Rhodiorum indubios neque vnicus viſus vel adductus eſt, in quo minotaurus conſpiceretur: inter triginta Neapolitarum numiſmata, quae cl. GESSNERVS collegit, tria & viginti videas, in quorum poſtica vel integer vel dimidiatus ille exhibetur. De Rhodiis autem ipſemet ille vir doctus, a quo diſſentire me profiteor, ſufficienter probat, quod omnium, qui in Aſia conſederunt, maxime genuinum genus Doricum fuerint, neque promiſcuam externorum populorum communionem vmquam admiſerint. Atque hoc argumentum tanti apud ipſum fuit ponderis, vt tandem non auderet Rhodiis in inſula habitantibus hunc numum tribuere, ſed Cauniis, qui in continente inſulae obiecta habitabant & Rhodiis parebant, eum maluerit tribuere. Qui cum eſſent Rhodiorum ſubiecti, atque, vt *Strabone* docente ſcimus, a Cretenſibus originem duxiſſent, numum hunc ita ſignauerint, vt figura primaria oſtenderent ſuos proauos, *roſa* autem Rhodia faterentur dominos, quorum

praetorem aduersae parti adscripsissent. Putat enim illud nomen forte legendum esse ΝΕΟΠΟΛΕΜΟΕ. Apparet quam parum suae explicationi fisus sit vir doctus: laudandaque est genuina indoles, quae dubium non suppressit. Iam vero si Cauniorum est numus, vt supponit; quo iure in titulo adscribebatur Rhodiis? mirum, qui potuerit Cauniis, libertate non gaudentibus, sed obnoxiis, ius numos cudendi tam facile concedere: quum nulla exstet probatio id vllis tali conditione viuentibus licuisse. Quid itaque superest, quod argumento sit, Rhodiis hunc numum debere aut posse adscribi? Rosa est, minotauro superposita, illi similis, quae in plerisque Rhodiorum numis alteram paginam exornat. Ita autem exstans est in illis rosa, vt aream fere omnem sola impleat: si qua autem alia figura, vt navis, aquila, serpens, caduceus, athleta, botrus, delphinus, insuper adiecta sit, illa minutissima exhibeatur. Cuius quidem contrarium est in nostro, vbi minotarus aream implet, rosula superponitur. Ex quo consequitur, quod hic numus non sit Rhodiorum, quoniam ex parte confitentem habemus doctissimum virum: verba de hoc argumento plura non faciam. Quoniam autem inter Neapolitarum viginti numos GESSNERIANVS, qui minotaurum integrum in auersa parte exhibent, neque vnicus est nostri similis; omnesque isti victoriam superuolitantem & coronam animali imponentem exhibent: ex eo sane apparet ***eximia nostri numi raritas*** & ***singularitas***. Nam quod rosam, aliaque Rhodiorum insignia consueta, Neapolitae exhibent, minus mihi admirandum videtur, quam cur non in pluribus hodie obtingant visenda. Rhodii enim, quod *Strabo* aperte prodit *libr.* XIV. ἔκτισαν ἐν τοῖς Ὀπικοῖς τὴν Παρθενόπην. Parthenopen, Rhodiorum vetustum opus, postea ex Chalcidensibus, Pithecusaeis, Atheniensibusque, imo sero tandem Campanis superadditi prioribus noui incolae auxerunt: ex quo tempore Neapoleos nomine celebrari coepit: vt eodem *Strabone* docente nouimus. Horum postremos inuitis prioribns admitti debuisse, certum est: quam volentes susceperint ceteros, equidem non reperio. Sed

Athe-

Athenienſium in noua vrbe regenda & conſtituenda voluntatem in primis valuiſſe, multa perſuadent: praecipue quod Apollinem atque Dianam conſeruatores, (Ὀυλίους,) Athenarum antiquiſſima numina, praecipuo cultu in numis ſuis proſequantur. Videntur autem facile inter ſe conſenſiſſe ex Euboea adducti Chalcidenſes atque Athenienſes in *taurum* numis ſuis imprimendum; quoniam iſti patrium in eo morem ſequebantur, quippe Euboeae numi bouis caput exhibent: hi autem Cretenſium tyrannidis atque excuſſi eorum imperii, quod beneficio Dianae ac Apollinis tribuebant, admonebantur. Hinc *minotarum* apud Neapolitas, & forte apud plures ciuitates, non exiſtimo memoriam originis Creticae renouare, ſed contumeliarum & iniuriae ab illis acceptarum aliquando monumentum eſſe. Sed & aliam cauſam huius ſymboli facile inuenient, qui obſeruauerint ad oſtia magnorum fluuiorum ſitas vrbes complures, praeſertim illas quae portus & naualia habuerunt, bouem vario modo poſituque exhibuiſſe: ex quo factum puto in Sicilia & magna Graecia vt nihil ſit minotauro frequentius. Neque tamen propterea deſierunt etiam Rhodi meminiſſe, praecipue illi magiſtratus, qui genus ex illa inſula ducebant. Hinc factum eſt vt in noſtro numo roſa Rhodia minotauro imponeretur: in alio apud BEGERVM *pag.* 350. ſolis imaginem poſt caput Deae in aduerſa parte collocatam notamus. Veroque ſimile eſt factum hoc fuiſſe poſterioribus temporibus aliquanto rarius, quum familiae antiquiſſimae, e Rhodo huc primum deductae, tandem ad paucitatem redigerentur. Quare exiſtimo inde deducendam eſſe eximiam raritatem numorum Neapolitanorum cum roſa vel ſole: quum illorum, in quibus minotaurus eſt cum victoria ſuperuolitante, crebriorem notemus occurſum. Poſſet alia videri cauſa, eaque non ex Rhodo petita ſed plane domeſtica, cur roſam Neapolitae numis ſuis impreſſerint. Scilicet iactare voluerunt vrbis tractusque ſui praerogatiuam in praeſtantiſſimis roſis progignendis. Legatur de eo PLINIVS *hiſt. nat.* libr. XXI. *cap.* 4. & res ſatis erit confecta. *Genera*, inquit, *eius noſtri*

fece-

fecere celeberrima Praeneſtinam & Campanam. Eſt genus etiam, mox addit, *quam centifoliam dicunt, quae eſt in Campania Italiae.* Quae autem de Campanis roſis in genere dicuntur, eadem omnia ad Neapolitanas iure eodem referri, non poteſt vlli dubium videri. Enimvero quemadmodum de Campanis roſis nullum poteſt eſſe dubium: ita de roſa Rhodia videtur res nimis dubia & controuerſa, quam vt de ea olim ſcripta ad noſtras roſas illico transferamus. Aliqui enim ab iſto genere, quod ob floris elegantiſſimam fragrantiam hodie celebramus, Rhodiam longe diſiungunt, quam balauſtii ſeu mali Punicae florem exiſtimant, tingendisque lanis adhibitam docent: dum alii certant eminentem aliquam roſae adoratae & coronariae ſpeciem illam fuiſſe, atque in hanc rem allegant DIDVMI ALEXANDRINI teſtimonium ex geoponicis, quae ſcribenti non ad manus ſunt, quo roſis diuinior natura vindicatur: quod vtrum de illis, quae in Rhodiorum inſula naſcebantur, ſeorſim dictum, an de praeſtantiſſimis omnibus intelligendum ſit, diiudicare nunc non poſſum. Quum vero PLINIVS Alabandicas roſas inter praeſtantiſſimas recenſeat, quarum patria eſt in Caria Rhodo obiecta: nondum audeo accipere illorum ſententiam, qui roſas Rhodiorum in punicae mali florem transformant. Certe pictura in numis obuia talis videtur vt ad roſas noſtras flore non pleno facilius trahi poſſe videatur, quam ad Punicae florem. Maxime quidem offendet botanicum ille apud BEGERVM vnicus *pag. 412. num. I.* vbi aperte ſiſtitur flos hexapetalus; quum omnium conſenſu roſa ſit pentapetala. Sed quisquis in talibus praeſtabit antiquiſſimorum pictorum & ſculptorum accuratiſſimam diligentiam? Et ſi nihil illi defecerunt: puto in gentium ac regnorum inſignibus aliquid tribuendum eſſe antiquitati; quam ſequuntur poſteriores, etiam vbi vident priores potuiſſe accuratius pingere. Sic lilia Francici regni quis auſit nunc ad botanicas leges reformare? quis infinita alia in re heraldica? ſcilicet alia eſt lex in horto & agris naſcentium florum, alia in ſcriptorum nominibus regum. Quanta ſit aetas huius numi, quoniam indubiis nullis

lis ſignis cognoſcitur, coniectando eruere vix quisquam audebit aut valebit. Illud mihi ſatis certum videtur, cuſum eum eſſe feliciſſimis temporibus vrbis libertate ſua adhuc gaudentis. Nam poſtquam ſemel magnae Graeciae vrbes Romanis ſubiectae fuerunt, ſuis vti numis deſierunt. Ipſe typus elegantiſſima arte elaboratus de vrbis felicitate, & adiectum integrum nomen de libertate teſtimonium dicunt. Neminem me reprehenſurum exiſtimo, ſi dixero *aetatem bis mille annorum* poſſe eum ſuſtinere, immo aliquantum maiorem potius, quam minorem. Quo pacto in Poruſſiam deferri potuerit, non minori induſtria, quam doctrinae apparatu, diſputat cl. BAYERVS. Equidem ita cum iucunditate illa me legiſſe profiteor, vt optauerim poſſe reddi certa. Illa ſane coniectura de ſuccinaria negotiatione fabulam antiquiſſimam de Phaetonte & ſorore eius Electryone ad hiſtoriam ſatis probabiliter reuocat. Enimvero quicquid praeſidii haec explicatio habere debet ab eo, quod numus Rhodius in Poruſſia inuentus ſit; id nunc valde vacillat, poſtquam apparet numum non eſſe Rhodium, ſed Neapolitarum. Adeo igitur mutabimus vrbes, atque Neapoleos incolas nauigaſſe vel pedeſtri itinere huc profectos dicemus. Equidem non auſim id vel negare vel affirmare: quum quotidie videamus ad fora profectos mercatores omnis generis & commatis numos ſecum ferre: nec adſtringi poſſint vel ſoleant, vt ſuae quisque patriae propriis nundinetur. Supereſſet nunc, vt dicerem de litteris in poſtica parte obuiis. Sed quum non habeam certum, quod adferam: ipſi beneuolo lectori & ſpectatori diiudicandum permittam, debeatne Π, quod ſuper minotaurum clare intelligitur, coniungi cum litteris AP, quae ſub eodem viſuntur, an ſuperiori adiungendae, ad integram vocem eliciendam, videantur quaedam litterae: Τὸ AP autem initium alius vocabuli habendum ſit. Equidem in vllo Neapolitarum numo adhuc edito non potui conſpicere hominis cuiusdam integrum nomen. In multis ſingularem aliquam litteram, aut binas vel ternas video pedibus minotauri interpoſitas. Complures capiti feminino,

no, in anteriori facie numi expresso, subiiciunt APT. vel plene APTEMIΣ: cuius exempla apud GOLTZIVM videantur. Quid si accipiamus τὸ Π pro Πρύτανις, aut pluratiuo numero Πρυτάνεις, vt denotet praefectum vel praefectos sacrorum in honorem Aρτέμιδος faciundorum? Sed nihil determino, quum me maxime retineat, quod non Dianae, sed Apollinis caput in aduersa conspicitur. Insuper etiam me detinet, quod deae tam honoratae nomen minotauri, qui vrbis symbolum est, subiicere pedibus, semperque virginem ad tauri virilia collocare nimis indecens fuisset.

76. VIRGILIVS MARO. Caput laureatum.
Solis caput radiatum.

Etsi argenteum hunc Virgilii simulacro insignitum numum rectius in alium locum conferendum esse probe norim; tamen, quum illustr. SCHVLZIVS praecedentis explicationi continuo huius numi interpretationem subiunxerit, eidem inter vetustissima haec antiquitatis λείψανα locum hunc haud invidebimus. *Numi imaginem tab.* II. *num.* VIII. exhibet. Audiamus itaque celeberrimi viri sententiam. Quum beneuolum lectorem, inquit, hactenus Neapoli detinuerim, antequam illinc discedamus, subiiciam eius oculis numulum argenteum: de quo ipsemet edoceri vehementer vellem, annon Neapoli sit tribuendus. Exstat in altera parte caput laurea circumdatum, cum litteris VIRGILIVS MARO. Sub capite floriger ramus rosae, vt videtur, expressus fuit: sed temporis iniuria hac potissimum parte detritus est. Alteram faciem totam implet solis caput ample radiatum. Ambitum delineatio accurate sistit: est autem minime crassus & appendit grana, medicorum quidem ponderis, decem. Neapolin spirat solis imago, quam alibi in numis huius vrbis conspici antea dicebam. Eodem conspirat rosa sub capite Virgilii, vt mihi quidem plane videtur, iacens. In hac autem vrbe sepultum esse magnum hunc vatem, monumentumque habuisse, sunt magni multique, qui affirmant, testes, quibus fidem nemo derogat, praeter *Io.* HARDVINVM, & quibus ille persuadere potuit. Equidem nolim contendere

dere hunc numum eſſe publica auctoritate, & vel viuo vel nuper mortuo Virgilio cuſum: neque audeo tamen ipſum nuperis numorum antiquorum fabris illico tribuere. Iudicent liberrime eruditi. Mihi propterea viſum fuit illum proferre, quoniam video in nupera collectione Tigurina illum non comparere, quum tamen in illis tabulis, vbi illuſtrium ac celebrium perſonarum numi proponuntur, etiam ficti quidam non omnino repudiati ſint. Ex quo plane adducor, vt credam, meum hunc numquam fuiſſe in lucem protractum, qua non indignus mihi videtur, quoniam certe aliquam non inuenuſti ſaeculi aut inficeti magiſtri ſignificationem praebet. Tanto autem libentius adieci Neapolitano indubio & antiquiſſimo hunc, quam Neapolitanum, ſed incertioris aeui, exiſtimo, quoniam ab eodem celeberrimo LILIENTHALIO, cui me priorem debere profeſſus ſum, hunc etiam accepi eodem tempore: adeoque ipſi gratias me debere publice profitendi occaſionem non putaui dimittendam. Quum haec pridem ſcripſiſſem, ipſumque numum amicis ad me venientibus identidem oſtendiſſem, allatus ad me fuit a curioſo numorum inueſtigatore aliquis Mantuanus aereus admodum recens, cuius alteram faciem ſol illuſtrat & circumſcriptum CAR. IMP. DVX. MAN. 1731. in altera legitur SOLDO DI MANTOVA. Hoc indicio excitatus coepi de huius principatus numis amplius diſpicere, facileque cognoui exſtare vnciales etiam, ſeu, vt loqui ſolent, ſcutatos a Mantuae ducibus cuſos, in quorum parte auerſa ſol impreſſus eſt. Fateor me neſcire, a quam longo tempore Mantua ſolis emblemate in ſuis numis vtatur. Sed quod Mantuani ciuem ſuum recenſere ſolent magnum Maronem; non video cur improbabile ducam alicui Mantuano veniſſe in animum cogitare quam aequum ſit tam honorifico vrbis ſuae ciui aliquod monumentum condere. Quanto itaque iuſtius ad Neapolitanos, quam ad Mantuanos hic numus pertineat, & an omnino ad alterutram vrbem referri debeat; quo tempore, quoue conſilio, & quibus auſpiciis ſit cuſus; & quae ſunt alia ad notitiam eius plenam ſcitu neceſſaria, ſi quis cum pu-

blico communicare velit, efficiet ne quem forte post longius tempus ille vel suspensum teneat, vel in errorem deducat.

OENIADARVM.

77. OINIAΔAN. Caput Minotauri.

Caput Iouis barbatum, laurea coronatum.

Numisma, aerugine, quam nobilem dicunt, obductum. Differt hic numus ab illo, quem cel. *Christ. Sigism.* LIEBEVS ex thesauris Fridericianis amplissimis vulgauit. Ea etenim numismatis parte, quam monogramma sibi in Fridericiano, vindicat, ea, inquam, parte, neglecto prorsus monogrammate, in SCHVLZIANO epigraphe cernitur. *Minotauri* effigies Cretenses Oeniadarum prodit origines. Audiamus ea de re illustr. *Ez.* SPANHEMIVM. De Minotauro, inquit, qui praeter commemoratas Siculas aliquot vrbes, quae Cretensem inde earum originem arguunt, idem quoque in aliis Graecarum vrbium aut populorum numis, vt dictorum modo *Ambraciotarum*, *Acarnanum* & magnae Graeciae *Neapolitarum*, aliisque signatus, Cretensium coloniis, etiamsi id aliunde non constaret, frequentata eadem loca omnino comprobat. Plura huc pertinentia *pag.* 189. sq. commemorat Fridericiani thesauri interpres eruditissimns. Eruditorum de *Iouis laureata effigie* sententiam supra ad Philippi numismata p. 6 sq. exposuimus.

PANORMITANORVM.

78. DIDO. Caput muliebre eleganter comtum.

Equus libere stans caput superbe reflectit.

Prim. magn. νόμισμα, cuius aduersae inscriptionem recentiori aeuo insculptam esse existimo. In cl. *Io. Goth* RICHTERI, eleganter docti Lipsiensium iurisconsulti, politiorumque litterarum peritissimi, refertissimo κειμηλιαρχίῳ me nuperrime simillimum Panormitanorum numisma vidisse recordor. *Aduersa* horum numismatum imago, illi, quam BEGERVS in *thes. Brand.* tom. I. pag. 218 Didoni tribuit, similis esse videtur. *Equum* plerumque in numis libertatis esse symbolum notum est; & hinc Panormitano-

rum

rum felicitatis testes haec esse numismata existimamus. PARVTAM, quem ex instituto de his aeque vt aliis Siciliae numis scripsisse aiunt, frustra requisiuimus. Panormi uberiorem descriptionem suppeditat GOLTZIVS in *Sicil. & magn. Gr. hist. pag. 98 sqq.*

79—101. Cereris spicis & taurino cornu ornata effigies; in auersa idem typus cernitur, quem in praecedentis altera pagina vidimus.

Duo & viginti eodem hoc typo insigniti valde inter se conuenientes Panormitanorum numi sequuntur, quos, quoniam sibi inuicem paene sunt simillimi, haud sigillatim percensebimus. Perill. SPANHEMIVS *de vsu & praest. numism.* tom. I. pag. 393, vbi de numis cornutis agit, *cornu taurinum* antiquitus poculi loco fuisse adhibitum ex *Homeri* scholiaste, aliorumque fide dignissimorum testimonio, nos edocet, simulque *Cererem* & Liberam, Liberi patris exemplo, cum cornu taurino e temporibus erumpente passim signari, ex variis Siculorum numis obseruat. Quid *Ceres*, vbertatis dea, quidque *equus*, solitum libertatis symbolum, significent, ex subsequentis Rhodiorum, & praecedentis Panormitanorum numismatis explicatione patet.

102. Idem Cereris & equi typus; insuper autem iuxta equum fructifera palma cernitur.

Proxime accedit aereus iste ad typum, quem illust. *Ez.* SPANHEMIVS *de vsu & praest. num.* tom. I. pag. 394. exhibuit. Vberior huius & subsequentium Panormitanorum numismatum interpretatio ex PARVTAE *Sic numism.* petenda est.

103. Cereris spicis coronatum caput cum inauribus; in auersa idem equi & palmae typus.

104. Idem Cereris simulacrum; posticam equi libere stantis imago occupat.

105. Caput deae taurinis cornibus ornatum.
Equus desultorius libere gradiens, iuxta excelsa adstat palma. *Sec. magn. numism.*

106. Cereris ſpicis ornata imago; idem equi typus, palmae locum caduceus ſibi vindicat.

107. Deae taurinis cornibus ornata effigies, cum inauribus; auerſam equi libere ſtantis imago & palmae fructiferae typus occupant.

108. Idem, ex vtraque pagina detritus.

109. Caput Cereris ſpicis coronatum; in auerſa cancer marinus cernitur.

Cancer ex communi antiquariorum ſententia vrbis ſeu orae maritimae ſymbolum eſt. Quem vero maritimum locum numus iſte reſpiciat, ſubdubitarem; niſi me aduerſae paginae effigies ad hanc vrbem remitteret. Quamuis itaque, exeſa penitus inſcriptione, auerſa haud multum differat a Lipariorum numis; tamen, propter maiorem, immo ſummam, aduerſae typi conuenientiam cum praecedentibus Cereris imaginibus, Panormitanis hunc aereum adiudicamus.

110. Caput deae eleganter comtum.
Caput equinum.

Numiſmatis huius typum cl. GESSNERVS in *pop. & vrb. num.* tab. LXXXIIII. n. 38. ex PARVTAE *Sic. numiſm. deſumtum exhibet.*

111. Palma fructifera; in auerſa caput equinum.

Vtriusque paginae typus conuenit cum imagine, quam apud GESSNERVM in eadem tabula num. 40. cernimus.

POSIDONIATARVM.

112. Neptunus gradiens elatis manibus tridentem vibrat; in auerſa proſtratus taurus cernitur.

Etſi aetate prorſus exeſa ſit inſcriptio, nullaque in hoc aereo litterarum veſtigia appareant: tamen ad Poſidoniae vrbis numos, *Neptuni* & *tauri* imagnibus plerumque inſignitos, hunc itidem referendum eſſe nullus dubito; potiſſimum quum apud GESSNERVM typi archetypo iſti occurrant ſimillimi. *Neptunus* Graece Πο-

σειδῶν

ποσειδῶν dicitur, a quo *Posidonia* vocatur, vti a Neptuno *Neptunia Paterculo.* Hunc paganorum deum Tarentinis tutelarem fuiſſe fertur: cumque Poſidoniatae Tarentinorum colonia fuerint; haud difficile euincitur, qua de cauſſa idoli imaginem in aduerſam numi partem collocauerint. *Taurus* Neptuno ſacer perhibetur. Hinc ita canit Virgilius:

Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Vid. *theſ. Brand.* tom.I. pag.347.*ſqq.* Commentator in GOLTZII *Sicil. & magn. Graec.* pag.247.*ſqq.* ſimili ratione vtramque numi paginam interpretatur.

RHEGINORVM.

113. Capita iugata, quorum alterum laureatum Apollinis, alterum Dianae eſſe videtur.

PHΓINΩN. Tripus.

Sec. magn. numiſma, cuius imaginem probe expreſſit GOLTZIVS in *Sic. & magn. Gr. hiſt.* tab. XXV. Duos populos concordi nexu in ciuitatem concretos *Apollo* & *Diana* reſpiciunt. Quumque Rhegini & Chalcidenſium & Meſſeniorum coloni fuerint, quorum hi Dianae obtemperabant, illi autem, ſi *Straboni* fides habenda, Apollini; patet hinc quid ſibi velint iugata aduerſae deorum capita. Non procul a Rhegio Dianae templum fuiſſe *Thucydides* commemorat: hinc itidem colligitur Meſſenios coluiſſe Dianam. *Tripodem*, ſolitum Apollinis ſymbolum, ex Apollinis oraculo deductam Chalcidenſium coloniam innuere exiſtimamus; vid. *Laur.* BEGER. *lib. laud* tom.I. pag.338. *Hubert.* GOLTZII *Sicil. & magn. Gr. hiſt.* pag.255.*ſqq.*

RHODIORVM.

114. Caput deae ſpicis exornatum, cum pectoris parte.

POΔION. Roſa cauliculata.

Etſi GOLTZIVS, SPANHEMIVS, BEGERVS, alii & ipſe denique GESSNERVS haud pauca Rhodiorum vulgauerint numiſmata; neminem tamen eorum elegantiſſimi huius aerei typum exhibuiſſe

teſtor.

testor. Omnes isti antiquariorum duces auersam de pulcherrimis Rhodiorum rosetis interpretantur, vt ex supra dictis patet; vid. pag. 14. Deam, cuius imago aduersam sibi vindicat, *Cererem* esse ex spicis colligimus. Quumque spicis exornata dea frugifera plerumque Cereris numeribus plena loca venditet; hinc quis est tam ignarus, qui non videat, eandem in hoc Rhodiorum numulo itidem frugum vbertatem indigitare.

115. Idem, aetate detritus, iisdem tamen, quantum iudico, imaginibus signatus.

SERIPHIORVM.

116. Bacchii corona hederacea ornata effigies.
Aquila euolans, in area littera Σ, initialis forte nominis insulae, cernitur.

Corinthios Bacchum praecipue quondam coluisse ex *Pausania* docet BEGERVS. Seriphii, pariter vt Parii, Corinthiorum erant coloni; hinc procul dubio, ad indigitandam hanc suam a Corinthiis originem, *Bacchi effigiem* numis suis impresserunt. De *aquila*, quam in auersa cernimus, BEGERVS aliique silent; NONNIVS ingenue fatetur se prorsus ignorare; vid. *thes. Brand.* tom. I. pag. 436. *sq.* NONNII *comment.* in GOLTZII *Graec* pag. 266.

SMYRNAEORVM.

117. Caput turritum matris deorum Sipylenae.
ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΔΗΜΗΤΡΙ... Isis regina stat habitu stolata, caput calatho ornata, dextra vestis laciniam attollit, laeua cippo innititur, cui infans, vt iudico, instit, qui ipsi sceptrum porrigit.

Huius aerei typus proxime accedit ad numisma, quod illustr. *Rich.* MEAD, eruditissimus Londinensium medicus, in praeclara illa dissertatione *de numis a Smyrnaeis in medicorum honorem percussis* tab. I. n. III. vulgauit. Inscriptione autem noster, ab omnibus hactenus vulgatis Smyrnaeorum numis, differt. *Sipylena* tutelare huius vrbis erat numen, cuius effigiem in aduersa numi parte expres-

expreſſerunt Smyrnaei. Iſis, quia ſocium cum magna matre honorem, eandem ac Aeſculapius potentiam & celebrem in vrbe Smyrna cultum ſortita erat, alteram numi faciem occupat. *Demetrium*, cuius nomen inſcriptio exhibet, medicum & deae Iſidis, ſanitatis praeſidis, ſacerdotem fuiſſe exiſtimo; vid. modo laudata cel. MEADII diſſert. pag. 42. *ſqq.* conf. BEGERVS tom. I. p. 496. *ſq.* de WILDE *ſelect. num. antiqu.* pag. 192. *ſq.*

SYRACVSANORVM.

118. ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Iouis Liberatoris effigies.
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Fulmen & aquila.

Aerugine conſpicuum numiſma, cuius aduerſam BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. I. pag. 383, auerſam autem GOLTZIVS in *Sic. numiſ.* tab. III. num. III. optime expreſſerunt. Syracuſani, quo ſe a Thraſybuli tyrannide liberarent, auxilia ab Agrigentinis, Gelenſibus, aliiſque populis petunt, quorum auxiliis adiuti aliquoties cum Thraſybulo manus, ſed dubio Marte, conſeruere; extremo tandem praelio victores Thraſybulum expellunt, qui, Sicilia excedens deſperato reditu, reliquum aetatis Locris priuatus tranſegit. Ab eo tempore Syracuſani per annos ſexaginta, vſque ad Dionyſii tyrannidem libertate vſi, *Ioui Eleutherio*, ſiue Liberatori, coloſſeam ſtatuam erigunt: hinc itaque numiſmatis typum facile interpretaberis. *Fulmine* & *aquila* Syracuſanos ſummam Iouis ſui Liberatoris poteſtatem & prouidentiam indicare voluiſſe eruditi exiſtimant; vid GOLTZIVS *lib. cit.* pag. 24.

119. Caput Mineruae galeatum; pone monogr. ex Α. & Γ.
ΣΩτείρα ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Diana venatricis habitu arcum tendens, cum cane venatico.

Elegantioris fabricae numiſma. Siciliam venationibus olim aptam fuiſſe, veterum ſcripta & numiſmata indigitant. Ad *Palladem* autem in hoc numo *Dianae* iunctam non aliam BEGERVS adducit rationem, quam *Tullii* verba, dum: *in inſula*, inquit, *ſunt aedes ſacrae complures, ſed duae, quae longe caeteris antecellunt, Dia-*

nae vna, & altera, quae fuit ante istius (scil. Verris) *aduentum ornatissima, Mineruae.* Cum Marcellus Syracusas obsideret, tempus idoneum captandum censuit; differt itaque negotium in proximum Dianae festum, quo, ciuibus epulis vinoque sepultis, nocte, cum altior somnus ebrios ac curis solutos occuparet, scalas proferri iubet, ac mille expeditos ex omni numero delectos, summo cum silentio muros transcendere iubet, caetera. Haec ex GOLTZII *Siciliae descriptione* in eum finem ad hanc pageliam conieci, vt eo facilius appareret, Dianam, perpetua virginitate celebrem deam, apud Syracusanos, quorum bene multa in hunc vsque diem perdurant vetusti aeui λείψανα, summo honore cultam fuisse.

120. ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Arethusae piscibus circumdatum.

Vir bigas agit, superuolitante victoria.

Probe conseruatum sec. mod. numisma. Arethusam fontem ita describit *Tullius: In hac*, inquit, *insula extrema, est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa, incredibili magnitudine, plenissimus piscium.* Et, si *Diodoro* credimus, fontis huius a Nymphis in Dianae honorem excitati pisces sacri fuere. In auersa numi parte, ex mente BEGERI, *bigae*, quibus Syracusarum ciues in Olympicis vicerunt, cernuntur. GOLTZIVS in *Syracusarum descriptione:* Arethusa, inquit, aquas habuit crassas salsioresque, & proinde porui insuaues, plenissimas tamen piscium, quos, quod Dianae sacri essent, religio erat violare; atque hinc varia numismata cum Arethusae capite piscibus circumdato inter Syracusana spectari credibile est. Prodit *Diodorus* obseruatum etiam illos, qui belli tempore eos pisces comedere ausi fuissent, variis calamitatibus oppressos infelicem habuisse exitum; vid. GOLTZIVS *lib. laud.* pag. 18. BEGERVS in *thes. Brand.* tom. I. pag. 384.

121. Idem Arethusae piscibus sacris cinctum simulacrum.

Caput equinum.

Quum eleganter signati numismatis huius typum apud omnes

rei

rei numariae ſcriptores, qui ad meam peruenerunt notitiam, fruſtra requiſiuerim; hinc omnino neminem me reprehenſurum arbitror, ſi ex rariorum numorum ordine SCHVLZIANVM hunc eſſe dixerim. Ex *Arethuſae ſimulacro* Syracuſanorum id eſſe *νόμισμα* coniicimus. *Caput equinum* Carthaginienſium olim erat ſymbolum, quippe quod in fundamentis eius id inuentum ſit; & hinc Syracuſanorum hunc numum ſub Poenorum dominatione cuſum eſſe exiſtimamus.

122. Herculis leonis rictu contectum caput.
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Pallas armata gradiens, dextra iaculum vibrat, ſiniſtra ſcutum geſtat.

Sec. magn. numiſma, cuius typum cel. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* p. 384. exhibet. Cum antiquitatis fatum ſit, vt non ſemper demonſtrationibus effulgeat, ſed interdum coniecturis ſaltim acquieſcat; hinc vtique dubius ſum, vtrum aduerſa numiſmatis facies Syracuſanorum ex Hercule originem, an potius eiuſdem apud Syracuſanos cultum, certe haud ignobilem, indigitet. Quae antea ex *Tullio* de Mineruae apud Siculos templo dict ſunt, ea h. l. itidem in cenſum veniunt. GOLTZIVS ex fide digniſſimis ſcriptoribus commemorat Syracuſis duas aedes ſacras fuiſſe, quarum altera Dianae dicata erat, altera Mineruae, in cuius vertice *ſcutum* Palladis ex aere inauratum fulgebat, ita vt eminus a nauigantibus ex mari conſpiceretur; vid. GOLTZIVS *lib. laud.* pag. 19.

123. Apollinis lauro coronatum caput.
Aquila alas pandens, in area Solis typus.

Sec. magnit. numiſma. *Apollinem*, cuius memoriam apud GESSNERVM haud pauca Syracuſanorum numiſmata conſeruant, laurea & Solis imago produnt. *Homero* Sicilia Solis inſula vocatur; quae inſulae appellatio non caret ratione. Solem enim Syracuſis ſingulis diebus cerni, ex *Plinio* & *Solino* conſtat. Vtrum aquila, aeque vt in priore Syracuſanorum numiſmate, itidem Iouem Liberatorem reſpiciat, an potius ad Apollinem, aut aliud quod-

dam paganorum idolum, referenda ſit, peritiores determinabunt. GOLTZIVS enim, quamuis tab. III. in *Sicil.* & *magn. Gr. hiſt.* ſimile producat numiſma, ſilet, & PARVTAM perperam hactenus requiſiuimus.

124. Caput Iouis Olympici laurea cinctum.

ΣΥΡΑΚΟΣ*ιων*. Bigae aurigante victoria.

Sec. mod. aerugine nobil. obductum numiſma. Certaminum & *victoriarum Olympicarum* teſtes eſſe hunc & ſequentes Syracuſanorum numos nemo facile dubitabit. Quam anxie Syracuſani eam gloriam venati ſint, vel inde conſtat, quod ciues Olympionicas etiam pecunia emerint; vid. BEGERVS tom. I. pag. 385.

125. Idem, cuius inſcriptionis litterae ob aeruginem non adeo a ſe inuicem diſtingui poſſunt. *Numiſma.*

126. Idem, in cuius auerſa quadrigae conſpiciuntur. *Numiſma.*

CHIORVM.

127. Sphinx alata reſidens.

ΧΙΟΣ ΚΑΥΚ. Amphora diota, iuxta quam ſagitta aut nauis gubernaculum.

Elegantiſſimi huius aerei typum itidem perperam apud bene multos rei numariae auctores quaeſiuimus. *Sphingem* hanc *Thebanam* ab Aegyptiaca probe diſtinguendam eſſe eruditi iubent. Vtraque ex marmore rubro, quod πορφυρίτης dicitur, conſeruatur in ampliſſimo Sereniſſimi Boruſſorum regis theſauro; vid. BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. III. pag. 369. ſq. Ante hos duos annos, dum Germaniam verſus iter inſtituerem, Viennae Auſtriae inter alia ſplendidiſſima venerandae antiquitatis monumenta me itidem Aegyptiacam, Pruſſorum paene ſimilem, Sphingem vidiſſe non ſine voluptate recordor. Quae de Sphingibus iſtis antiquariorum principis perilluſtr. *Ezech.* SPANHEMII ſit ſententia, paucis adiiciemus. Sphingem, inquit, inter Aegyptiorum iuuenta antiquarii vulgo referunt; quod tamen ab *Agatharchidis* apud *Photium*, *Diodori*, *Strabonis*, *Plinii*, aliorumque conſtanti relatione alienum; qui eas

eas inter veras ſimias recenſent, & ex Aethiopia in Aegyptum deferri contendunt. His accedit recentior, & oculatus quidam teſtis *Philoſtorgius*, qui vbi varia ſimiarum genera, capris nempe, vrſis, leonibus, aut canibus ſimilium enarraſſet, in illo ipſo terrarum tractu familiarium; in eandem etiam ſimiarum claſſem refert Sphingem a ſe viſam, ad muliebrem formam accedentem; vid. PHILOSTORGII *hiſt. eccleſiaſt. comp.* edit. *Gothofred.* lib. II. cap. II. Idem ſcriptor addit in ſequentibus, Graecanicam de hac Sphinge narrationem inde natam, quod Thebas ab Aegypto delatum hoc animal, ferum inprimis & ab Oedipo interfectum, fabulae locum dederit, alaſque ob motus celeritatem eidem tributas; muliebre pectus, ob ſimilitudinem; & leoninum corpus, propter innatam feritatem; ſermonem vero illius animalis ad humauum accedentem, ſed ſono obſcuro, ad aenigmaticum detortum. Neque mirum id eſſe, nam & multa alia Graecis morem eſſe in fabulam vertere. Haec ex aliorum teſtimonio commemorat SPANHEMIVS, & mox ſuam addit epicriſin, dum: in eo itaque, inquit, diſcrimen ſtatuendum, quod fabuloſae omnino illae fuerint Graecorum Spinges, quae faciem mulieris, pedes & pectus leonis, ac pennas auis habuiſſe dicuntur; ſeu qualis iuxta *Auſonianam* deſcriptionem *volucris pennis*, *pedibus leo*, *ore puella*, in obuiis cum Auguſti, & Chiorum numis; tum in aliis ſimulacris Dianae Epheſinae, aut in galea Palladis, vulgo occurrit: quum Aegyptias Sphinges ab iis diuerſas, ac ἀπτέρους *ſine alis*, cum ex auctoritate veterum, tum ex monumentis in Vrbe paſſim adhuc obuiis, ac inſuper ex numis etiam aliquot liceat obſeruare. His accedit Aegyptii, & quidem luculenti ſcriptoris, *Clementis* nempe teſtimonium; qui nullas vtique alas Sphingibus, ſed totum corpus leonis, faciem autem hominis tribuit; vid. CLEM. ALEX. *ſtromat* lib. V. pag. 567. Ita vt hinc errare pateat, tum qui non alias niſi alatas Sphinges credidere; tum qui inde omne hoc animantium genus continuo fabuloſum ſtatuunt. Hactenus illuſtr. SPANHEMIVS, qui plura de hoc argumento addit in eruditiſſimo ſuo de *vſu* & *praeſt. numiſm.* ope-

I 3 re

re tom. I. pag. 241. *ſqq.* Cl. *Io. Georg.* WACHTERVS Spingem haud veri nominis animal e ſimiarum genere, verum primum Nili ſymbolum, & poſtea omnis ſymbolicae artis imaginem, olim fuiſſe aſſerit; vid. *eiuſd. archaeol. numar.* pag. 85. ſq. Sed reuertamur ad Chiorum Spingem, quae ſimillima illi deprehenditur, quam in binis Chiorum numis Homeri memoriae dicatis BEGERVS in *theſ. Brand* vol. I. pag. 419. & 420. exhibet. Septem olim vrbes,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenae,

de Homeri natiuitate certarunt. Inter eas, in vindicanda ea gloria non exigua fuit Chiorum ambitio. Et hinc Spingem propter Homerici carminis ſapientiam in aduerſa numi pagina cernimus. Non quod Homerus allegoriarum pater fuerit, aut allegoria cum Homero in inſula Chio nata ſit, verum quod in genere ſcribendi allegorico ſummus artifex fuerit; vid. BEGERVS & cl. WACHTERVS locis antea allatis. Perilluſtr. *Ez* SPANHEMIVS etiam ad fortitudinem & induſtriam, immo & oraculis allegoriiſque inuolutam ſapientiam, Sphingem refert, idque non tantum ob Homerum, ſed etiam, quod Chii in vniuerſum iis celebres olim fuerint. Cel. *Sigebert* HAVERCAMPVS *diotam* figulina, quae in Chio fiebant optima, reſpicere exiſtimat. Cl. de WILDE amphoram hanc praeſtantiſſimi vini, quod Aruiſium nominant auctores, indicium eſſe arbitratur: *Ludou* NONNIVS vtrumque ſtatuit; vid. HAVERCAMPI *comment. in theſ. Morell.* pag. 364. de WILDE *ſelect numiſm. antiqua* pag. 64, NONNIVS *in* GOLTZII *Graec.* pag. 252. *Temonem* aut Neptuno, aut Fortunae, aut denique Prouidentiae adſignant. Sed quoniam vrbs iſta, vt ex Thucydide aliisque conſtat, non ſolum rei maritimae ſtuduit, verum etiam magno illo Aſiae motu, quo Ionia a rege Dario deſciuit, ſoli Chii centum triremes in aciem eduxerunt & fortiſſime omnium pugnarunt; facile patet nauis gubernaculum, in auerſa numi parte effictum, Chiorum maritimae potentiae eſſe ſymbolum. Quatuor illas litteras ΚΑΤΚ initiales eſſe nominis eius magiſtratus, qui eo tempore, quo numus ſignatus eſt, opulentiſſimae Chiorum vrbi praefuit, exiſtimamus.

NVMI



Gründler sc. Halae.



NVMI GRAECI INCERTI ET IGNOTI.

128. CEPATP. AOTAHMI. Caput ſingulari corona ornatum, cum pectoris parte gemmis diſtincta.
MOICICEKTI APΘENVAOC. Perſona nuda gradiens, dextra grano ſimile quid praefert, pone ariſta.
Mediae magnitud. numiſma, ſatis craſſum & apprime conſeruatum, ſed Minerua rudi elaboratum.

129 Numus an teſſera? cuius altera pagina prorſus eſt vacua & laeuis; alterius medio exiguus typus oualis impreſſus cernitur, caput ſenile barbatum ſiſtens, cum litteris CAϒ an CMϒ, vt ſit CMϒϱνα, an CAϒλος. Sed forte latinae ſunt litterae CHY.

130. Caput eleganter ornatum, vt videtur, ſpicis coronatum.
KBϒI in corona quernea.
Eleganter ſignatus, natiua aerugine conſpicuus, tert. magnit. numus, cuius typum apud GOLTZIVM, PARISIVM, BEGERVM, SPANHEMIVM, HARDVINVM, GESSNERVM, alioſque haud deprehendes. Quum nuper aereum hunc viro in omni antiquitate verſatiſſimo explorandum exhiberem; valde quidem mirabatur eius elegantiam, locum autem vbi ſignatus ſit, etſi magnis confectis itineribus multa millia viderit numiſmata, ſeſe itidem ignorare ingenue fatebatur.

131. Tert. magn. numus, in cuius altera pagina equus proſtratus cernitur; alteram idolum, dextro humero haſtam in ſummo incuruatam gerens, occupat.

132. 133. Duo aerei ſibi inuicem ſimiles, in quorum aduerſa parte equus ſolutis habenis gradiens cernitur; auerſa vtrobique quadrangularem ignotam figuram ſiſtit.

134. Caput muliebre; in auerſa auis, ſpica & litt... AB.
Craſſus, minoris moduli.

135. 136. Duo tert. mod. numi, ignotis ex vtraque pagina figuris ſignati.

137. Ca-

137. Caput Apollinis laureatum.
Minotaurus gradiens, desuper litt. ΔN..

Caput *Apollinis* & *Minotaurus* in Siculorum, Neapolitanorum, Suessanorum, Calenorum, aliorumque numis occurrunt. Quum autem ex inscriptione, vnico illo subsidio ad discernendos a se inuicem eius generis numos, qui respectu typi conueniunt, prorsus nihil certi elici possit; incertis aereum hunc annumerare cogimur.

138. Caput deae, vt videtur, Dianae.
Copiae cornu; inscriptio, praeter vltimam syllabam ΩN, ob aeruginem haud legi potest.

139. Caput deae eleganter ornatum in antica cernitur; posticam prorsus detritam offendo.

140. Numus crassus quidem, ita tamen aerugine obtectus, vt eius imagines, nobis saltim, obscurae sint.

NVMI FAMILIAR. ROM. ARGENTEI.

ACCOLEIA.

141. *Publius* ACCOLEIVS LARISCOLVS. Caput femininum simplici tegumento ornatum.
Sine epigr. Tres Nymphae, quae in larices arbores mutantur.

Asper, subaeratus. Accoleia gens, quam ab accolendo ita dictam volunt, *plebeia* fuit. Huius gentis nulla, nisi in duabus antiquis inscriptionibus, fit mentio, vbi scribitur Acculeius pro Accoleius, vti antiquitus Agricula, Poblicula, pro Agricola & Poblicola; vid. *Fulu.* VRSINVS in *fam. Rom.* edit. Rom. p. 2. conf. cl. VAILLANTII *numi famil. Rom.* tom. I. pag. 4 Cel. *Sigeb* HAVERCAMPVS in *comment. ad thes. Morell.* pag. 2. denarium hunc ex eorum genere esse asserit, quibus ad nominis sui originem maiorumque alludebant illi, quorum opera cudebantur. P. Accoleius itaque ad agnomen suum, quod a *larice* arbore fuit desumtum, allusisse videtur, dum *Phaëtontis*

tontis sorores, quas in larices arbores mutatas fuisse aiunt, cum matre earundem *Clymene* hoc numo exhibet; vid. BEGERVS in *thes. Brand* tom. II. pag. 529. *Christoph.* WOLTERECK in *elect. rei numariae* pag. 53. Lariscolus iste a Iul. Caesare ciuitate donatus triumuir monetalis constitutus fuisse creditur.

ACILIA.



142 SALVTIS. Caput deae Salutis laureatum, cum inauri. MAnius ACILIVS III. VIR. VALETV*do*. Hygea stans, d. serpentem ori admouens, s. columnae innititur.

Tabulam illustr. SCHVLZII *compendio hist. medicinae praemissam denuo exhibemus. Vides duos huius gentis numos sibi respectu auersae simillimos, quorum priorem hunc in locum coniecimus, posteriorem rarissimum autem alteri numorum consularium ordini adnumerabimus.* Aciliam gentem *plebeiam* fuisse ex veterum scriptorum auctoritate constat. ONVPHRIVS in *descriptione ciuitatis Romanae* lib. II. p. m. 284. nouum ex hoc numo, & apud scriptores antiquos & marmora incognitum, magistratum protulit, dum l. c. *Huius magistratus*, inquit, *nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est; in antiquo vero argenteo numo scriptum est:* M. ACILIVS III. VIR. VALETV. *Hi nostra aetate pestis caussa creari solent, atque Domini Sanitatis vocantur, quibus, temporibus de morbo suspectis, magna potestas concedi solet. Numi vero verba sic ego interpretor: M. Aci-*

Acilius III. vir valetudinis tuendae. Valetudo autem dea Romanis erat, cui *ſerpens* pro ſymbolo, vt patri Aeſculapio, tribuitur. Ex ONVPHRII itaque ſententia Acilius iſte fuit *triumuir valetudinis;* quem deinde plures alii ſunt ſequuti, prout in hac interpretatione quieuit ipſe VAILLANTIVS. Hos, & omnes, qui iſtis calculum adiiciunt, cel. HAVERCAMPVS impugnat, dum cum BEGERO conſentit, qui *caput deae Salutis* & *ſimulacrum Valetudinis* hic rectius agnoſcit; vid. BEGERVS in *theſ. Brand* p. 530. vbi inter alia vir famigeratiſſimus: neque enim, inquit, placet, quod ill. PATINVS de III. viris valetudinariis excogitauit. Excogitauit vero, his cel. HAVERCAMPVS *lib. laud.* pag. 5. addit, ONVPHRIVS, probauit PATINVS; vid. *Iac.* OISELII *theſ. num. antiqu.* pag. 423. *Conſt.* LANDI *numiſm. ſelect.* 148. WOLTERECK *lib cit.* pag. 29. ſq. *Rich.* MEAD in *diſſ. de numis a Smyrnaeis in medicorum honor. percuſſis* tab. II. NIEVPOORTII *antiqu. Rom. ſect.* II. *cap.* VII. §. V.

A E L I A.

143. LAMIA SILIVS ANNIVS. Dextrae iunctae tenentes caduceum.


III. VIRI *Auro Argento Aere Flando Feriundo*, in area S. C.

Aereus. Aeliam ſiue Ailiam gentem, eandem cum Allia, (ex quorundam ſententia a cultu alliorum ita dicta) *plebeiam*, ſed antiquam, maximiſque geſtis magiſtratibus quondam fuiſſe nobilem, ex VRSINO legimus. *Aduerſae typus*, ex mente cl. VAILLANTII & cel. HAVERCAMPI, pacem firmatam ſub Auguſto, eiusque cum ſenatu concordiam indigitat. *Triumuirorum monetalium nomina* in auerſa continentur. Solebant enim vel vnum vel duo vel tria horum triumvirorum nomina in hiſce numis exprimi. Notus eſt, in elegantiſſimo ſuo opere ill. HAVERCAMPVS inquit, triumvirorum monetalium ſub Auguſto magiſtratus, vnus videlicet ex minoribus, qui quidem a Iulio numero erat auctus, ita vt IIII. viri eſſent monetales, ſed ab Auguſto ad triumuiros redactus. Hi magiſtratus ex ſenatus conſulto, quod paſſim per S. C. exprimitur,

aereos

aereos numos percutiebant. Hoc enim ius quoque inter imaginariae libertatis iura, Augustus eiusque successores senatui relinquerunt, vsque ad Gallieni tempora; vnde tot numi aerei, qui litteras S.C. exhibent; conf. NIEVPOORTIVS in *antiqu. Rom. comp.* sect. II. cap. VII. §. V. p. m. 111.

AEMILIA.



Gründler fc. Halae.

144. *Marcus* SCAVR*us* AED*ilis* CVR*ulis*, in imo REX ARETAS, per transuersum in area ex S. C. Rex Aretas genuflexus, laeua camelum stantem, coronam radiatam in gibbo portantem, capistro retinet, dextra ramum oleae cum dependente vitta praefert.

Publius HYPSAE*us* AED*ilis* CVR*ulis*. *Caio* HYPSAE*o* CON*sule* PREIVER*num* CAPT*um*. Iupiter in lentis quadrigis, palliolo humeros tectus, caetera nudus, dextra fulmen, laeua equorum habenas regens; sub equorum pedibus scorpio cernitur.

Rarissimus, de cuius imagine, quam sistimus, testamur, quod seruata iusta magnitudine fidelissime curauerimus exprimenda, nec quidquam ab archetypo diuersum in delineatione admissum esse. Aemiliam gentem nobilissimis atque antiquissimis *patriciis* Romanorum familiis Antiquarii adnumerant. Distincta fuit in plura cognomina; ex quibus in numis occurrunt *Scauri*, *Lepidi*, *Paulli*, caetera.

Vir de re numaria meritiſſimus *Andr.* MORELLIVS in epiſtola ad cel. *Iacob.* PERIZONIVM aſſerit, ſe nunquam in aduerſa huius numi pagina *coronam radiatam*, dorſo cameli impoſitam, obſeruaſſe, ſed ſaltem tegumentum quoddam ad vehenda onera aptum, etiamſi vltra centum eiuſmodi numos viderit; optatque ſcire, vtrum re vera talis numus vnquam repertus ſit. Nullam etenim, inquit vir celebris, perſpicere poſſum rationem, cur haec corona radiata eſſe poſſit: nam rex Aretas, aliique reges diademate, non eiuſmodi corona vſi ſunt, & apud Romanos illo tempore mortis erat ſignum, quippe qua Diuorum capita radiabant; vid. *Chriſtoph.* WOLTERECKII *electa rei numariae* p. 47. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS in eadem manet ſententia, coronam hanc radiatam itidem in dubium vocat, & eapropter in cl. *Laurent.* BEGERVM acerbius inuehitur, dum: BEGERVS, inquit, in *theſ. Brand.* II. pag. 531. pro clitellis coronam radiatam nobis effingit, gibbum hirſutum, Iouem veſtitum toto corpore; quae omnia ſunt contra denariorum fidem, quos plures habeo, integerrimos, in quibus clare agnoſcuntur clitellae. Camelo enim vectus rex clitellis inſedit, a quibus delapſus, & in alterum procumbens genu, ramum oliuae praefert, dependentibus vittis, quas ex fide quoque denariorum expreſſit Morellius, neglexerunt vero temere VRSINVS, GORLAEVS, PATINVS & ipſe BEGERVS; vid. cel. HAVERCAMPI *comment. in theſ. Morell.* pag. 8. Facile quidem largior, haud accurate ſatis Aemiliae gentis numos apud BEGERVM, loco antea allato, delineatos eſſe. Hinc tamen haud aliquem concluſurum arbitror, quod corona radiata, de qua nobis h. l. ſermo eſt, bini argentei careant, qui in ampliſſimis SERENISSIMI BORVSSORVM REGIS theſauris adſeruantur. Videant quibus manibus propriis tractare illos licet, an non propius ad hanc, quam exhibuimus, SCHVLZIANI numi delineationem, quam ad Begerianam accedant. Idem de numis iſtis a cel. BEGERO vulgatis nobiſcum ſentit cl. GALLANDVS, dum in epiſtola ad *Andr.* MORELLIVM: vt itaque, inquit, ex voto tuo cognoſcas, quod eiuſmodi numus corona conſpicuus,

qualem

qualem BEGERVS exhibuit, vere exiſtat, ectypon numiſmatis Focaltini te huius rei certiorem reddere poterit, tibique perſuadere, cl. BEGERVM minime illuſiſſe lectoribus, quando numum a ſe viſum deſcripſit; vid. *Chriſtoph.* WOLTERECK. *lib. laud.* pag. 77. Cum itaque hic argenteus Aemiliae gentis numus, a tantis rei numariae ſideribus in dubium vocatus, certiſſime exſtet in numophylacio SCHVLZIANO: apparet quo iure eruditiſſimus HAVERCAMPVS, a cel. BEGERO coronam hanc effictam eſſe, contendat; certiſſimi inſuper eſt indicii, hunc corona inſignitum *eximiae raritatis* numum eſſe, de quo GALLANDVS iam pridem edocuit MORELLIVM; vid. WOLTERECK *loc. cit.* Duarum gentium decora in eleganti hoc denario adumbrantur, Aemiliae in aduerſa, Plautiae vero in auerſa numi pagina. Priorem itaque ſaltim denarii partem h. l. exponemus, de poſteriori infra ſuo loco acturi. M. Scaurus, qui hunc percuſſit numum, M. Scauri principis ſenatus filius, aedilis curulis cum Plautio Hypſaeo A. V. C. IↃCLXXXXV. fuit, atque hoc typo res, quas in oriente contra Arabas A. V. IↃCLXXXXII geſſerat, celebrauit. Hic enim Aretam Arabiae regem, quum a Pompeio, cui proquaeſtore in Mithridatico bello aderat, rebus ibi gerendis praefectus eſſet, coegit bellum deprecari, atque trecenta talenta dare, vt ipſe exercitum ex Arabia deduceret. In cuius rei memoriam Rex Aretas, ſupplicis inſtar, in dextrum genu prolapſus in hoc numo cernitur. Plura de rege Areta commemorant *Ioſephus* & *Appianus*. *Scorpio* nota monetarii eſt; vid. *Fulu.* VRSINVS in aureo illo *famil. Rom.* opere, edit. Romanae pag. 5. VAILLANTIVS in *numis famil. Rom.* tom. I. pag. 49. cel. HAVERCAMPVS *loc. cit.* conf. *Iac.* OISELIVS in *theſauro numiſmatum antiq.* pag. 87. *Conſtant.* LANDVS in *numiſm. ſelect.* pag. 50. ſqq.

145. Idem numus abſque corona.

Huius denarii imaginem propterea praecedentis typo adiunximus, vt eo luculentius differentia inter Begerianum & Morellianum appareret. Quemadmodum enim antecendens rariſſimus

 procul

procul dubio regio eſt ſimillimus; ita iſte itidem apprime conuenit cum typo Morelliano. In eo autem, ni fallor, potiſſimum hi numi diſcrepant, vt in illo coronam videas, in hoc clitellae, & praeter easdem cingulus, quo camelus infra ventrem reuinctus eſt, appareant. *Vnius thaleri pretium huic denario conſtituunt Antiquarii. Quoniam duas reſpicit familias.*

146. ROMA. Caput Veneris laureatum, cum denarii nota.
MAN*io* AEMILIO LEP*ido.* Litterae tres LEP. totidem fornicibus pontis includuntur, in quo ſtatua eſt equeſtris, d. haſtam praelongam tenens.

Bene conſeruatus. *Lepidi pontem*, qui initio *ſublicius* fuit, ita dictus quod ex ligno eſſet, a ſublicibus ſcilicet, in auerſa numi pagina expreſſum eſſe eruditi exiſtimant. Lapideum fecit Aemilius quidam, quem quaeſtorem appellat *Plutarchus* in *Numa* edit. opt. tom. I. pag. 66. ἡ δὲ λιθίνη πολλοῖς ὕστερον ἐξειργάσθη χρόνοις ὑπὸ Αἰμυλίου ταμιεύοντος. κ. τ. λ. Vnde poſtea modo *pons Aemilius* nouo, modo veteri *ſublicius* dictus fuit. Fuit hic Manius Aemilius Lepidus conſul cum L. Volcatio Tullo eo tempore, quo Cicero praetura functus fuit, & Catilinae coniuratio ſemina ſparſit. Vtrum autem ad hunc Lepidum, an ad Ancum Marcium, an ad alium quendam ſtatua equeſtris ſupra pontem erecta pertineat, quaeritur. VRSINVS dubitat: VAILLANTIVS ex inſcriptione ad hunc Aemilium Lepidum eandem pertinere exiſtimat. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS in eruditiſſimo ad theſaurum Morellianum commentario adductis rationibus id negat, quod VAILLANTIVS affirmat, ſtatuamque hanc potius Anco Marcio Romanorum regi tribuit: ego non puto, inquit, Romanos permiſſuros fuiſſe, vt quaeſtori tantus honos haberetur; neque aliquis ex maioribus eius ſtatua equeſtri honoratus legitur, ideoque incerta admodum & improbabilis illa coniectura eſt. Crediderim potius ad Ancum Marcium, quartum Romanorum regem, eſſe referendam, idque duabus magnis de cauſſis. Prior eſt, quod pontem ſublicium ipſe ille Ancus Marcius exſtruxerit, qui ſublicio iſto ponte Ia-

niculum

niculum montem, vltra Tiberim, ne aliquando arx hoſtium foret, vrbi iunxit; adeoque vt inſignis eiuſdem ampliator & defenſor, in iſto potiſſimum ponte equeſtrem merebatur ſtatuam. Altera, quod ſtatuam itidem equeſtrem illi erectam cernimus ſuper Aquaeductum Marcium in denariis familiae Marciae (operis Morelliani) tab. I num. 1. & 2.; vid. *comment. in theſ. Morell.* pag. 9. VAILLANTIVS in *famil. Rom. numis* pag. 35. VRSINVS per PATINVM auctus pag. 8. BEGERVS in *theſ. Brand.* tom. II. pag. 531. Vox *Roma* in vrbe hunc denarium ſignatum eſſe indicat.

147. Caput Veneris victricis, retro palmae ramus.

Marcus LEPIDVS AN*orum* XV. PR*aetextatus* *Hoſtem Occidit Ciuem Seruauit.* Statua equeſtris, quae dextra manu ſuper humeros tropaeum gerit terreſtre ſimul & nauale, quod indicat prora thoraci in tropaeo ſuppoſita.

Huic denario duorum thalerorum pretium Antiquarii ſtatuunt. Marci Lepidi triumuiri & pontificis maximi temporibus hunc cuſum eſſe, atque eum hoc numo Lepidi iſtius, qui maximum decus familiae adtulerat, honores celebraſſe, cel. HAVERCAMPVS nos edocet. Fuit is, mox addit vir doctiſſimus, M. Lepidus, qui bis conſul exſtitit; pontifex maximus; cenſor cum M. Fuluio Nobiliore; quique miſſus in Aegyptum eſt ad tutelam Ptolemaei, regis Aegypti; princeps ſenatus; qui praetextatus coronam ciuicam meruit, vir factus, de Gallis Liguribuſque triumphauit. In hoc denario ſtatua eius eſt equeſtris, ipſi erecta, quum de Liguribus & Gallis triumphaſſet; ad Gallos tropaeum terreſtre ſpectat; ad Ligures, vtpote qui littora accolebant, tropaeum nauale; quae duo connectuntur in longo conto, qui in parte inferiore ferratas duas habet cuſpides, vt terrae infigi poſſit. Huius Lepidi meminit *Valer. Maxim.* lib. III. cap. I. p. m. 80 iiſdem fere verbis, quibus denarii inſcriptio exarata eſt, niſi quod pro *interemit* in denario occurrat litt. o, quam rei numariae periti interpretantur *occidit.* *Palmae ramus* ex ill. HAVERCAMPI ſententia haud factum Lepidi, cum adhuc eſſet praetextatus, reſpicit, quo ciuicam meruit;

ruit;

ruit; neque ad victoriam de Gallis & Liguribus referri potest, qua lauream. Pertinet itaque ad legationem, quam suscepit in Aegyptum, vbi tutor regis constitutus est, tempore quo Aegypti regno inhians, & in primis Coelesyriae & Phoeniciae prouinciis Antiochus, Syriae rex, iam magnam istarum regionum partem occupauerat, immo ipsam Sidonem ceperat. Symbolum vero Phoeniciae & Sidonis est *palmae ramus;* vid. HAVERCAMPI *comment. in thes Morell.* pag. 9. sq. *Veneris Victricis* imaginem itidem has Lepidi victorias indigitare VAILLANTIVS existimat; vid. *eiusd. famil. Rom. num.* pag. 30.

148. CONCORDIA. Cap. deae Concordiae velatum, pone inscriptio PAVLLVS LEPIDVS.

TER PAVLLVS. Paullus consul tropaeum dedicat de Perse rege Macedoniae, qui illi ex aduerso adstat manibus post terga reuinctis. Adstant itidem duo regis filioli, qui vna cum patre in triumphum ducti fuerunt.

Optime conseruatus, elegantioris fabricae numus, cuius typum tab. III. *n.* I. *sistimus. Deam Concordiam* propterea, procul dubio, Paullus Lepidus selegit, vt concordiam suam cum fratre adoptiuo M. Lepido denotaret. Nam Paullus Lepidum populi Romani hostem iudicauit, & Lepidus tandem, triumuir rei publicae constituendae factus, eum proscripsit, quem milites seruauere honoris caussa, & passi sunt eum ad Brutum in Asiam confugere, hunc Octauius Caesar postea reuocauit; vid. VAILLANTIVS *lib cit.* tom. I. pag. 27. *Tropaeum* L. Aemilii de Perse Macedoniae rege auersa numi pagina exhibet. *Tropaea* erant corpora trunca cum spoliis hostium eo in loco, vbi hostes in fugam conuersi, sed eminentiore prouinciae aut regni bello subacti, ad aeternam memoriam erecta. Ei dextram apponit victor, quasi illud posuerit; victori ex aduerso adstat Perses cum liberis Philippo & Alexandro, ad indicandum, quod rege capto, & filiis Romam in triumpho adductis, Macedoniae regnum non amplius eius potestati subiaceat; sed imperio Romano tributarium sit. L. Aemilium ter triumphasse vo-

cula

cula TER indigitat; vid. VRSINVS per PATINVM auctus pag. 9. VAILLANT. l. c. pag. 26. *Conſt.* LANDI *ſelect. numiſm.* pag. 44. ſqq. *Iac.* OVZELII *theſaur. numiſm. antiquor.* pag. 432. *Eraſmi* FROELICHII, *S. I. quatuor tentamina in re numar. vet.* pag. 13. Quae de huius denarii ſenſu inter ſe diſſeruerunt MORELLIUS & PERIZONIVS, ea deprehendes in cel. HAVERCAMPI *comment. ad numos Goltzianos* pag. 494. conf. p. 488; vbi ipſa doctiſſimorum virorum verba inſerta inueniuntur. PERIZONIVS Aemilium hunc ter triumphaſſe negat; quod MORELLIVS affirmat. Quumque MORELLIVS PERIZONIVM haud in ſuas partes trahere poſſet; non illepide: L. Paullo, inquit, conſtantiſſime denegas triumphum tertium, etiamſi lapides illum concedere videantur. Si ergo & alios tibi in hoc adſurgere videam, TER tibi gratulabor, quod victor triumphum, ob triumphi denegationem, adeptus ſis; conf. WOLTERECK *in elect. rei numar.* pag. 46. Tandem ex iſtis eruditae antiquitatis monumentis veteres vocem *Paullus* duplici intermedia conſona exaraſſe patet.

ANNIA.

149. *C*aius ANNI*us* T*iti* F*ilius*, T*iti* N*epos* PROCO*nsule*. EX *S*ENA*tus* CO*nſulto*. Caput Iunonis Monetae, cum monili, inauribus & galero.

*Q*uintus TARQVIT*ius* P*ublii* F*ilius* Q*uaeſtor*. Bigae cum Victoria palmifera.

Subaeratus, eroſus, quem, quia & ad Tarquitiam gentem ſpectat, Ioachimico coëmunt periti. Gens haec fuit *plebeia*, vti ex tribunatu plebis patet, quem Annius quidam, proauus Annii iſtius, qui hos ſignauit denarios A. V. C. IↃXVII, geſſit. Hic Caius Annius patrem profitetur Titum, qui poſt tribunatum plebis alioſque honores tandem conſulatum cum Q. Fuluio Nobiliore adeptus eſt. Auum ſuum itidem Titum ſcribit, qui tr. quoque pl. fuit A. V. CIↃLXXIII, patremque habuit cognominem eodem illo honore functum A. V. CIↃLXVII. Noſter C. Annius in re publica Sullae partes

L ſequu-

ſequutus, poſt tribunatum pl. & praeturam, cum proconſulari imperio contra Sertorium in Hiſpanias a Sulla miſſus fuit, vbi magnas res geſſit, atque occiſo Liuio Salinatore reſiſtente ſibi in Pyrenaeis, nondum confirmatum in Hiſpania Sertorium, eo quidem tempore, prouincia expulit. Vtramque vero Hiſpaniam, vlteriorem & citeriorem, proconſulari imperio rexiſſe demonſtrant quam plurimi eius denarii, a duobus, ob duplicem prouinciam, quaeſtoribus cuſi, Quinto videlicet Tarquitio bigati, & Lucio Fabio quadrigati denarii. Ex *theſ. numiſmatico Morelliano* pag. 15.

150. *Ead. epigraphe.* Caput idem Iunonis, hinc inde caduceus & bilanx.

L*ucius* FABI*us* L*ucii* F*ilius* HISP*anienſis* Q*uaeſtor.* Quadrigae, aurigante victoria, dextra tenente palmam.

Bene conſeruatus, cuius pretium, aeque vt praecedentis, quia ad duas familias ſpectat, vnius eſt imperialis. Caduceus & bilanx aequitatis & iuſtitiae ſunt ſymbola. Lanx ante caput, inquit VAILLANTIVS, monetae ſymbolum eſt, quia vt illa valeat, iuſti debet eſſe ponderis; *caduceus* felicitatis typus eſt, ſic qui moneta abundat, felicitatem conſequutus fuiſſe putatur. Praeter Q. Tarquitium, alterum Quaeſtorem quoque habuit C. Annius Lucium Fabium Hiſpanienſem: quamuis pater eius Lucius item Fabius, partibus Sertorianis, vna cum illo proſcriptus adhaereret, vti ex poſtremo eiuſdem Sertorii conuiuio patere poteſt, quod deſcribitur inter fragmenta Salluſtiana; vid. HAVERCAMPI *comment. in theſ. Morell.* pag. 16. *Bigae, trigae & quadrigae*, quae creberrime in familiarum numis occurrunt, non pertinent ad honorem triumphi; vid. in *hiſt. de l'Acad. des inſcript.* tom. I. pag. 294.

151. ANNIVS LAMIA SILIVS. Dextrae caduceum tenentes.

IIIVIR*i* A*uro* A*rgento* A*ere* F*lando* F*eriundo.* in area S. C.

Aereus min. mod. Annius hic triumuir monetalis fuit ſub Auguſto, vna cum Silio & Lamia, cuius Aelii Lamiae hunc numum iam num. 143. in gente Aelia vidimus.

ANTE-

ANTESTIA.

152. GRACchus. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.
Lucius ANTEStius. ROMA. Iupiter Vltor, d. fulmen, ſ. ſceptrum tenens, in quadrigis.

Gens haec itidem tribunatum pl. geſſit; & hinc colligitur eandem fuiſſe *plebeiam:* quod etiam *Liuius* Lib. VI. dec. 1. teſtatur. Anteſtii & Antiſtii VRSINO, PATINO & VAILLANTIO ex vna gente fuiſſe videntur. HAVERCAMPVS diuerſos illos fuiſſe aſſerit. Vox ROMA Romae hunc denarium ſignatum eſſe indicat. Cl. VALENS in explicatione huius numi inter alia: *Iupiter* Fulminator, inquit, in quadrigis pro victoria apponebatur, dum Romani bellum gerebant contra foedifragos, vt tunc contra Hannibalem in ſecundo bello Punico; quia in eius templo, ſcil. Capitolino, foederum aeneae tabulae cum regibus, populis & ciuitatibus initorum, cuſtodiebantur. Haec VAILLANTIVS in *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 71. Cuſus eſt itaque hic numus, quum periuriam Poenorum creparent Romani, atque etiam in denariis Iouem illis vltorem imminere diſſeminarent; vid. *Liuius* lib. XXX. cap. 37. Huc ſpectat & memorabile illud legati Carthaginienſis, Aſdrubalis Haedi, dictum, lib. eod. cap. 42, qui, quum ſenator ex Romanis vnus, perfidiae Carthaginienſium infeſtus, ſucclamaſſet: *Per quos deos foedus icturi eſſent, quum eos, per quos ante ictum eſſet, fefelliſſent? Per eosdem*, promte reſpondit, *qui tam infeſti ſunt foedera violantibus.* Ex voce dimidia, quam aduerſa exhibet, VAILLANTIVS autumat, hunc numum ad L. Anteſtium M. F. M. N. qui tribunus pl. fuit A. V. cIxxxI. cum Sempronio Graccho, ſpectare, atque in hoc magiſtratu eundem ſignatum eſſe arbitratur. Cel. HAVERCAMPVS hos potius triumuiros monetales fuiſſe exiſtimat; de quo Romanorum magiſtratu ad num. 143. in Aelia gente egimus.

153. Caius ANTESTIus. Caput Romae galeat. & alatum.
ROMA. Dioſcuri in equis, ſubtus canis currens.

Caput Romae vt & *Caſtoris* & *Pollucis* in equis decurrentium ima-

gines ſolita antiquiſſimorum denariorum fuiſſe ſymbola, in eo conſentiunt antiquarii. Cuſi enim fuere hi numi in memoria apparitionis ad lacum Regillenſem, & victoriae ibidem Dioſcurorum opera adquiſitae. Typum hunc exprimere ſolebant, qui origine Latini erant, quod foedus hac occaſione hi cum Romanis pepigerant. *Canis* iſte, vbi de hoc numo agit VAILLANTIVS, inquit, pertinet ad aliquam familiae hiſtoriam, quam *Dio* commemorat, quum ille Anteſtium quendam ſeruauit, per feneſtram latrans, vnde Anteſtia gens ſemper in ſigillo habuit canem; vid. VAILLANTIVS *l. c.*

ANTONIA.

154. M*arcus* ANTONIVS M*arci* F*ilius* M*arci* N*epos* AVGVR IMP*erator* TER. & ab altera parte CO*nsul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* III VIR R*ei* P*ublicae* C*onſtituendae*. Caput Solis radiatum ex hac parte; ex altera exhibetur ipſe Antonius gradiens, togatus & velato capite, baculum auguralem incuruum, quem *lituum* dicebant, dextra ferens.

In aduerſa paullulum exeſa eſt inſcriptio. Fuit, in prooemio ad Antoniam gentem VAILLANTIVS inquit, vetus fama, ducere ab Hercule Antonios genus, atque ab Antone Herculis filio eſſe prognatos. Inter familias *nobiliſſimas*, quae a primis ſenatoribus ſub Romulo patriciae maiorum gentium appellatae ſunt, reperitur & Antonia gens; ſed haec ſub cognomine Merenda extincta, reliqua proceſſione temporis ad plebem, vt pluribus nobilibus accidit, videtur tranſiiſſe. Hinc eſt, addit HAVERCAMPVS, quod in hiſtoriis, inſcriptionibus & numis, nulli Antonii, niſi iam plebeii cognoſcuntur. Quum aeque vt ad explicationem omnium conſularium plurimum valeant cl. VAILLANTIVS & cel HAVERCAMPVS, ita & h. l. omne ferant punctum: hinc tantorum, de re numaria meritiſſimorum, virorum ſententiam, vt paſſim, ita & ad huius denarii interpretationem, inſerendam eſſe duximus. *Antonius*, inquit VAILLANTIVS, *augurali habitu* in hoc denario non ſine cauſſa exhibetur, & quidem *velatus*, *lituum* dextra tenens, tanquam

quam augurium capturus hoc baculo, quo caeli regiones describebant, & designabant augures: at quum in auersa parte *Caput Solis radiati* expressum est, & in sequente denario idem caput in templo visitur, liceat mihi etiam augurari Antonium pro loco inquirendo ad delubrum idoneo, quod illi sub Solis imagine Aegyptii exstruere volebant, auspicia captare. Numus quum *imperatorem tertio* Antonium appellet, & *consul* tantum *designatus iterum*, annum IↃCCXVIII. denotat, quo illum titulum ob deuictam Armeniam accepit, antequam consulatum secundum iniret, Kal. Ian. an. IↃCCXVIIII. Ita hunc numum cl. VALENS explicat. Cel. HAVERCAMPVS ad eundem hunc denarium: A. V. C. IↃCCXVIII, inquit, illato Parthis bello Antonius in principio adblandientem habuit fortunam, sed mox eadem aduersante, in iniqua compulsus loca, ne sibi, quod olim Crasso, accideret, metuens, turpiter, multis amissis militibus, fugit. Voluit tamen videri victor Parthorum; immo quum in Syriam profugisset, ibi incredibili quadam mentis vecordia, ferociorem aliquando factum esse tradit *Florus* IIII. 10, quasi vicisset, qui aegre euaserat: hinc, vt Orientis domitor videretur, in pluribus denariis *Solis caput*, symbolum Orientis expressisse. Cui templum quoque condidisse testatur sequens denarius; ipse vero Antonius, vt augur, augurali habitu in ipso opere hic exhibetur, tenens videlicet dextra *lituum*, id est, vt definit Seruius ad *Virg. Aen.* VII. 187. *incuruum augurum baculum, quo vtebantur ad designanda caeli spatia; nam manu non licebat.* Condendi *templi locus* antea a diis petendus atque adprobandus erat, in quem ipse Antonius hic exhibetur inquirens, atque lituo suo caeli regiones describens. Haec HAVERCAMPVS; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 20. conf. *eiusdem operis praefatio.*

155. M*arcus* ANTONI*us* IMP*erator.* Caput M. Antonii nudum.
IIIVIR R*ei* P*ublicae* C*onstituendae.* Templum cum duabus columnis, in cuius medio clypeus, in quo caput aduersum Solis radiati.

Quatuor thalerorum pretium huic denario harum deliciarum gnari constituunt. Antonius Alexandrum primogenitum, quem e Cleopatra susceperat, Solem cognominauit; apud *Plutarchum in eius vita* ἐπίκλησιν δὲ Ἀλέξανδρον τὸν μὲν Ἥλιον. A quo Antonii filio maxime lucem capit iste numus. Cernitur enim in auersa numi pagina *clypeus cum imagine Solis.* Vnde HAVERCAMPO in templo Soli erecto dedicasse videntur Antonius & Cleopatra imaginem filii sui, quem Solem vocabant, Alexandri clypeo insculptam, vt solebant per illa tempora tales clypei dedicari & in templis suspendi; vid. *thes. Morell. loc. cit.* conf. VAILLANT. *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 109 sq.

156. M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* III. VIR R. P. C. M*arcus* BARBAT*us* Q*uaestor* P*rouincialis.* Caput M. Antonii.

CAESAR IMP. PONT*ifex* IIIVIR R. P. C. Caput Caesaris.

Elegantioris fabricae denarius, cuius typum tab. III. n. II. exhibet. MORELLIVS *quatuor Ioachimicorum pretium huic numo constituit.* Eo tempore, quo triumuiratum primum rei publicae Romanae euersores inuaserunt, hunc signatum esse, vtriusque paginae typus suadet. Hinc enim Antonii inde Caesaris faciem cernis. Quod vero denarii, qui Lepidi faciem coniunctam cum Caesaris aut Antonii imaginibus exhibent, rarissime occurrant, imminuta per Caesarem Lepidi potestas fecit, atque reconciliatio cum Antonio, accedente etiam vinculo cognationis, quum A. V. C. IↃCCXIIII ducta sorore Octauia cum Caesare pacem fecisset Antonius. M. *Barbatus* quaestor prouincialis ad communem vtriusque potentiam arguendam hunc signauit denarium; vid. VAILL. in *gentis Antoniae numis, num.* XVIII. & XVIIII. conf. *thes. Morell.* pag. 23.

157. M*arcus* ANT*onius* CO*n*S*ul* III. IMP*erator* IIII. Caput Iouis Ammonis, cum cornu arietino.

SCARPVS IMP*erator* ANTONIO AVG*uri.* Victoria gradiens, dextra corollam, laeua portat palmam super humeros.

Secun-

Secundum Morellianam consularium numorum aestimationem denarii istius pretium duorum est scutatorum. Antonius *tertium consulatum* nunquam gessit; quia pop. Rom. hostis declaratus fuerat. Nec *Imper IIII* titulum vnquam meruit; victus enim in puga Actiaca, non victor fuit. Quia tamen denarius hos honoris titulos Antonio tribuit; hinc opinatur VAILLANTIVS, Antonium post fugam Actiacam simulasse victoriam, quam quoque Cleopatra, vt tutius fugeret, mentita fuerat, mentitum etiam fuisse III sibi consulatum delatum; atque ideo Paraetonii Marmoricae vrbe, vbi adpulit Antonius, hosce denarios cudisse Scarpum, qui *Iouis Ammonis effigiem gerunt*, quod illa vrbs *Ammonia* quoque vocaretur. Iratum deinde Scarpum, quod se deceptum vidisset, absente Antonio, cum legionibus suis ad Caesarem defecisse: vid. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. I. p. 112 sq. Aliam cel. HAVERCAMPVS, & forte vero similiorem suppeditat interpretationem, dum: Profecturus, inquit, contra Caesarem Antonius tantis ipse copiis naualibus & terrestribus instructus erat; vt facilem ipse & Cleopatra sperarent victoriam, vnde noluit vela nauium bellicarum a gubernatoribus in terra relinqui, verum in naues imponi, addens, *faciendum ne quis hostium fuga euadat.* Hac & simili vesania actus, Alexandriae III. ineuns consulatum, potuit hunc & similes denarios cum victoria praeuia, praeoccupato imp. IIII. titulo cudere; immo mentiri hanc ipsam victoriam ab ipso Ioue Ammone promissam & praedictam; vid. *thes. Morell.* tom. I. pag. 23. sq.

158. Caput Victoriae cum humeris alatis.
LVGVDVNI A. XL. Leo gradiens.

Quinarius, qui, quamuis exiguus sit, thaleri tamen pretium sustinet. *Lugduni* in Galliis anno cuiusdam aerae XL, sub triumuiratu M. Antonii, haud dubie, cusus est elegans iste *quinarius.* Praeclaram cel. VAILLANTIVS huius numi suppeditauit interpretationem, cuius summa huc redit. Cisalpina Gallia A. V. C. IↃCXXXIII Romana facta fuit prouincia. Lugdunum autem municipium Romanum

manum factum fuit ſub M. Antonio Cretico, M. Antonii triumuiri patre, M. Antonii Oratoris filio. A Claudio tandem imperatore, qui per matrem Antoniam adtingebat Antonios, iure ciuitatis Romanae donatum eſt. Lugdunum vero municipium Romanum factum ſub M. Antonio Cretico, quaeſtore prouinciali, inde aeram ſuam numerare coepit; in triumuiratus autem diuiſione Lepido Hiſpania ac Gallia Narbonenſis obuenit, Antonio reliqua Gallia, videlicet Ciſalpina & Tranſalpina, in qua quum eſſet Lugdunum, in qua vrbe grata patris Antonii Cretici adhuc erat memoria, hoſce Antonio triumuiro quinarios cuderunt Lugdunenſes, illi gratulantes victoriam Parthicam, ſuaeque vrbis inſigne, *leonem*, triumuiri ex Hercule origini adplicuernnt; vid. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. I. p. 90 ſqq. conf. *theſ. Morell.* tom. II. p. 26 ſq.

159. M*arcus* ANT*onius* IMP*erator*. Lituus, guttus & gallus gallinaceus.

Sine epigr. Victoria coronam imponens tropaeo.

Quinarius. De *lituo* ad primum Antoniae gentis denarium num. 154 egimus; conf. BEGERI *Florus* pag. 34. *Guttus* ſiue *guttum* erat genus vaſis, quo Romani vtebantur ad oleum in balneis guttatim fundendum, quo poſt lauationem in vnctuario ab vnctore vngebantur. Erat etiam in ſacra ſupellectile, ex fago; vid. *Samuel.* PITISCVS in *antiquit. Rom. lexico.* De *gallo gallinaceo* vid. BEGERVS *loc. cit.* & pag. 240; conf. NIEVPOORTIVS in *antiqu. Rom. comp. edit. Geſner.* p. 254. Erant haec apud Romanos auguratus inſignia. Apud GOLTZIVM occurrit numus, cum nota prorogati triumuiratus, qui ſimilem typum in auerſa, atque M. Antonii caput in aduerſa, ſiſtit; vnde videtur quinarium hunc ad Parthicam Antonii victoriam referendum eſſe, poſt ruptam cum Pompeio pacem, atque prorogatum triumuiratum; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. I. p. 98. HAVERC. in *theſ. Morell.* p. 27.

160. ANT*onius* AVGVR III. VIR R*ei* P*ubl.* C*onſtit.* Nauis praetoria. COHORTIVM PRAETORIARVM. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Aeſti-

Aestimatio Morelliana huic denorio itidem duorum thalerorum pretium constituit. Huius numi typum tab. III. n. III. exhibemus. Idem typus vtrimque sex sequentes occupat denarios, de quibus fuse & erudite scripsit VAILLANTIVS. Quae sensum breuiter significant, quaeque inde non ita pridem cel. HAVERCAMPVS excerpsit; ea paucis adiiciemus. *Cohors* dicebatur a cohortando, decemque legiones cohortem constituebant. *Praetaria cohors* dicebatur illa, quae ad praetorium imperatoris stabat, atque a praetore non discedebat; inuenta, vt creditur, a Scipione Africano, qui fortissimum quemque ad custodiam corporis delegit; accipiebant praetoriani sesquiduplex stipendium. Laudantur itaque hic pedestres & nauales Antonii valentissimae copiae, quas, ex tot legionum numero, fuisse maximas apparet. *Praetoria nauis* custodiam imperatoris in mari iactat, *praetorianae cohortes* salutem Antonii in terra sibi comissam gloriantur; vid. VAILL. *fam. Rom. num.* tom. I. p. 121. conf. *thes. Morell.* tom. II. pag. 28.

161. ———————————

LEG*io* II. Aquila legionaria (vt in praecedenti & subsequentibus) inter duo signa militaria.

Legiones plurimae in Antonii denariis inueniuntur, quos ille cum signis & inscriptionibus legionum cudi curauit, vt militum gratiam aucuparetur, simulque terrestres & nauales ostentaret copias. Obseruandum h. l. legionis primae denarium nondum repertum esse. Primum PATINVS protulit legionem XXIIII, qui numus docet legionum numerum eousque fuisse multiplicatum. Cl. VAILLANTIVS: exercitus Romanus, inter alia inquit, constabat ex legionibus suis & auxiliis sociorum. Legionum autem numerus vt & militum equitumue, qui eam constituebant, non semper idem fuit: primis enim temporibus ad quatuor millia hominum aucta est legio, duas quisque consul ad bellum profecturus sortiebatur; C. Marius eas auxit ad sex millia peditum, legioni additi erant trecenti equites. Cum vero nobis h. l. de Antonii legionibus sermo sit, quot habuerit inquirendum. Appianus,

quem legionum numerum Antonius & Caesar tunc conscripserint non refert; numi Antonii viginti quatuor illum confecisse nos edocent. Quanta itaque lux historiae ex numis effulgeat, hinc facile adparet; vbi enim illa deficit, haec saepe in subsidium venit; vid. VAILL. *lib. laud.* tom. I. p. 116 sqq. conf. *thes. Morell.* tom. I. p. 28.

162. ———————

LEG*io* X. ———————

163. ———————

LEG*io* XVI. ———————

164. ———————

LEG*io* XVIII LYBICAE. ———

Hic argenteus secundum aestimationem Morellianam solidum imperialem valet. Dubium non est, quin haec legio a regione, ex qua aut in qua conscripti essent milites, nuncupata sit.

165. ———————

LEG. XIX. ———————

166. ———————

LEG. XX. ———————

167. S. C. Caput Iouis laureatum.

Quintus ANTO*nius* BALB*us* PR*aetor*. Victoria in quadrigis, d. tenet palmam, l. coronam; in area litt. R.

Asper, *serratus*. Eos, qui in hoc denario dei Triumphi (qui imberbis exprimi solet) imaginem depingi crediderunt, deceptos esse docet VAILLANTIVS. *Victoria* in *quadrigis* solemne est denariorum symbolum: vnde illi *quadrigati* sunt dicti. E decreto senatus Balbum hunc, in praetura Sardiniae, denarios hosce cudisse, *litterae* S. C. denotant. Littera vero, quam in area cernimus, monetalis est; vid. HAVERC. *loc. cit.*

APRONIA.

168. MESSALA SISENNA III. VIR. Incus.

GALVS APRONIVS *Aere Argento Auro Flando Feriundo*, in area S. C.

Aureus,

Aereus, qui nec cum VRSINI, *nec* VALENTIS, *nec* GOLTZII, *neque denique cum* MORELLII *typis conuenit; & hinc detritas primi aduersae nominis litteras ex coniectura saltim adieci.* In numis adhuc vulgatis nomina propria alio collocantur ordine, procul dubio, ratione officinae monetalis, in qua signati sunt. Tribunatus plebis, quem, teste Liuio, statim vbi abrogati essent decemuiri, gessit C. Apronius, *plebeiam* hanc fuisse gentem indigitat. *Instrumentum monetale* & inscriptio docent, triumuiros auro, argento, aere flando feriundo hic designari. Haud leuis interim cura torquet antiquarios, quod in his numis quatuor legantur nomina; tres vero scribantur monetae curandae praefecti. Hinc VRSINVS & PATINVS cognomen Gali fuisse Apronio existimant; quod improbat VAILLANTIVS, quoniam (vt inquit) *cognomen ante Apronii nomen scriptum huic refragatur.* Vnde a quatuorviris monetalibus cusum existimat, quorum vnus extra ordinem, ob aliquam monetae cudendae necessitatem, fuerit adscitus, retento tamen numero ternario; sicut in multis Augusti numis duo triumuirorum scribuntur nomina, adposita tamen nota III. VIR. Quae contra hanc nouam VALENTIS sententiam opponi possunt; ea in *thes. Morell.* tom. II. pag. 31 sq. deprehendes; conf. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 127 sqq.

ARRIA.

169. M*arcus* ARRIVS SECVNDVS. Caput virile nudum.

Sine epigraphe. Hasta pura inter lauream & clathrum, in cuius summo flammula emicat.

Integerrimus cuius ἔκτυπον *tab. III. n. IIII. cernimus. Morellius longe elegantissimo huic denario pretium duodecim thalerorum constituit.* Ex Q. Arrio clamoso illo in foro oratore, qui A. V. IↃCLXXVII tribunus pl. fuit, Arria gens *plebeia* cognoscitur. PERIZONIVS & VAILLANTIVS in auersa aram ignitam exhiberi existimant. *Clathra,* quae Graeci κλεῖθρα dicunt, ligna erant, quibus transuersis castrorum portae muniebantur. *Fulu.* VRSINVS insigne

ſigne aliquod alicuius Arrii Secundi factum alteram numi paginam reſpicere autumat. *Haſta* enim & *corona* Arrium illum, quod forte caſtrorum portam ab hoſtium irruptione fortiter fuerit tutatus, donatum fuiſſe exiſtimat. Quis vero fuerit M. ille Arrius Secundus ſibi haud conſtare ingenue fatetur. In incerto ſunt omnes antiquarii ob ſcriptorum penuriam, cui hunc numum addicant. Fortitudinem tamen alicuius Arrii celebrari exiſtimant: quare Arrii eius, jam mortui, vultum ſignare filium voluiſſe autumant. Ad vlteriorem huius numi diſquiſitionem, quae quondam fuit inter PERIZONIVM & MORELLIVM, pertinent ea, quae pereximius HAVERCAMPVS *commentario ſuo in theſaurum Morellianum* pag. 35. inſeruit; quo L. B. remittimus.

A V R E L I A.

170. Caput Vulcani pileo laureato tectum, in laurea, cum forcipe & aſtro.

Aquila, itidem in laurea, reſpiciens & alas expandens fulmini inſiſtit, ſubtus legitur *Lucius* COT*ta*.

Serratus, *bene conſeruatus*. Aureliam gentem *plebeiam* fuiſſe, ſummis tamen in re publica geſtis inclaruiſſe, conſtat. Apud *Varronem* lib. IIII. *de lingu. lat.* L. Aurelius Cotta aedilis dictus eſt, qui aedes ſacras aeque vt priuatas curaret, in quo magiſtratu reſtaurandi Vulcani templi curam habuiſſe videtur. Nam aedilium curulium erat officium, vt templa & alia aedificia publica magnificis opibus reficerentur; vid. NIEVPOORTIVS in *antiqu. Roman. comp.* ſect. II. cap. V. p. m. 94. ſqq. Quare L. Cotta Vulcanum in denario ad eius templi reſtaurationis memoriam ſignauit. *Euſebius in praep. Euang.* ignis virtutem Vulcanum appellatam dicit, & in forma hominis ei ſimulacrum conſtitutum, in cuius capite *pileus* eſſet *caeruleus*, caeleſtis ſymbolum volutionis: ideo *aſtrum* pone illum additur, ad indicandum ignem e caelis delapſum. *Forceps*, quia faber credebatur; quare in auerſa parte *fulmen*, quod Ioui ille cuderet; & ideo *aquila*, quum illa huic deo id ſubminiſtraret.

Lau-

Laurea videtur adpofita, quod fulmen non timeat; vid. VAILLANT. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 162. fq.

B A E B I A.

171. TAMPIL*us*. Caput Romae galeat. cum litt. x. denarii figno.
ROMA. M*arcus* BAEBI*us* Q*uinti* F*ilius*. Apollo in citis quadrigis, d. tenens ramum, l. arcum & fagittam.

Cum apud antiquos rerum romanarum fcriptores, tum in vetuftiffimis lapidum monumentis Baebiae gentis *plebeiae* frequens eft mentio. Cl. VALENS nomen huius gentis a balatu ouium *bae bae* deriuatum effe exiftimat. Illum M. Baebium Tampilum in hoc denario defignari VRSINVS autumat, qui procos. A.V. IↃLXXIII. triumphauit de Liguribus, quique triumphus, ex viri eruditiffimi fententia, in altera numi pagina expreffus cernitur. Cel. HAVERCAMPVS aliam denarii huius fuppeditat explicationem, atque hunc numum potius ob morbum peftiferum, quia tum tertium iam annum per omnem graffaretur Italiam, quam ob triumphum Baebio a fenatu decretum, cufum effe arbitratur. Quoniamque auerfa denarii pagina *Apollinem quadrigis infiftentem*, *laeua fagittam peftiferam* & *arcum*, dextra vero *ramum luftralem* tenentem exhibet; hinc ceffante iam morbo vota diis & praecipue Apollini a confule facta, hunc numum indigitare credidit vir acutiffimus. Cl. VALENS vtrumque ftatuit; vid. VRSINI *fam. Rom. edit. Parif.* pag. 45. *Thef. Morell.* tom. II. pag. 43. VAILLANT. *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 174. fq.

C A E C I L I A.

172. ROMA. Caput Romae galeatum cum denarii nota.
M*arcus* METELLVS Q*uinti* F*ilius*. Caput elephantis in vmbone clypei Macedonici, qui laurea inclufus eft.

Afper. Caeciliorum nomen alii a Caeculo Vulcani filio, cui nomen id a paruitate oculorum inditum effe aiunt; alii a Caecade Troiano Aeneae comite deriuant. Metellis in primis, qui maximos

in re publica honores gesserunt, & passim viri fuerunt praestantissimi, *plebeia* gens Caecilia multum nobilitata fuit. Ad M. Caecilium Metellum, Quinti Caecilii Metelli Macedonici filium tertium, pertinet hic denarius. Hic vero A. V. C. IↃCXXIII. quaestor fuit, & proquaestor IↃCXXIIII, quo tempore hunc aliosque maiorum suorum decora referentes cudisse videtur denarios. Auus enim Q. Caecilius Metellus, quum Pseudophilippum vicisset, atque in triumpho duxisset vinctum, Macedonici cognomen meruit; vnde Macedoniae insigne *clypeus* in hocce denario. Pater huius Q. Metelli Macedonici, vir pariter illustris, dictator, magister equitum, consul & pontifex fuit secundo bello Punico. Auus omnium celebratissimus, foris bello egregius, domi pietate inclitus fuit; ardente enim Vestae templo, ipse pontifex maximus Metellus, sacra ex incendio rapuit, & quum laesa ab igne esset oculorum acies, quod nulli alii, concessum est, vt quoties in senatum iret, curru veheretur. De Poenis idem iste pulcherrimum egit triumphum, ducibus hostium tredecim ante currum ductis, atque agmine CXX. elephantorum vbique vias complentium; vnde *caput elephantinum* in hoc aliisque denariis; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 47. conf. illustr. *Gisberti* CVPERI *de elephantis in numis obuiis* exercit. II. cap. II. pag. 117. VAILL. *lib. laud.* tom. I. pag. 184.

173. ROMA. Romae caput galeat. & alatum, rostro in galea eminente.

Caius METELLVS. Figura virilis, in bigis elephantorum, cui aduolans Victoria sertum porrigit.

Qui denarium hunc signauit C. Metellus dicitur, qui fuit nepos Q. Caecilii Macedonici, Q. Caecilii dictatoris pronepos, & insignis illius Lucii, qui de Poenis triumphauit, abnepos. Caius iste Metellus quaestor prouincialis A. V. IↃCLIII. hunc numum in honorem gentis suae percussit, qui *elephantorum bigis* Lucii Caecilii Metelli de Poenis triumphum respicit; vid. *thes. Morell.* tom. II. *loc. cit.* conf. *Gisbert.* CVPERI *exercit.* II. pag. 115. sq. Cl. VALENS Caium

hunc

hunc aui Q. Caecilii Macedonici memoriam hoc numo renouare voluisse existimat; vid. *eiusd. famil. Rom. num.* tom. I. pag. 190.

174. *Quintus* METEL*lus*. Romae galea alata ornatum caput, cum denarii nota.
ROMA. Iupiter in lentis quadrigis, d. lauri ramum, l. fulmen & equorum habenas.

Optime conseruatus. GOLTZIVS in Fastis ad Q. Caec*l* Metellum hunc refert denarium, Lucii, qui Poenos vicit, filium, Macedonici vero patrem. Quoniam autem Quintus iste numquam triumphauit, sed filius eius, qui egregium de Macedonibus & Pseudophilippo bis superatis egit triumphum: recte hinc GOLTZIVM reprehendit VAILLANTIVS. Quare in *quadrigis* his *triumphalibus* signatur Iupiter Capitolinus non sceptrum, vt quidam putarunt, & vt in quadrigatis nihil significantibus nisi monetae typum depingitur, sed lauri ramum dextra gerit, in victoriae monumentum, laeua vero pro more fulmen; vid. VAILL. *fam. Rom. num.* tom. I. p. 180. conf. *thes. Morell.* tom. II. pag. 47.

175. ROMA. Caput Romae galeat. & alat. cum denarii nota.
Marcus CALID*ius*. *Quintus* MET*ellus*. CN*eus* FOVL*uius*. Victoria in citis bigis.

Triumuirorum monetalium nomina auersa exhibet; & hinc ad tres diuersas Romanorum familias bigatus iste pertinet. Quis vero Q. Metellus fuerit, qui ad hanc gentem nos reuocat, VAILLANTIVS ignorat; vid. *eiusd fam. Rom. num.* tom. I. pag. 195. Cel. HAVERC. itidem dubitat, vtrum ad Q. Caecilium Metellum Celerem, an ad illum, qui post alios in re publica honores tandem cum P. Lentulo Spinthere consulatum gessit, referendus sit iste denarius; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 48.

176. *Lucius* METEL*lus*. *Aulus* ALB*inus* *Spurii* F*ilius*. Caput iuuenile, imberbe, laureatum, subtus stella aut nota denarii.
Caius MAL*leolus*. ROMA. Fig. muliebris tribus insidens clypeis,

clypeis, d. hastam tenens, coronatur a Victoria stante a tergo.

Denarium hunc Ioachimicum valere ipse MORELLIVS *docet.* Tria in eodem diuersarum gentium occurrunt nomina; & hinc antiquarii hunc numum ad tres familias referunt. Cl. VALENS a Metello & collegis, vt triumuiris aedibus sacris reficiendis, quia Honoris templum vetustate collabens refici curassent, hunc signatum esse autumat: ac perinde statuit caput illud imberbe Honoris esse, figuramque clypeis insidentem & a victoria coronatam pariter Honoris censeri debere; vid. *eiusd. fam. Rom. num.* tom. I. pag. 196. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS, cuius merita maximi faciunt viri eruditissimi, aduersae caput iuuenile Apollini vindicat, in auersa Romam triumphantem agnoscit, & in vtraque denarii parte triumuirorum monetalium nomina adscripta esse existimat. Statuo, inter alia inquit vir doctissimus, nominatos in hoc denario magistratus tres fuisse triumuiros monetales, qui Romam triumphantem de cunctis, quas sol adspicit, gentibus, denariis suis insculpserunt; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 48. sq. Cumque ius cudendae monetae non fuerit paenes triumuiros aedibus sacris reficiundis institutos, praeterea nullum prorsus adsit fundamentum, quod hinc Honoris caput inde eiusdem dei statua appareret; facile patet nobilissimi huius Antiquarii sententiam VALENTIS coniecturae merito esse anteponendam.

177. Caput Pietatis, ante quod ciconia.

Q*uintus* C*aecilius* M*etellus* P*ius* I*mperator.* Elephas.

Eleganter signatus. Publius Cornelius Scipio Nasica, qui postea socer Pompeii Magni exstitit, testamento adoptatus a Q. Metello Pio, pontifice maximo, Metelli Numidici filio, omnia patris adoptiui suscepit nomina, retento tamen in gentis suae memoriam cognomine Scipionis. Huic itaque VRSINVS hunc & sequentem adsignat denarios. VAILLANTIVS dubitat, vtrum primus hic iure filio Metelli adoptiuo adsignetur, & non potius ipsius sit Metelli,

vt

vt in quem cuncta numi ſymbola conuenire itidem poſſint; & quod Scipionis, quod in ſequenti inuenitur nomen, in hoc deſit; vid. VRSIN. *per* PATIN. *auctus* pag. 51. conf. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 191. VRSINI tamen ſententiam ipſe HAVERCAMPVS amplectitur. Denariorum enim, inquit, artificium vnum eſt idemque, praeterea Caecilii numquam integrum elephantem in numis ſuis ſolum expreſſerunt, ſed caput tantum; cognomen vero Scipionis modo adpoſitum, modo omiſſum, filio adoptiuo denarium non abrogat, quum talia pro lubitu fuerint poſita; denique nuſquam Caecilios, vt ſatis noti, ſeſe vocant in numis Metelli, at qui recens tranſierat in iſtam gentem Scipio, neceſſariam putauit gentile nomen quoque exprimere. Signauit itaque *Pietatis deae caput & ciconiam* pietatis ſymbolum Scipio Metellus, vt probaret tranſiiſſe ſe in familiam Metelli illius, cui a pietate cognomen erat inditum, & cuius omnia nomina, ſuis neglectis, in altera denarii parte expreſſit; vid *theſ. Morell.* tom. II. pag. 50. conf. *Giſberti* CVPERI *exercit. de elephant.* pag. 118.

178 Q*uintus* METEL*lus* PIVS. Caput ſenile laureatum.
SCIPIO IMP*erator*. Elephas.

Optime conſeruatus. Neptunum barba promiſſa ornatum in aduerſa huius numi parte depictum eſſe antiquarii ſtatuunt. Scipionem, qui complures contra Caeſarem comparauerat claſſes, Neptuni imaginem propter naualem ſuam potentiam in his denariis adhibuiſſe eruditi exiſtimant; vid. *Hirtius de bello Afric.* cap. I. *Quum praeſertim ab incolis - - - claſſeſque eſſe complures.* Ab altera denarii parte *elephas* additur, tum quia erat Africae ſymbolum, tum quia id animal in exercitu Scipionis contra Caeſarem ducebatur, tum denique etiam quia Scipio haec bruta ad pugnam intrepide ineundam adſuefecerat; vid. cap. XXVII. *Scipio interim elephantos - - - conuerterent aduerſum hoſtem.* Quae ad vlteriorem huius denarii dilucidationem faciunt, ea occurrunt in *theſ. Mo-*

 rell.

vell. loco modo allato; conf. *Gisb.* CVPERVS *loc. cit.* VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 192.

179. Caput Pietatis cum ciconia.

IMPER*ator*. Vrceus & lituus in corona laurea fructifera.

Vtrum hic denarius ad patrem Q. Metellum Pium, qui itidem pontifex maximus fuit, an ad filium adoptiuum Scipionem referendus sit, VAILLANTIVS dubitat; vid. *eiusd. fam. Rom. num.* tom. I. *loc. excit.* Ambiguus, vir clar. inquit, est etiam hic denarius, qui ad patrem Caecilium Pium, vel ad Caecilium Pium Scipionem, ab eodem adoptatum, referri potest; corona autem ex lauro ambobus conuenit, si vterque *imperator* adpellatus. *Vrceolus & lituus*, signa pontificalia, dubium non tollunt; nam Metellus Pius pater pontifex fuit maximus, cui successit Iulius Caesar; ex *Dione* lib. XXXVII. Metellus Scipio, ex *Sueton. in Tiberio* cap. IIII. itidem pontifex renuntiatur. *Pater Tiberii*, inquit, *pontifex in locum P. Scipionis constitutus.* Scipioni tamen hunc numum HAVERCAMPVS tribuit. Pro Scipione, inquit, omnino mihi videtur stare consensus omnium denariorum, qui Metellum Scipionem IMP*eratorem* inscribunt typis suis. Neque illud, mox addit vir celeberrimus, toties in numis hisce repetitum imperatoris nomen accipiendum videtur de solo titulo honoris, quo Scipionem decorauit Cato, quoque milites duces suos salutare consueuerant post egregia belli patrata facinora; verum amplius quid insuper denotat, in oppositione videlicet Caesaris, qui violenter omnia iura oppresserat, seque ipsum dictatorem paullo ante fecerat; hunc Metellum Scipionem verum illum & vnicum esse imperatorem, qui, sublato iam statore illo libertatis & senatus columine Pompeio Magno, dignus illi successor, iura liberae rei publicae tueretur. Illustrat hoc dictum illud Considii apud *Hirtium de bello Afric.* cap. IIII. *Vnus est Scipio imperator hoc tempore populi Romani.* Qui itaque in hoc denario solo IMP*eratoris* titulo decoratur, facile agnoscitur esse Scipio ille Metellus, qui in Caeciliam gentem transierat per adoptio-

adoptionem Metelli Pii, *pietatis ſymbolo* adumbratam; quique victoriam, *laurea corona* deſignatam, rei publicae Romanae ſpondere videbatur; caetera; ex *theſ. Morell.* tom. II. pag. 51. ſq.

CAECINA.

180. Caput Iani bifrontis barbatum & laureatum, cum remo inter tempora.

Aulus CAE*cina*. Nauis prora, ad latus littera I. longior ac denſior per obliquum poſita; ſubtus eſt ROMA.

Aereum, aeruginoſum prim. magn. numiſma, quod, ſi MORELLIO *fides habenda, vix pro thalero comparatur.* Caecinae appellatio quibuſdam nomen gentilitium, aliis vero cognomen habetur. Apud ſcriptores complures inueniuntur Caecinae, qui ſub primis praeſertim Romanorum imperatoribus claruerunt. Quod autem inſignis iſte aereus non eo tempore, quo imperauit Caeſar, verum mox finito bello Punico ſecundo cuſus ſit; & typus & moles numiſmatis ſuadent. Hannibalis enim tempore aſſes vnicales ſignari coeperunt, & paullo poſt lege Papiria ſemunciales percuſſi ſunt. Quum autem SCHVLZIANVS iſte numus paene vnciam appendeat; hinc colligimus, breui poſt bellum Punicum ſecundum eundem eſſe ſignatum: idque itidem & Iani bifrontis ſimulacro indicari videtur. Nam abolita iam aerea illa moneta in qua Iani effigies conſpiciebatur, poſt diuiſionem prouinciarum inter Auguſtum & ſenatum nulla moneta aerea ex antiquo illo genere cudebatur; ſed cum imperatoris effigie & S. C. ſubſcriptione; vid. *Fulu.* VRSINVS, *Carol.* PATINVS, *Io.* VAILL. & cel. HAVERC. in Caecina gente.

CALIDIA.

181. ROMA. Romae galeatum caput, cum denarii nota.

Marcus CALID*ius*. *Quintus* MET*ellus*. CN*eus* FOVL*uius*. Victoria cum corolla in citis bigis.

Tribunatus plebis, quem honorem plures Calidii adepti ſunt, *plebeiam* hanc fuiſſe gentem docet. Ob Metellum ad Caeciliam,

 ob

ob Fouluium ad Fuluiam, & propter Calidium ad hunc familiam pertinet iste denarius; vid. quae ad num. 175. dicta sunt. Fuerunt nimirum isti simul triumuiri monetales. Hic M. Calidius filius fuit Q. Calidii tr. pl. A. V. C. IↃCLIIII, & ipse tribunatum plebis gessit anno IↃCLXXII. Praetor fuit, A. V. C. IↃCLXXXXVI, cui *Cicero* gratias agit in *oratione post reditum in senatu*, his verbis: *M. autem Calidius statim designatus, sententia sua, quam esset cara sibi mea salus, declarauit, & orator oratori fauit;* nam Calidius inter eos disertus fuit, qui, teste eodem *Cicerone*, *non fuit vnus ex multis, potius inter multos prope singularis.* *Quinctilianus* auctor est, lib. X. cap. I. M. Calidum tunc quoque pro domo *Ciceronis* dixisse, & orationem conscripsisse. Hinc facili negotio conficitur, *Ciceronis* tempore bigatum hunc signatum esse; vid. VAIL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 205.

CALPVRNIA.

182. Caput Apollinis laureat. pone tridens, sub mento litt. N. *Lucius* PISO FRVGI. Eques desultor palmam gerens citato equo decurrit, desuper caduceus, infra litt. R.

Bene conseruatus, cuius typum inter hactenus vulgatos huius gentis denarios haud deprehendes. *Plebeia* quidem fuit haec familia, summae tamen antiquitatis. Originem enim a Calpo regis Numae filio repetit; vid. *Plutarch. in Numa.* Hinc canit Ouidius:

Nam quid memorare necesse est,
Vt domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?

In *Apollinarium ludorum memoriam* hosce cusos esse denarios eruditi consentiunt. Ad vrbanum praetorem horum ludorum cura pertinebat; vid. NIEVPOORTIVS in *antiqu. Rom. comp.* sect. IIII. cap. V. §. VIII. p. m 340. Hinc omnes hi denarii cum Lucii Pisonis nomine tribuuntur Lucio Pisoni Frugi, Lucii Calpurnii Pisonis Frugi filio. Pater hic Lucius post quaesturam tribunus pl. factus est, aedilitatem deinde obtinuit, & tandem praetor vrbanus constitutus est. Apollinares hosce ludos A. V. C. IↃCXXXXI. edidisse VAIL-

LANTIO videtur, atque varia decurſionum genera iiſdem addidiſſe, ſicut ex pleriſque Lucii filii denariis patet. Auus fuit Caius Piſo praetor vrbanus A.V.IↃXXXXII, ſub cuius praetura accidit, vt ludi Apollinares antea votiui & incerti, ſtatis temporibus & in perpetuum vouerentur & celebrarentur. *Ludi Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno vt fierent, referente Calpurnio praetore, ſenatus decreuit vt in perpetuum vouerentur;* vid. *Liuius* XXVI. 23. Inſtituti videlicet erant iam ante proximo anno IↃXXXXI. coſſ. Q. Fuluio Flacco & Appio Claudio Pulchro, teſte *Liuio* lib. XXV. cap. 12. & *Macrobio* lib. I. *Saturnal.* cap. 17. qui copioſe rationem inſtitutionis reddunt. De ludis iſtis equeſtribus conſulendus perill. *Ezech.* SPANHEMIVS *de vſu & praeſt. numiſm.* tom. II. pag. 131. ſq. Notae monetales, quae in huius gentis numis paſſim occurrunt, ad diuerſitatem officinarum monetalium referendae videntur, de quibus quoniam nihil adhucdum ſtatuerunt eruditi, maxima quae in his numis occurrit diuerſitas docere forſan poſſit, a ſingulis diis vel deabus nomen ſortitas eaſdem officinas, inde aliquod quoque ſymbolum numini ſuo conueniens in denariis expreſſiſſe. *Tridens* itaque a parte capitis Apollinei, denarium hunc ad monetalem Neptuni officinam reuocare videtur; poſſet *caduceus* in auerſa potius ad Mercurium nos ducere, is vero forte ad indicandam celeritatem in his ludis adpoſitus eſt; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 61. ſq. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 210. ſq. conf. cel. *Chriſt.* LIEBEI *Gotha numaria* pag. 222. ſq.

183. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Augusti nudum.

CN*eus* PISO CN*ei* F*ilius* III. VIR. A*uro* A*rgento* A*ere* F*lando* F*eriundo* in area *senatus* C*onſulto.*

Aereus ſec. mod. numus. Qui hunc percuſſit numum, Cneus Calpurnius Piſo, is ipſe eſt, qui praeſtantiſſimum illum Germanicum veneno ſuſtulit, Tiberio magis quam conſcientiae ſuae & priſtinis maiorum virtutibus obſecutus. Vnde Nemeſis vlta viri ſcelus eſt.

Tractus enim in ius Piso, dissimulante, quae iusserat ipse, Tiberio, damnationem spontanea praeuenit morte; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 66. Augustus, victo ad Actium Antonio, re publica sibi subiecta, & tribunicia recepta & passim continuata potestate, vim quidem omnem sibi retinuit, multa tamen imaginariae potestatis nomina senatui reliquit, inter quae fuit quoque signandi aeris potestas, & vt triumuiri isti rei a senatu constituerentur; & hinc litt. S. C. quae ex senatus consulto cusos eosdem indicant, passim adponuntur; mos iste, vt supra ad num. 143. obseruauimus, ad Gallienum vsque durauit. In hac vero noua rerum administratione non amplius Iano bifronte aut Ioue, vel aliorum deorum imaginibus; sed sola Augusti imagine, vel illius nomine, numi insigniri solebant; vid. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 215. sq. conf. ea, quae antea ad aerei Caecinae gentis numi illustrationem prolata sunt.

CARISIA.

184. *Senatus Consulto.* Victoria humeris allatis.

Titus CARISI*us.* Victoria in quadrigis, d. sertum porrigit, l. regit equorum habenas.

Carisiae gentis nullum veterum scriptorum, praeter *Dionem*, *Orosium* & *Florum*, mentionem fecisse pridem obseruarunt eruditi. Numos, qui pertinent ad Carisios, vltimis rei publicae temporibus, vt & Iulii Caesaris & Augusti signatos esse notum est. Ad *quadrigatos*, ob quadrigas in iis signatas ita dictos, pertinet iste denarius. Quoniamque isti liberae saltim rei publicae temporibus cusi sunt: hinc colligimus hunc numum itidem ante rei publicae Romanae occasum signatum esse; vid. HAVERC. *comment.* in *thes. Morell.* pag. 72. conf. VAILL. in *famil. Rom. numis*, tom. I. pag. 229.

185. Caput Sybillae Phrygiae.

Titus CARISIVS III. VIR. Sphinx alata sedens.

Cl. WACHTERVS in *archaeol. numar.* p. 86. ex amplissimo SENATVS Lipsiensis thesauro simillimum probe delineatum exhibet denarium.

narium. Augusti monetales vtriusque paginae imaginibus ipsum Augustum respicere VAILLANTIVS existimat. Augustum enim, supra duo millia librorum inutilium & fatidicorum cremasse ac solos retinuisse Sibyllinos, hos quoque saltim praestantiores, *Suetonius* commemorat. In cuius rei memoriam T. Carisius *Sibyllae simulacrum* expressit, & vt indicaret illam esse Phrygiam, addidit & *Sphingem:* quam etiam ad sigillum, quo imperii initio vsus est Augustus, adludere quidam existimant. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS Sibyllae & Sphingis typum potius ad antiquum numisma Gergithiorum in Troade respicere, ex loco quodam Phlegontis apud Stephanum, iam pridem a SPANHEMIO excitato, docet; vid. *thes. Morell.* tom. II pag. 72. conf. ea, quae supra pag. 68. ad Chiorum numum prolata sunt.

186. ROMA. Caput Romae galeatum.
T*itus* CARISI*us*. Globus cum decempeda, cornu copiae & temone in laurea.

Asper. Quum huius denarii auersa eadem plane symbola, quae Mussidius in Iulii Caesaris honorem exhibuit, proferat; adparet, tum hunc denarium Caesaris tempore signatum esse, tum etiam symbola ista itidem ad eiusdem pertinere laudem. Per *globum* etenim denotat terrarum orbem; per *temonem* maritimum Caesaris imperium; per *copiae cornu* omnium rerum abundantiam; per *decempedam*, veteranis agrorum diuisionem: haec omnia in *laurea*, i. e. per Iulii Caesaris victorias parta; vid. VAILL. in gente Carisia. conf. *thes. Morell. loc. cit.*

CARVILIA.

187. Caput Iani barbati geminum & laureatum.
CAR*uilius*. OGVL*nius*. VER*gilius*. Prora nauis.

Aereum sec. magn. νόμισμα, cuius paullulum exesam offendimus inscriptionem. Haud alii cuidam editorum numorum typo, quod nos quidam sciamus, similior est iste aereus, quam illi, quem cel.

HAVER-

HAVERCAMPVS in Caruilia gente ad litt. F. descripsit. Et quamuis auersa huius numi pagina duas priores saltim inscriptionis litteras exhibeat, pondere insuper numus iste haud conueniat cum simili aereo, quem VAILLANTIVS ex Galliarum regis thesauro descriptum exhibuit; tamen eundem Caruiliae genti adsignandum esse non dubitamus. Ipse enim cl. VALENS a Caruilio quodam & semunciales aereos cusos esse asserit. Quumque aereus isti itidem quatuor drachmas appendeat; hinc ab eodem Sp. Caruilio, a quo VALENTIS numus cusus est, SCHVLZIANVM hunc itidem signatum esse existimamus; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 76. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 237.

CASSIA.

188. VESTA. *Quintus* CASSIVS. Caput Vestae velatum.
Templum Vestae rotundum, cum statua eiusdem deae in summo fastigio, in medio templi sella curulis; a lateribus hinc & inde vrna, & tabella inscripta A. C.

Optime conseruatus, cuius typum tab. III. num. V. sistimus. Cassiae gentis nomen a *cassi*, id est galea, VAILLANTIO desumtum esse videtur. Hanc quondam in duas diuisam fuisse familias dudum obseruarunt eruditi, *patriciam* alteram, alteram *Longorum* & *Longinorum plebeiam*, qui Cassiae gentis superstites percusserunt denarios. Patriciam huius gentis stirpem post poenam Sp. Cassii Becilini, qui ter consul, bis triumphalis, damnatus & interfectus fuit, quod, popularem quaerens gratiam, regnum adfectare videretur, defecisse autumat HAVERCAMPVS. Duo in hoc denario L. Cassii Longini, cuius hoc typo celebratur memoria, expressa videntur monumenta: alterum quoniam Vestae templum damnatis virginibus incestis purgauit, vt abunde refert *Ascon. Paed. ad orat. Tullii pro Milone* cap. XII; alterum quod tribunus plebis tabellariam tulit legem, cuius meminit *Cicero* & *Asconius* in diuinatione, his verbis: *in diuinatione, & in aliis caussis maioribus vniuersi iudices in cistam tabulas simul coniiciebant suas, easque insculptas*

ptas litteras habentes A. absolutionis: C. condemnationis: cum de alicuius capite agebatur. N. L. non liquet ampliationis. His enim litteris significabant Non Liquere. De *forma templi Vestae* quod *rotunda* fuerit, ita canit *Ouid. Fast.* lib. III.

Et quantum a summis tantum secessit ab imo
Terra, quod vt fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi, nullus procurrit in illo
Angulus, caetera.

Cassius iste vir tantae fuit seueritatis, vt *scopulus reorum* diceretur, & *Cassiana iudicia* de acerbioribus inde in prouerbium abierint. Iocandi hinc occasionem nactus *Cicero Cassianum iudicem* a Verre appellatum ait quendam ex cohorte sua Papyrium Potamonem. *Deae* itaque *caput*, & *eiusdem templum*, *sellaque* in eodem *curulis*, vt iudici posita L. Cassio, incorruptam ipsi seueritatem vindicant. Ad latera templi Vestae *vrna*, & *tabella litteris A. C. insignita* conspiciuntur. Vrna longior, in summo amplior, & circa orificia ansulas habens. Erat haec recipiendis suffragiorum tabellis, quam *Tullius in orat. pro Cornelio sitellam* nuncupat. Ab altera templi parte tabellam cernimus, qua, vt antea dictum est, ad legem tabellariam, a L. Cassio trib. pleb. latam respicitur. Hac lege populo Rom. in omnibus ferme iudiciis linguae parcere licebat atque periculo, quod ex loquendi libertate oriebatur, & per tabellas, adeoque tacita suffragia, sensus animi pronunciare. Optimatum potentiam hac lege fractam esse, & nimium licentiae datum vulgi libidini adserit *Cicero* lib. III. de legib. cap. XV. *Quis autem non sentit*, ait orator, *auctoritatem omnem optimatum tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desiderauit*, caetera. *Non latebra*, mox subiungit *Cicero*, *danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium.* Et alio loco idem *Tullius: Sequuta biennio post*, inquit, *Cassia est, de populi iudicio. Ea a nobili homine lata est, L. Cassio, sed, pace familiae dixerim, dissidente a bonis, atque omni rumusculos populares ratione aucupante.* Hinc nihil in tabellae latebra inuentum, quod

condemnare Appium Pulchrum poſſet, gratulatur illi *Cicero epiſt. fam.* lib. III. 12. *Ego vero vehementer gratulor - - - - pridem admiratus magis.* Quis vero fuerit Q. hic Caſſius, qui hunc percuſſit denarium, VRSINO incertum eſt; ex libertatis tamen imagine, quae in quibuſdam, retento huius auerſae typo, in aduerſa exprimitur, ſuſpicatur, fratrem fuiſſe C. Caſſii eius, qui Caeſarem ſuſtulit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 76. VAILLANT. in *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 244. ſqq. VRSINVS per PATIN. auct. pag. 67. ſq.

189. Caput Veſtae velatum, pone lampas, ante litt. L.

LONGIN*VS* III. VIR. Vir togatus, d. tabellam tenet, cui litt. V. inſcripta cernitur; adſtat ciſta coram, cui tabella iniicienda eſt.

Optime conſeruatus, elegantioris fabricae denarius, quem tab. III. num. VI. depictum cernis. Lampas ignis perpetui eſt ſymbolum, cuius cura Veſtalibus erat demandata. Cum de caetero celeb. HAVERCAMPVS omnes in hoc numo occurrentes notas altius indagauerit: ipſa eruditiſſimi viri verba hoc loco exſcribenda operae pretium eſſe duximus. Omnes, inquit vir litteratiſſimus, qui ante VAILLANTIVM fuerunt, antiquarii crediderunt litteram A. tabellae eſſe inſculptam, atque de abſolutionis ſuffragio, vt in numo praecedenti, interpretati ſunt. Id ſecus ſe habere, recte pertendit VAILLANTIVS. Habeo enim & ipſe integerrimos, & multo plures manibus verſaui; in quibus omnibus conſtanter V. & non A. legitur. Cenſet vero praeſtans idem antiquarius pag. 241. per litt. V. hic indicari plures per eundem hunc Caſſium latas leges, quae quoniam omnes (vt ille quidem ſtatuit) per vocem VTI vel VTIQVE inciperent, hinc primam eius vocis litteram in hac tabella legis exprimi. Non potuit arridere haec ſententia illuſtr. SPANHEMIO, qui hanc opinionem ad examen reuocauit tom. II. pag. 199. atque putat male in dubium vocari fidem VRSINI atque PATINI, qui A. litteram exprimi crediderint; ipſe vero exiſtimat monetarii incuria factum vt littera A. fuerit forma inuerſa in moneta expreſſa, quae videlicet litteram V. re-

V. referat. Quod pace eminentissimae eius eruditionis dictum sit, fallitur longissime, & saepius in numorum typis fallitur, quod alienis plerumque oculis credere debuerit, & stanneis aliisque ectypis obscurioribus rem gerere, a supellectile numaria omni destitutus ipse, quam si ipse copiosam possedisset, consumasset eruditionem, qua plurimis praeluxit. Certus sit lector V. non A. exprimi; quod insuper ex SCHVLZIANI huius denarii typo archetypo per omnia simillimo omnino patet. Neque enim in omnibus V. pro A. exstaret, vel certe si littera inuersa esset, linea intermedia agnosceretur, quae clarissime quidem in praecedenti SCHVLZIANO aliisque cernitur; in hoc autem non exprimitur, si haec exprimeretur linea, talis esset figura ∀, non vt nunc est V. Reiicimus itaque nouam eiusdem coniecturam, qua ANTIQVO format ex littera A. vt putat inuersa, legisque antiquationem innui putat. Neque tamen in VAILLANTII sententiam toti concedimus. Omnes enim leges per VTI vel VTIQVE incipere, difficulter admodum (quod & SPANHEMIVS vidit) probari a VAILLANTIO posset. Credimus itaque, sicut vnum verbum ABSOLVO per litteram A. vnum verbum CONDEMNO per litteram C. in praecedenti denario exprimitur, ita in hoc litteram V. significare VETO, quod familiare erat tribunorum plebis verbum, qui quum intercederent, solemni suo VETO id facere solebant, iam inde viam hanc monstrante tribuno plebis L. Sextio apud *Liu.* lib. VI. cap. 35. *Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agitedum, comitia indicite patres tribunis militum creandis; faxo, ne iuuet vox ista,* VETO, *qua nunc concinentes collegas nostros tam laeti auditis.* Poterat autem intercedi & vetari, si nondum perlata lex esset, & quamdiu in eius ferendae apparatu populus versaretur. Copiose *Tullius* in *orat. pro Cornelio. Est vtique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu non perfertur: quamdiu qui suffragii ferundi caussa conueniunt, huc & illuc transferuntur, dum priuati dicunt: dum tabellae diribentur: dum sitella defertur: dum aequantur sortes: dum sortitio fit: & si qua sunt hu-*

 ius

ius generis alia. Hinc cel. HAVERCAMPVS exiſtimat L. Caſſium, tribunum pl. ſatis violentem, circa illud ius vetandi aliquam tuliſſe legem inter plures alias, quae illi eo tempore tribunatus latae adſcribuntur. Quae vtique vetandi poteſtas, tribunis propria, & in qua L. Caſſius noſter L. Sextio illi apud *Liuium* nequaquam ceſſit, dum vterque optimatum omnibus modis imminuit potentiam, merebatur exprimi in denariis, & ad famam nominis tanti viri, vna cum aliis eiuſdem rebus geſtis, celebrari a nepotibus. Ex *theſ. Morell.* tom. II. pag. 77. ſq. Cl. VALENS a L. Longino triumuiro monetali, L. Longini Rauillae eius ſcil. filio, qui leges iſtas omnes in tribunatu pl. tulerit, denarium hunc cuſum eſſe exiſtimat; vid. *eiuſd. fam. Rom. num.* tom. I. pag. 241. Hunc aeque vt alios pleroſque VALENTIS errores erudite ſane detexit HAVERCAMPVS. Huius erroris anſam, *loc. cit.* addit vir clariſſimus, VAILLANTIO praebuit GOLTZIVS, qui eundem hunc denarium male proferens ad A. V. C. IↃCCLXIII. contra omnium denariorum fidem Lucii praenomen addidit, ſcribens L. LONGINVS III. VIR. Debuerat hunc detegere errorem VAILLANTIVS ex tot eiuſdem exempli denariis, quos illi plures quam cuiquam alii videre forſan contigit. Sed dum GOLTZIVM nimis confidenter ſequitur, praeceps plus ſemel in errorem lapſus eſt. Ego, mox ſubiungit HAVERCAMPVS, Longinum triumuirum cudendae monetae & Quintum Caſſium eundem eſſe puto, vt ita Quintus Caſſius Longinus triumuir monetalis exſtiterit. Id fabrica & typus huius denarii conuenientes cum praecedenti docere videntur; idemque vir, qui Q. Caſſii nomine cenſeri volebat in priori denario, in hoc, cognomine & magiſtratu agnoſci voluit; vid. HAVERC. *comment. in theſ. Morell. loc. cit.* conf. cl. *Chriſt. Sigiſm.* LIEBEI *Gotha numaria* pag. 224. ſq.

190. CAEICIAN*us*. Caput Cereris ſpicis coronat. deſuper litt. A.
L*ucius* CASSI*us*. Iugum boum, in area litt. X.

Aſper. In *Cic. epiſt.* ad Attic. lib. VIIII. ep. 11. & 13. C. Caecii cuiuſdam fit mentio. Ab hoc Caecio L. Caſſium adoptatum credidit

dit VRSINVS, & propterea Caecianum dictum; vid. *eiusd. fam. Rom.* pag 56. Quam vero ſententiam reiiciunt eruditi, tunc enim Caſſianus foret dicendus. Nam ipſe adoptatus nomen ſuum priſtinum producebat; L. Caſſius itaque rectius Caecium adoptauit, quod in adoptionis gratiam prolongatum nomen Caecianus docet; vt Aemilius, in Corneliam adoptatus, dictus eſt Cornelius Aemilianus. *Caput Cereris* & praeſertim *iugum boum* reſpicere videntur ad agrorum diuiſionem, ex lege, quam Iul. Caeſar in conſulatu ſuo cum M. Bibulo tulit A. V. IↃCLXXXXIIII, nempe vt ager Campanus plebi diuideretur. Duumuirum coloniae deducendae Caſſium hunc Caecianum fuiſſe denarii typus indicat. *Ceres* enim, ad indicandum Campaniam frumento, cui praeeſt illa dea, abundare aduerſam nummi paginam occupat: iugum boum, deductae coloniae ſymbolum, viginti circiter millia ciuium ex lege Iulii Caeſaris illuc traducta eſſe ſignificat; confer. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. I. p. 243 ſq. Litt. A. ad monetales matricum notas refertur.

191. Caput Romae galea alata ornatum, pone quod vrna & ſolita denarii nota.

caius CASSI*us*. ROMA. Dea Libertas in quadrigis, d. pileum, ſ. virgam.

Aſper, *ſubaeratus*, *elegans*. *Virga* & *pileus*, quem dextra tenet dea triumphans, libertatis ſunt ſymbola. Quamuis libertatis hic praeclarus adſit typus, recte tamen plerique ſtatuunt antiquarii, quod non ad percuſſorem C. Caeſaris C. Caſſium hic denarius referendus ſit, ſed ad Caſſium antiquiorem. Vt enim ex ſequentibus numis claret, IMP*eratoris* titulus famoſo illi libertatis Romanae vindici atque tyrannicidae additur. *Vrna* ſiue *ſitella* ad capienda ſuffragia probe eſt obſeruanda. Nam ad Caſſii huius, qui ſignauit denarium, patris tabellariam legem reſpicit; vid. *Fulu.* VRSIN. pag. 54. Cl. PERIZONIVS ad Caſſium, qui Caeſarem ſuſtulit, hunc numum refert, dum inter alia: *Octauum*, inquit, *tab. I. gentis Caſſiae numum ipſe habeo, ipſumque retulerim ad C. Caſſium, percuſſo-*

cussorem Caesaris, qui Syriam tenuit, & rem ibi feliciter gessit; vnde & imperator solenniter a militibus fuit dictus. A Longini, qui tr. pl. celeberrimam illam tabellariam tulit legem, de qua antea egimus, filio, C. Cassio, Romae hunc denarium signatum esse cel. HAVERC. existimat. Qui apud Romanos manu mittebatur raso capite pileum gestabat. Virga seu vindicta capiti imposita praetor eum liberum esse, more Quiritum, dicebat; vid. NIEVPOORT. de *ritib. Rom.* pag. 440.

192. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

caius CASSIVS CELER III. VIR *aere* A*rgento* A*uro* F*lando* F*eriundo* in area S. C.

Sec. mod. aereus. De Cassio Celere nihil apud antiquos. Erat triumuiratus monetalis inter minores magistratus & gradus ad maiores. Cassius Celer, procul dubio, ex triumuiris monetalibus fuit, a senatu Romano Augusti tempore electis.

CIPIA.

193. M*arcus* CIPI*us* M*arci* F*ilius*. Caput Romae galea alata ornatum cum denarii nota.

ROMA. Victoria bigas agens, infra nauis gubernaculum.

Eleganter signatus denarius, quem MORELLIVS *numum vncialem valere iudicat.* Cipia gens eadem cum Cispia, fuit *plebeia;* cuius nomen a Cispio monte, altero nempe Esquiliarum iugo, in quo habitabat, deriuatum esse cl. VALENS existimat, Festumque in partes vocat. Debuerat dicere, vt rectius docet HAVERCAMPVS, iugum illud collis Esquilini a quodam Cispio nomen Cispii accepisse. Id enim Festus in loco a VALENTE excitato docet, dum: *Cispius*, inquit, *mons in vrbe, Esquilinae regionis, de nomine cuiusdam hominis dictus.* Hic M. Cipius siue Cispius A. V. C. IↃC LXXXXI. in quaestura sua cum solitis denariorum Romanorum typis, nempe Romae capite & bigis, (vnde *bigati* dicti) hunc signauit

gnauit numum, in vſum forte rei naualis, quod *temo nauis*, qui in poſtica ſub equorum pedibus cernitur, indicat. Idem iſt M. Cipius A. V. IↃCLXXXXVI. ad tribunatum plebis peruenit, &, quum *Ciceronis* reuocationi impenſe faueret, a Clodianis VIII. Kal. Febr. vi foro depulſus eſt; vid. VRSINVS, VALENS & HAVERCAMPVS in gente Cipia.

194. Eadem aduerſae inſcript. idemque typus; auerſae eadem incuſa videntur, quae in aduerſa effiɛta ſunt.

Aſper. Huius generis numos raro obſeruari conſtat inter omnes.

CLAVDIA.

195. MARCELLINVS. Cap. Claudii Marcelli, pone illud triquetra Siciliae ſymbolum.

MARCELLVS CO*nsul* QVINQ*uies.* Marcellus togatus tropaeum in templum Iouis Feretrii tetraſtylum infert.

Optime conſeruatus. In duas Claudia gens, e Sabinis orta, olim diuidebatur familias, *patriciam* alteram minorum gentium, alteram Marcellorum *plebeiam*, quae clarior fuit. Accium Claudium Claudia gens generis ſui habuit auɛtorem. Is, quum Sabini eius de pace improbarent conſilia, magna comitatus clientum manu, Romam commigrauit. Ibi ſexto fere poſt reges exaɛtos anno, teſte *Suetonio*, a patribus inter patricios adſcriptus Appius Claudius vocari coepit. Hic innatam nobilibus ſuperbiam per genus ſuum propagauit: vniuerſi enim (excepto Clodio, *Ciceronis* & *Milonis* inimico) plebi fuerunt infeſtiſſimi. Claruit haec gens conſulatibus XXVIII, diɛtaturis V, cenſuris VII, triumphis VI, ouationibus II. Clariſſimus omnium Marcellorum M. Marcellus in hoc denario expreſſus eſt, qui *quinquies conſul*, Siciliaeque domitor fuit. Hic Syracuſas coepit, ipſumque Hannibalem vinci poſſe docuit; qui ſua manu caeſo Gallorum Inſubrium rege Viridomaro de Galleis Inſubribus & Germaneis triumphauit, & *ſpolia opima Iouis Feretrii templo intulit;* cuius praeclari

&

& heroici facti memoria in altera denarii parte diligenter eſt expreſſa. De Iouis Feretrii templo, deque ſpoliis opimis eo relatis conſulendi ſunt *Liuius* & *Propertius*, qui totam hanc de opimis ſpoliis hiſtoriam, multo quam alii accuratius, attigerunt. *Tria crura* in antica propterea expreſſa videntur, quia Marcellus de Syracuſanis in monte Albano ſecundum & tertium egit triumphum; vid. *Fulu.* VRSINVS per PATINVM auctus pag. 72. ſq. VAILL. *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 278. HAVERCAMPVS *in comment. ad theſ. Morell.* pag. 89.

196. Caput Romae galea alata ornatum, pone illud modius, ante conſueta denarii nota aut ſtella.

Marcus MARC*ellus*. ROMA. Victoria in citis bigis, in imo duae ſpicae.

Magni illius Marcelli quinquies conſulis nepos fuit Marcus iſte Marcellus; & quoniam ipſe poſt decurſos honores minores ter conſulatum geſſit, ſtatuas ſibi, patri & auo poſuiſſe dicitur, cum inſcriptione *Hi Marcelli nouies conſules;* ipſe enim ter, pater ſemel, auus quinquies conſul fuerat. A.V. IↃLXXXV idem M. Claudius Marcellus cum Cn. Domitio Ahenobarbo aedilis curulis factus, quum in hoc magiſtratu annonae copiam procuraſſent, hunc & ſimiles denarios cudi curauit. *Modius* & *ſpicae* curam annonae diligenter habitam demonſtrant, *bigae* ſimplicitatem denariorum antiquorum, qui *bigati* inde dicti ſunt, oſtendunt. *Laur.* BEGERVS in *theſ. Brand.* vol. II. pag. 547. bigatum hunc Marcelli quinquies conſulis de Syracuſanis & Sicilia triumphum reſpicere autumat. Indigno fato M. ille Marcellus, vir tantus tantiſque honoribus functus, morte ingloria in mari periit, dum legatus ad Maſiniſſam proficiſceretur, vt *Liuius* in *epit.* lib. L. commemorat: *Ex tribus legatis, qui ad Maſiniſſam miſſi fuerant, Claudius Marcellus, coorta tempeſtate, fluctibus obrutus eſt;* vid. VAILLANTIVS in *fam. Rom. num.* vol. I. pag. 275. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 91.

197. Ca-

197. Caput Romae more ſolito galeatum.

AP*pius* CL*audius* T*itus* MAN*lius* Q*uaeſtores* VR*bani.* Victoria in trigis.

Recte obſeruat MORELLIVS ex argento & aere reperiri hunc numum, quod intelligendum eſt de *ſubaeratis*, qui, vbi argenteam amiſerunt laminam, aeri fiunt; qualis infra in altera conſularium ſerie huic argenteo ſimillimus occurrit denarius. Cel. HAVERCAMPVS ſeſe pleroſque huius generis numos ex conſularibus, imperatoriis, immo & ex Graecis regibus aliiſque ſtudioſe collegiſſe refert. Idem vir doctiſſimus vt paſſim alibi ita & hoc loco paullo feruentius cl. VAILLANTIVM reprehendit, dum ei inſultat, quod tum archetypo diſſimilem vulgauerit typum, tum typothetarum inexcuſabili vitio repletam exhibuerit denarii interpretationem. Quae tam miſere deformata verba, inter alia inquit, ſeu feſtinatione nimia ſcriptoris, ſeu inexcuſabili typothetarum vitio, quum lego, mirari ſubit VAILLANTII oſcitantium, qui Q. VR. legit & explicat, pro Q. MAR. quum tamen paullo ante, typi & inſcriptionis reddens rationem, poſuerit haec verba: *Caput Romae galeatum: in auerſa parte* AP. CL. T. MANL. Q. VR. & tamen ſubdiderit ſtatim: *Appius Claudius*, *Titus Manlius*, *Quintus Marcius. Victoria in trigis.* Eadem aberrans ratione, addit HAVERCAMPVS, ad eundem hunc denarium in gente Manlia ſimiliter Q. VR. pro Q. MAR. legit, ſomniatque quaeſtores hos vrbanos ideo trigas pro bigis & quadrigis ſignaſſe, quod hoc anno curſus in Circenſibus trigis inuectus ſit. Erroris cauſſam praebuit illi GOLTZIVS, qui litterarum compendio deceptus Q. VR. pro Q. MAR. expreſſerat. Aliter vero, mox ſubiungit, ſenſiſſet VAILLANTIVS, ſi ipſos hoſce inſpexiſſet denarios, qui tanto paſſim numero occurrunt, vt vix vlli ſint frequentiores. Nonne miramur iure hanc viri in re numiſmatica verſatiſſimi inconſtantiam? quam ego certe mirarer magis, niſi ſcirem feſtinatam omnibus modis illam fuiſſe VAILLANTII familiarum editionem, vt accuratiſſimum MORELLII noſtri laborem praeueniret atque eluderet. Ne ipſos quidem

P dena-

denarios itaque inſpicere dignatus fuit, qui conſtanter omnes habent Q. MAR. litteris gentis Marciae per compendium ſcribendi in vnum conflatis, tantaque ſunt frequentia vt quotidie conflandi argenti fabris tradantur. Haec ſunt fere illa, quibus munitus cel. HAVERCAMPVS famigeratiſſimum Antiquarium adoritur. Quod autem liberius atque audacius h. l. in cel. VAILLANTIVM inuectus ſit, bini indubiae antiquitatis denarii, qui in numophylacio SCHVLZIANO adſeruantur, clamant atque teſtantur. Hi enim propius ad VAILLANTII, quam ad Morellianam delineationem accedunt, & in poſtica parte litteras AP. CL. T. MANL. Q. VR. ſiſtunt. Cl. PATINVM potius in numi huius delineatione peccaſſe conſtat; quadrigas enim contra denariorum fidem in alteram denarii paginam collocat; VALENTEM vero accuratam ſatis numi exhibuiſſe imaginem firmiſſime aſſeueramus. Illos, quorum nomina in auerſa denarii parte leguntur, haud triumuiros monetales, vt quidam crediderunt, verum quaeſtores vrbanos fuiſſe ex denarii inſcriptione patet; vid. VRSINVS per PATIN. auctus, pag. 72. VAILL. in *fam. Rom.* tom. I. pag. 269. *Theſ. Morell. tom.* II. pag. 91.

198. *Senatus conſulto.* Caput Dianae cum arcu & pharetra ad humeros.

TI*berius* CLAVD*ius* TI*berii* F*ilius* AP*pii* N*epos*. Victoria in citis bigis, d. tenens corollam, l. palmam & habenas; ſub equis cernuntur notae numerales A. ⅬII.

Serratus. Hunc notae numerales diſtinguunt ob omnibus illis denariis, quos cel. HAVERCAMPVS *vulgauit.* Ad Tiberium Claudium, Tiberii filium, Appii Claudii Caeci nepotem hunc denarium referendum eſſe inter eruditos conuenit. Quum A. V. IↃIIII. conſules male contra Carthaginienſes pugnaſſent, & P. Claudius Pulcher, contra auſpicia pugnans, victus eſſet, L. Iunius Pullus naufragio claſſem amiſiſſet, damnationemque voluntaria morte praeueniſſet; eo tempore Tiberius Claudus, Siciliae quaeſtor, ex S. C. magnam denariorum vim cudit, quibus res perditae reparari poſſent.

ſent. Hi quoniam extra vrbem in prouincia cuſi ſunt, *Dianae* (quae dea Siciliae tutelaris erat, vt ſupra pag. 65. num. 119. vidimus) *venatricis caput* in antica exhibent, & victoriae conſuetum omen in poſtica. Notas numerales LXXIIII. quae in quibuſdam denariis obſeruantur, deſignare, cuſos eosdem ex tributo regis Hieronis pondo argenti LXXIIII. PIGHIVS ſuſpicatur: hanc coniecturam VAILL. repetit, quam cel. HAVERCAMPVS reiicit; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. I. pag. 257. *Theſ. Morell.* tom. II. pag. 92.

199. Caput Solis ſeu Apollinis radiatum, pone quod ramus. P*ublius* CLODIVS M*arci* F*ilius*. Luna creſcens inter quinque ſtellas.

Ramus, quem aduerſa ſiſtit, in denariis a cel. HAVERCAMPO *deſcriptis, haud comparet.* Numos *Apollinis radiatum caput* & *lunam bicornem cum ſtellis* circumferentes, ad *ludos* Apollinares, qui Romae ſingulis annis acti fuerunt, ſpectare antiquarii ſtatuunt. Publius Clodius, ex VALENTIS ſententia, aedilis curulis fuit, qui A.V.C. IↃCCVIII. abſente Caeſare ludos hos celebrauit. *Dio* enim lib. XXXXIII. commemorat, eo tempore duos aediles theſauris publicis praefuiſſe, quorum alter Caeſaris ſumptibus ludos Apollinares fecerit; ex his Dionis verbis & hoc denario VAILLANTIO P. Clodium aedilem illum curulem fuiſſe videtur; vid. *eiuſd. fam. Rom. num.* tom. I. pag. 283. conf. *theſ. Morell. loc. cit.*

200. Caput Apollinis laureat. & comatum, pone quod lyra. P*ublius* CLODIVS M*arci* F*ilius*. Diana ſtans vtraque manu facem tenens, in humeris arcum & pharetram geſtans.

Eleganter ſignatus. Ex inſcriptione patet ad eundem P. Clodium hunc itidem pertinere denarium, quin & eoſdem denotari ludos Apollinares docent hinc Apollinis inde Dianae ſymbola. VAILLANTIVS ludos Cereales ab eodem Clodio editos ex huius denarii imaginibus effingit, dum loc. cit. Hic numus, inquit, Cereales eundem hunc Clodium edidiſſe demonſtrat, quod Ceres accenſis

facibus denotat. *Cicero* lib. V. *act.* II. *Verr. Nunc ſum*, ait, *deſignatus aedilis, habeo rationem quid a populo Romano acceperim, mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Cereri*, caetera. Haec Dea gerit faces ex Aetna accenſas, quibus quum Proſerpinam a Plutone raptam quaereret, orbem circuiſſe dicitur. Ludi autem Cereales a pridie Idus Aprilis per octo dies in Circo, proximo poſt Circenſes die celebrabantur. In his, addit Antiquarius, repraeſentabatur a matronis luctus Cereris ob raptam Proſerpinam, & eius peregrinatio cum face quaeritantis filiam. Caput Apollinis ad indicandum etiam ab eodem Clodio fuiſſe celebratos expreſſum eſt: non capite quidem radiato vt dei Solis, quum Dianae ſymbola non adeſſent; ſed iuuenis & muliebri facie; vt cui & Baccho perpetua eſſet iuuentus, teſte *Ouidio*:

Solis perpetua eſt Phoebo, Bacchoque iuuentus.

Lyra Apollinis ſymbolum eſt. Haec ſunt ea, quibus cl. VALENS ſuam de Cerealibus ſtabilire conatur opinionem. *Arcu, pharetra & facibus*, quae in elegantius cuſo noſtro denario clariſſime oculis ſeſe ſiſtunt, cel. HAVERCAMPVS penitus euertit VALENTIS ſententiam. Totum, inquit, cadit VAILLANTII commentum, per arcum & pharetram, quae vtraque ſymbola in meo nitidiſſimo deprehendere licet, recteque effinxit MORELLIVS. Faces autem, mox ſubiungit, manu geſtare Dianam, quid mirum, quum illa nocturnum praeſtet lumen ſicut frater diurnum, vnde duo ex *Callimacho* & *Sophocle* notauit loca VRSINVS. Vocat enim φαεσφορίην *Callimachus hymno in Dianam* verſ. 11. & φαεσφόρον verſu 104. Locus autem *Sophoclis*, cui ἀμφίπυρος vocatur, extat in *Trachin.* verſ. 218. quam vocem interpres graecus ita declarat, παρ' ὅσον ἀμφοτέραις χέρσι δαδουχεῖ, *quod vtraque manu facem gerat.* His cel. HAVERCAMPVS addit *Ariſtophanem in Ranis* verſ. 1406. Qui plura deſiderat, adeat doctiſſimos & vberrimos SPANHEMII ad *Callimachum commentarios*; vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Pariſ.* pag. 75. VAILL. *loc. cit.* HAVERCAMPVS in *eruditiſſimo* ad *theſ. Morell. commentario loco antea cit.*

201. Ro-

201. Romae galea alata ornatum caput.
caius PVLCHER. Victoria agens bigas.

C. Claudio Pulchro, Appii filio, Publii illius, qui primus Pulcher est dictus, nepoti, *bigatum* hunc eruditi tribuunt; eundemque in Pulchri quaestura prouinciali A. V. IↃLXVI. signatum esse credunt. Hic A.V. C. IↃLXXVI. ad consulatum quoque peruenit, de Histris & Liguribus triumphauit, atque tandem cum T. Sempronio Graccho, quem & in consulatu habuerat collegam, A. V. IↃLXXXIIII. censor factus est. Asperam eius fuisse censuram, periculumque ipsi inde a tr. pl. Rutilio postea creatum, scriptores narrant, in primis *Valerius Maximus*, addens, quo pacto collegae Gracchi magnanimitate euaserit, lib. VI. cap. V. p. m. 221. *Cum T. Gracchus*, & *C. Claudius* - - - - *tribunus Rutilius remisit*; vid. VAILL. *in fam. Rom. num.* tom. I. pag. 265. *Thes. Morell.* tom. II. p. 94.

CLOVIA.

202. CAESAR DIC*tator* TER*tium*. Caput Veneris Victricis aut Victoriae humeris alatis.
caius CLOVI*us* PRAEF*ectus*. Minerua Victrix gradiens, d. tropaeum super humeros ferens, l. clypeum cum capitae Medusae; a cubito sub inferiore clypei parte dependet lacinia, ante pedes serpens egregie cristatus.

Integerrimum & nobili aerugine conspicuum sec. mod. numisma, quod itidem rarioribus familiarum Romanarum numis periti adnumerant. Clouia seu Cluuia gens (vtroque enim modo in antiquis monumentis scripta reperitur) ex Cluuiis Saxulis, fratribus, qui trib. plebis fuerunt, *plebeia* fuisse colligitur. C. Clouius, cuius nomen auersa numismatis pagina exhibet, Iulii Caesaris temporibus vixit, vt ex aduersae inscriptione adparet. Eruditis idem esse videtur, qui a Caesare in Gallias missus est, & cum imperio Cisalpinae Galliae praefuit. Priusquam in hanc proficisceretur prouinciam, non neglexit Ciceronem inuisere, vt familiarem & ami-

cum. Patet id ex Ciceronis epiſtola ad eundem, ex qua itidem liquet, quanta huius Clouii apud Caeſarem fuerit auctoritas. Verba *Ciceronis*, quae vtrumque indicant, exſtant *epiſt. lib. XIII. ep. 7. Cum in Galliam proficiſcens - - - - - facturum eſſe arbitror.* Scripta eſt haec epiſtola, vt praeclare docet HAVERCAMPVS Q. Fabio Maximo & C. Trebonio coſſ. adeoque A. V. IↃCCVIIII & quidem pôſt expeditionem Iulii Caeſaris in Hiſpanias contra Pompeii liberos, & poſt cuſum hoc numiſma, honoremque praefecturae, quem inſcriptio praefert. Fuit itaque C. Clouius cum imperio in Galliam Ciſalpinam miſſus a Caeſare, poſtquam ipſi de fide eius conſtitiſſet; in nauata ſcil. opera cuſtodiae vrbis Romae, cuius illum cum quibuſdam aliis, vti paſſim infra viſuri ſumus, praefectum reliquerat ſub Lepido, equitum magiſtro. In iſta itaque praefectura hunc percuſſit numum, cuius aduerſam ornat Victoriae buſtum, in quibuſdam cum ſolis aſtro vel ſtellae Veneris (quae in hoc aereo abeſt) quam impenſe colebat Caeſar, vt generis ſui matrem, vnde & armatam Venerem annulo inſculptam geſtaſſe, atque in rebus ſummis ſaepius pro teſſera dediſſe, *Dio* lib. XXXXIII. pag. 266. commemorat. In auerſa numiſmatis parte *Mineruae Victricis* & *tropaeophorae* eſt effigies, quod non minus prudentia ſua quam fortitudine praeclaram illam victoriam Caeſar eſſet conſecutus; quam victoriam non aliam poſſe intelligi quam Hiſpanicam, omniumque victoriarum Caeſaris vltimam atque laborioſiſſimam, oſtendunt *gaeſa illa Hiſpanica*, quae poſt clypeum Minernae eminent, atque a cel. HAVERCAMPO primum obſeruata ſunt. Idem vir acutiſſimus probe obſeruat, picturam Morellianam omniumque reliquorum minus exactam eſſe, vti liquido patebit accuratiorem SCHVLZIANI huius *numiſmatis imaginem*, quam *tab.* III. *num.* VIII. ſiſtimus, cum vulgatis antiquariorum typis conferentibus. Non enim, vir clar. ait, velut quatuor tubae ſunt, quae ſub clypeo conſpiciuntur, ſed prima figura inferius longior eſt, ſuperius in ſpiculum acuminatum deſinit, tres ſequentes laciniam efficiunt, quales in numis Syracuſanis aliiſque Graecis

cis Latinisque saepissime a brachio deae dependent; numi minus integri quasi striatas lineas exhibent. Haec HAVERCAMPVS; vid. *eiusd. comment. in thes. Morell.* pag. 97. sq. conf. VAILL. *famil. Rom.* tom. I. pag. 285. *Fulu.* VRSINVS per PATINVM *auctus* p. 76.

CLOVLIA.

203. Caput Iouis laureatum.

Titus CLOVLI*us Quaestor.* Victoria, palmam l. super humeros gerens, d. tropaeum coronat, in cuius imo sedet captiuus manibus in tergum reuinctis.

Ex consulatu, quem anno XII. post exactos reges T. Cloelius Siculus gessit, colligitur, Clouliam siue Cloeliam gentem *patriciam* fuisse. Illo enim tempore nondum alter tantum consul ex patriciis eligebatur. In aduersa huius quinarii pagina PIGHIVS & cl. VAILLANTIVS Iouis Feretrii imaginem agnoscunt, quam cel. HAVERCAMPVS Iouem Capitolinum respicere existimat. In anteriore parte, VAILLANTIVS ait, laurea redimitum exhibetur caput Iouis, quem littera F. Feretrium esse denotat, ille diuersus est a Capitolino, nam habet capillos non ita amplos, & barbam non adeo prolixam, templumque habebat, etsi proximum, tamen ab altero diuersum in VIII. regione, in quod Fabius consul tropaeum illud in victoriae suae memoriam tulit, & ipsi consecrauit. Haec VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. I. p. 287. Quibus haud illepide cel. HAVERCAMPVS: Verum ego, addit, fateor mihi non tantam cum Iouibus istis esse familiaritatem, vt Capitolinum vel Feretrium ex barba & capillis dignosam. In numo gentis Aciliae num. V. tab. pr. sese symbolo suo, id est, spoliis quae praefert, agnoscendum praebet; in hisce non possum a Capitolino discernere; nec erat cur Fabius in templum Iouis Feretrii spolia inferret, quod fecerat Marcellus, occiso sua manu hostium rege Viridomaro, defractisque ipsi spoliis opimis; quale quid de Fabio nequaquam legitur, adeoque egregie mentiti fuissent *Virgilius* & *Florus*, ille quidem *Aen.* VI. 869.

Adspi-

Adſpice, vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes.
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Siſtet eques, ſternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma Patri ſuſpendet capta Quirino.

Hic vero diſerte tradit Romuli hanc primam fuiſſe laudem, Coſſi ſecundam, tertiam Marcelli, *lib.* II. *cap.* IIII. *Occiſo enim rege, Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Ioui arma ſuſpendit;* vid. *Florus* BEGERI pag. 254. ſq. Iam vero ante illud Marcelli factum, quod contigit A. V. IↃXXXI. conſul Fabius victoriam Siculam de Poenis fuit adeptus, videlicet A. V. C. IↃVI. vnde ſequeretur quarta Marcello, tertia Fabio ſpolia haec Iouis Feretrii templo illata conuenire. Sed & PIGHIVM & VAILLANTIVM in errorem induxit littera F, quam illi de Feretrio Ioue ſunt interpretati; & ſic littera K. de Cretenſi, A. de Argiuo, E. de Eleutherio, ſi modo Romae culti fuiſſent, capi poſſent; quum tamen nihil aliud ſint quam litterae alphabeticae, quales in plurium familiarum innumeris obſeruantur numis; in quo excuſari non poteſt VAILLANTIVS, quum hi quinarii tanto adhuc numero ſuperſint, vt neceſſe ſit, illum plures vidiſſe, ſed praecipitantia editionis non obſeruaſſe litterarum diſcrimen. Hactenus cel. HAVERCAMPVS; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 99. ſq. Quid a Fabio conſule in Sicilia actum ſit, in altera quinarii pagina exprimitur. Hic enim Hamilcari ad Panormum oppoſitus victoriam erat adeptus, & Drepanum obſederat, hinc *tropaeum*, dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, id eſt, *conuerſione* hoſtis & fuga. Nam ab eo quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur tropaeum, quod occidiſſet, triumphum. Plenae enim victoriae triumphus debetur, ſemiplenae tropaeum, quia nondum plenam conſequutus eſt victoriam. *Tropaeum* ex duobus lignis in crucis ſignum compoſitis conſtitit; quibus arma, & hoſtium ſpolia, adpendebantur; & ſi aliquando barbari eſſent debellati, Victoria ipſa ex variis eorumdem armis tropaeum adornans in numis exprimebatur. *Captiuus* ad imum tropaei, captiuos denotat in ea pugna

factos,

factos, quorum permutationem hoc anno cum Poenis factam ex *Liuiano compendio* colligitur. Quamuis denique in hoc numulo Romae non adsit nota, ibi tamen eundem cusum esse HAVERCAMPVS autumat; quoniam in plerisque Romae signatis abesse nonnunquam solet.

COCCEIA.

204. COCC*eius* NERVA. . . . Caput senile barbatum & laureat.
SALVS. Dea Salus in cathedra sedens, d. aliquid porrigit.

Quum nec a Francisco MEDIOBARBO *inter impp. Rom. numismata, nec a cel.* HAVERCAMPO *in thesauro Morelliano, denarii huius vlla facta sit mentio; adparet hunc indubitatae antiquitatis numum haud tritum esse atque vulgarem.* Cocceia gens, quae Neruae cognomen habet, illustris pluribus fuit consulatibus, maxime tamen Nerua imperatore, qui Traianum bono publico adoptauit. Neruam senectute confectum traditis Traiano imperii gubernaculis priuatum in vrbe vixisse tradunt scriptores. Cumque aduersa Neruae senile simulacrum demto imperatoris titulo exhibeat; hinc iam sub Traiani optimi principis imperio, in Cocceiae gentis honorem, quippe quae insignem illum Romanorum imperatorem produxerat, hunc argenteum signatum esse auguramur, & propterea eundem potius ad Cocceiae gentis, quam ad imperatoris Neruae numismata referendum esse duximus. *Salutis deae* typo salutem & omnigenam felicitatem, occiso Domitiano (sub quo saeuissimae tyrannidis iugo premebatur S. P. Q. R.) rei publicae Romanae imperante Nerua restitutam esse innui videtur. Fusius de Neruae imperatoris virtutibus *parte* II. ad argentea & aerea impp. numismata agetur.

COELIA.

205. C*aius* COEL*ius* CALDVS CO*nsul.* Caput Caldi nudum, pone tabella litteris L. D. insignita.
CALDVS III. VIR. Caput Apollinis coma sparsa, corona radiata ornatum, inter clypeum & parmam.

Eximiae conseruationis & elegantiae numus. Caeliae gentis *plebeiae* apud scriptores frequentius fit mentio. Summam huic genti nonnulli vindicant antiquitatem, ab Etrusco videlicet Coelio, qui Romulo contra Sabinos cum suis opitulatum venit; quod illi non videtur competere, quum huius gentis viros *nouos homines* adpellet *Cicero.* Coelii istius res Romae gestas, antequam ad consularem perueniret dignitatem, denarii typus respicit. Hic enim tribunus plebis A. P. V. C. IↃXXXXVI. factus nobilium inimicitiis inclaruit. Quum etenim in Gallia male a Romanis pugnatum esset, altero ex legatis consularibus L. Pisone interfecto; alter, qui supererat, C. Popillius, ne omnes perirent, cum hostium ducibus colloquio habito, impedimentorum iactura exercitus incolumitatem redemit, vti testatur scriptor Rhetoricorum ad C. Herennium. Reuerso diem dixit tribunus plebis, & quo facilius adfligeret Popillium, quartam legem tabellariam, omnium atrocissimam & inuidiosissimam introduxit. Omnes hasce enumerat *Cicero lib.* III. *de legib. cap.* 16. *edit. Gronou.* pag. 1308. *Itaque isti rationi neque lator quisquam est inuentus, - - - - vt opprimeret C. Popilium, nocuisse & rei publicae.* Egregium huius legis hic ipse denarius est monumentum. Et quemadmodum legis Cassiae tabellariae A. C. absolutionis condemnationisque notas fuisse supra num. 188. ex numis demonstrauimus; ita ex huius tabellae litteris L. B. h. e. LIBERO DAMNO itidem vota populi Romani contraria indicari veneranda docet antiquitas. Hac enim lege maiori numero vel liberabatur vel condemnabatur reus. Iniquitatem vero iudicii, haud expectata sententia, effugit Popillius, vltro in exilium profectus, vti testatur *Orosius* lib. V. cap. 15, illum tamen in editis male *Caium Publium* dici pridem obseruarunt critici. Hac lege Caelius populi iura mirum in modum auxisse visus, in petitione postea consulatus, tam gratiosus apud plebem fuit, vt ex competitoribus alter ne descendere quidem ad comitia voluerit, alter contendere ausus, sit superatus, teste *Cic. de pet. consul. cap.* III. p. m. 1392. *Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini nouo C. Coe-*

C. Coelio? - - - - superior nulla re, paene superauit. HAVERCAMPVS illud *paene* delendum putat, vel reponendum *plane superauit.* In hisce *Tullius nouum hominem* appellat Coelium, atque nobilibus & antiquo stemmate ortis opponit; neque hic tantum, verum etiam in *oratione pro L. Murena* cap. VIII. p. m. 475. *Quamquam ego iam putabam, - - - - Coeliis commemorandis iacebant.* Quum itaque homo nouus, ignobilis, recens a *Cicerone* appelletur, cui tamen cum Coelia familia magna erat amicitia, quis credat ab antiquo illo Coelio genus traxisse? a quo scil. Coelius mons nomen receperit iuxta *Varronem* de L. L. lib. IIII. *In Suburbanae regionis - - - - - - is deus Etruriae.* In altera denarii parte Solis siue *Apollinis simulacrum* inter *scutum oblongum, fulmine* insignitum, & *parmam.* PITISCVS in *antiqu. Rom. Lexico* parmam scutum forma rotunda fuisse ex *Polybio* docet. Parmae, *Henr.* KIPPINGIVS in *antiquit. Rom.* lib. II. cap. II. p. m. 433. inquit, ligneae erant, corio superinductae; conf. NIEVPOORTIVS sect. V. cap. III. p. m. 358. sqq. Et scutum & parmam ad Hispanorum arma referunt antiquarii, peditum scil. & equitum. Spectant haec ad victorias, quas proconsul Coelius fuso equitatu & deletis pedestribus hostium copiis de Hispanis retulit. Littera S. in quibusdam saltim scuto superposita cernitur, in aliis autem, aeque vt in integerrimo hoc SCHVLZIANO, abest; hinc eandem litteram merito ad monetariorum notas referendam esse apparet. Caput Solis Coelio nomini & cognomini Caldo (quod sol in caelo videatur, & caldus sit) adludere VAILLANTIO videtur. Cel. HAVERCAMPVS ex Hispanorum numis, qui Solis cultum in illis regionibus confirmant, docet Coelium hunc itidem Apollinis imagine eiusdem dei cultum in Hispania innuere voluisse; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 104. sq. conf. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 291. sq. *Longe pulcherrimum hunc denarium ex praeclara illustr.* SCHVLZII *familiarum Romanarum in numis collectione tab.* III. *num.* VIIII. *conspiciendum exhibemus.*

 206. Ca-

206. Caput Romae alata galea ornatum.

caius COIL*ius* CALD*us*. Bigae aurigante victoria, desuper litt. N.

Cl. VALENS C. Coelio Caldo consulari *bigatum* hunc tribuit, eundemque ex vectigalibus Hispaniae signatum esse credidit. Quum autem littera illa H., in qua *Hispaniensem* pecuniam se inuenisse VAILLANTIVS existimat, potius aeque vt littera N. monetalis matricum nota sit; adparet valde dubiam esse eruditi antiquarii sententiam. Cel. HAVERCAMPVS ex typo & auersae scriptura ad antiquiorem Coelium, tunc Coilium dictum, denarium hunc respicere autumat; & hinc eundem non reuocat ad C. Coelium consulem vel consularem; sed ad patrem eius C. Coelium Caldum, eundemque hos denarios in quaestura signasse credidit; vid. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 293. conf. *thes. Morell.* tom. II. pag. 105.

CONSIDIA.

207. Caput deae Libertatis laureatum, retro littera A.

caii CONSIDI*i* PAETI. Sella curulis cum laurea.

Bene conseruatus. Ex L. Considio tribuno plebis, qui olim agrariam promulgauit legem, *plebeiam* hanc fuisse gentem colligitur. Cognomen Paeti ab oculorum vitio est. Ad illum Considium, qui ab aliis, librariorum errore, perperam Longus dicitur, quique Africae vrbes, post victum Pompeium, magnis conatibus tutatus est, hunc celebriores antiquarii referunt denarium. Conferri meretur *Hirtius*, qui in lib. suo *de bello Africano* haud pauca de illo commemorat. Acerrimus Considius iste quondam Romanae libertatis fuit defensor, qui, procul dubio, ea de caussa hinc *Libertatis deae* simulacrum, inde vero *sellam curulem*, magistratus sui insigne expressit. Considium hunc parricidii quaestorem fuisse, & ideo sellam curulem signasse VRSINVS autumat; vid. *eiusd. famil. Rom.* p. 67. sq. Quum autem teste *Tullio pro Cluent.* cap. XXXVIII. p. m. 418. nobilis is parricidii quaestor, Quintus, non Caius dictus fuerit; adparet h. l. haud satis sibi constare *Fuluium* VRSINVM.

Idem

Idem nobilis antiquarius deinde mutat ſententiam, atque rectius exiſtimat, eundem eſſe cum C. Conſidio, cuius meminit *Cic.* cap. I. *orat. pro Ligario* p. m. 642.; vid. VAILL. & HAVERC. in Conſidia gente.

CORDIA.

208. RVFVS III. VIR. Dioſcurorum capita cum pileis diademate reuinctis & ſtellis deſuper.

MAN*ius* CORDIVS. Figura muliebris ſtans, d. tenet bilancem, l. haſtam puram tranſuerſam; humeris inſidet noctua.

Aſper. Cordia gens *plebeia* fuiſſe videtur, cuius admodum tenuis apud ſcriptores mentio eſt. Vix enim vnius L. Cordi nomen apud *Cic.* lib. IIII. in *Verr.* cap. XX. p. m. 348. legitur. Productum eſt a *cordus*, ſeu *chordus*, qua voce Latini ſignificabant, quidquid ſerius naſceretur, vnde maturis opponit *Varro* de L. L. pag. 62. Triumuir hic monetalis Manius Cordus, temporis ratione Lucii illius filius fuiſſe videtur. Per *deos Penates* Lanuuinam Cordiorum originem denotari credidit VAILLANTIVS. *Deam Monetam* in auerſa numi pagina effictam munus triumuiri monetalis reſpicere eruditi exiſtimant. *Bilanx* pecuniam iuſto pondere deſignatam eſſe demonſtrat; vnde Iuſtitiam vel Aequitatem eodem habitu depingunt pictores. *Tranſuerſa diuinitatis haſta* ſine dubio Monetam pro dea quondam cultam eſſe demonſtrat. De *noctua*, quam VRSINVS & VAILLANTIVS temere neglexerunt, in explicatione tertii Cordiae gentis denarii agetur; vid. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 300. conf. *theſ. Morell.* pag. 112. *Fulu.* VRSINVS *per* PAT*auctus* pag. 83.

209. RVFVS. *ſenatus conſulto.* Caput Veneris cum inauribus.

MAN*ius* CORDIVS. Cupido delphino inſidens, quem regit habenis.

In Iulii Caeſaris gratiam a Cordio triumuiro monetali ex S. C. hunc ſignatum eſſe denarium docuit *Fulu.* VRSINVS, crediderunt

PATINVS, VAILLANTIVS & ipſe cel. HAVERCAMPVS: quod etiam exiguus theſauri Fridericiani numulus pag. 228. confirmat. Caeſari itaque ille adulari voluit, quum poſt Pharſalicam pugnam debellatis hoſtibus victor Romam rediret; ideo ex altera parte *Veneris* effigiem, quam Caeſar ſui generis ferebat auctorem, ex altera vero *Cupidinem* Veneris filiolum delphino gaudentem Cordius iuſſu ſenatus Romani expreſſit. *Delphinus*, niſi me omnia fallunt, tum maritimum Caeſaris imperium, tum Veneris ex mari ortum reſpicit; vid. *Fulu.* VRSINVS, PATINVS, VAILLANTIVS & cl. HAVERCAMPVS locis antea excitatis.

210. RVFVS. Noctua criſtatae galeae inſiſtens.

MAN*ius* CORDIVS. Aegis Mineruae, cuius ambitum connexis anguibus ornatum cernas, in medio caput Meduſae.

Exquiſitae conſeruationis denarius. Quemadmodum ſenatus Romanus praecedentem in Iulii Caeſaris gratiam cudi curauerat; ita nullum eſſe videtur dubium, quin Cordius triumuir monetalis itidem & huius numi typo blandiatur Iulio. Hoc enim numo eius ciuiles ſimul & militares collaudat artes, prudentiam quidem & doctrinam per *Mineruae voluerem*, fortitudinem per eiuſdem *deae arma*; vtraque hinc denariorum parte Palladis expreſſit inſignia, vt omnia huius deae in Caeſarem quadrare dona ſignificaret.

CORNELIA.

211. CN*eus* BLASIO CN*ei* F*ilius*. Caput galea cono & criſta inſigni ornatum, pone ſpica, ſuperne aſteriſcus.

Tres figurae, quarum media virilis, nuda ſtans, dextra thyrſum, laeua quid ramoſum tenens, quod in quatuor filamenta diuiditur, dependente a brachio ſtrophiolo. Adſtat a dextris mulier, d. haſtam gerens, l. veſtis attollens laciniam; a ſiniſtris conſpicitur mulier galeata, quae intermediam coronat figuram, in area palma, in imo aquila inter RO-MA.

Patri-

Patricia gens Cornelia in varias diuiſa fuit familias. Paſſim enim Blaſiones, Lentuli, Sullae, Scipiones, Siſennae, Cinnae, Cethegi, Coſſi, Balbi, Lupi, Dolabellae, quanta nomina! in nobiliſſimae huius gentis numis occurrunt. *Fulu.* VRSINVS huius denarii typum refert ad victoriam Blaſionis patris, a filio celebratam. PIGHIVS ab eodem quidem, ſed quaeſtore A. V. C. IↃXI, hunc denarium ſignatum eſſe exiſtimat, atque numi typum Lutatii Catuli conſulis inſignem illam de Poenis victoriam innuere autumat. Cui opinioni plura minora ſimilium denariorum ſymbola fauere videntur. Similes enim in theſauro Morelliano vulgati denarii modo tridentem, modo nauis proram, modo ſpicam, modo alios typos minores exhibent; quae omnia facili negotio ad naualem eandem de Carthaginienſibus victoriam referri poſſunt. Eoque reſpectu videri poſſet ipſe Neptunus hic a Roma, cui tam propitius fuerat, coronari, inuidente ab altera parte Iunone hanc illi felicitatem, vt Poenorum fautrice; Neptuni vero dextram haſta, laeuam tridens, exemto ligneo haſtili, ornaret. Verum hanc ſententiam haud amplectendam eſſe cel. HAVERCAMPVS ſuadet, quoniam Neptuno hoc ſimulacrum non conuenit, qui barbatus ſemper effingi ſolet, quum hoc ſit iuuenile & ſine barba. Symbola vero illa ſiue typos minores, ad varias officinas pertinere docet idem vir eruditiſſimus. VAILLANTIVS depingi in hoc numo feſtum, quod Liberalia appellabant Romani autumat. Figuram enim illam intermediam Bacchum eſſe exiſtimat, aridi cinamomi fruticem laeua tenentem, qui, ex cl. viri ſententia, corona hederacea coronatur a Roma adſtante. Fuſius haec perſequitur in *famil. Rom. tom.* I. p. 336 ſqq. Praeclare cel. HAVERCAMPVS hanc VALENTIS emendauit ſententiam, aliamque paullo immutatam adiecit expicationem. Neceſſe eſt, inter alia inquit, vt ſtatuamus a Cn. Blaſione quaeſtura aliqua iam ante cuſos hoſce denarios functo, & quidem in honorem Liberi Patris, & victoriarum eiuſdem atque expeditionum teſtimonium, denarium hunc ſignatum eſſe. Hic vero deus dextra quidem thyrſum tenet, ſibi proprium

prium ornamentum, laeua vero ſimpliciter ramum, ſymbolum pacis, quae victoriarum finis eſſe ſolet. Ex duabus autem mulieribus, quae a dextro & ſiniſtro latere Bacchi obſeruantur, altera cultu ſuo bellico proditur Minerua eſſe, altera Iunonem exprimere mihi videtur, quae pro nouercali odio, quo Semeles proſequebatur prolem, gradum ab illo retorquet, haſtam (diuinitatis ſymbolum) dextra tenens. Bacchus interim, prudentia & virtute praeditus, victoriarum & famae gaudet claritudine, ideoque a Minerua coronari ſingitur; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 113.

212. Caput Martis galeatum, haſta ad humeros exſtante.
CN*eus* LENTVL*us*. Victoria in citis bigis, d. corollam porrigit.

Elegantioris fabricae numus. Conueniunt in eo antiquarii, hunc denarium eſſe referendum ad Cneum Cornelium Lentulum, qui ex Hiſpania citeriore ouans anno IↃLVII vrbem ingreſſus eſt, aurique & argenti rudis & ſignati maximam prae ſe tulit copiam. De qua *Liuius: Lentulus*, inquit, *tulit argenti viginti millia pondo, ſignati denarios triginta quatuor millia, & quingentos quinquaginta. Mars*, qui pro ſolito Romae capite in aduerſa cernitur, Romuli pater credebatur, & ſic vrbis conditor & imperii parens, quem magna religione, vario ritu & pompa colebant Romani: nihil igitur mirum ſi Cn. Lentulus in denariis bigatis eum expreſſerit. In Hiſpaniis hunc & huic ſimiles cuſos eſſe HAVERCAMPO videtur, rudioris enim, ait, ſunt fabricae & vox ROMA abeſt, quae ſolet indicare Romae cuſos eſſe. Quum autem in bene multis Romae ſignatis denariis, eodem HAVERCAMPO teſte, vrbis nomen haud expreſſum ſit, numus inſuper iſte SCHVLZIANVS elegantia pleriſque, in quibus vox ROMA legitur, ſuo iure palmam praeripiat: hinc ex noſtra quidem ſententia haud in Hiſpania verum Romae ſignatus eſt iſte denarius; vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 84. VAILL. *lib. laud. tom.* I. pag. 324. HAVERC. *in comment. ad theſ. Morell.* pag. 114.

213. *Genius Populi Romani.* Caput Genii populi Romani diadematum, pone sceptrum, sub mento littera A.

CNEUS LENTULUS *Quaestor* EX *senatus consulto.* Sceptrum, cui laurea corona iuncta est, globus & temo.

Subaeratus, asper. Diuersas eruditi in huius numi interpretatione fouent sententias. *Sebastianus* ERIZZO in *explic. num. antiqu.* pag. 160. denarii huius mentionem faciens refert ad A.V.C. IↃCLVI, & consulatum Cnei Cornelii Lentuli atque P. Licinii Crassi; quorum consulum meminit *Plinius* lib. XXX. Hanc nullo modo procedere posse opinionem ex addito quaesturae titulo patet. Vnde *Fulu.* VRSINVS ad quaesturam Cn. Lentuli istius refert, qui consul postea fuit A.V. IↃCVII, vel antiquioris alicuius; vid. VRSINVS *edit. Patin.* pag. 85. Cl. VAILLANTIVS hunc denarium potius ad eundem Cn. Cornelium Lentulum reuocat, qui, ex clariss. viri sententia, A.V.C. IↃCCIIII. Romae quaesturam vrbanam gessit; cui sententiae, quod attinet ad Lentuli istius personam, ipse cel. HAVERCAMPVS subscribit, probe interim obseruat, quaesturam illam, & tempus cusi denarii ad annum IↃCLXXXXIIII. reuocanda esse. Omnium rerum gignendarum vim conferebat *Genio* superstitiosa antiquitas. Populusque Romanus Genium suum pro deo coluit, ipsique templum in vrbe exstruxit, cuius *Dio* meminit *lib.* XXXXVII. & L. Per hunc Genium iurare solebant: vnde *Horat.* ep. VII. lib. I.

Quod te per Genium, dextramque, piosque Penates
Obsecro, & obtestor.

Sceptrum a parte capitis, &, addita laurea corona, repetitum ab altera parte, potentiam & imperium populi Romani denotat terra marique, additis earum rerum symbolis *globo* & *temone;* vid. VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 325. sq. conf. *thes. Morell.* tom. II. pag. 115.

214. MARCELLINVS. Caput Claudii Marcelli consulis, pone illud est signum Siciliae, tria crura.

MARCELLVS C*onsul* QVINQ*uies*. Claudius Marcellus ſpolia opima Iouis Feretrii templo inferens.

Aſper, quem ſolertis chalcographi peritia dexteritateque eleganter & nitide aeri impreſſum tab. III. *num.* VII. *ſiſtimus.* Quamuis iſte denarius iam num. 195. in Claudia gente locum ſuum ob Marcellum adeptus ſit; repetitur tamen & hic propter Marcellinum, qui hunc in gentis ſuae honorem ſignauit denarium. Cn. Marcellinus quum eſſet ex gente Claudia, adoptione tranſiit in gentem Corneliam, at ob Marcelli familiam & nomen priſtinum, producto eodem nomine Marcellinus dictus eſt, ex more Romanis vſitato, vnde Octauius poſt adoptionem Octauianus, Aemilius Aemilianus dicti ſunt; vid. eruditiſſimi pariter ac feliciſſimi pecuniae antiquae omniſque litteraturae cultioris interpretis, *Sigb.* HAVERCAMPI *comment.* in *theſ. Morellianum* pag. 120.

215. Meduſae caput alatum inter tria crura cum totidem ſpicis. LENT*ulus* MAR*cellus* C*onsules*. Statua coloſſea Iouis Liberatoris, d. fulmen, l. aquilam tenentis, ſub aquila falx meſſoria.

Conſuetum Siciliae ſymbolum in antica expreſſum, in inſula ſignatum hunc eſſe denarium denotat. *Tria crura* tria eius inſulae denotant promontoria, Pelorum, Pachynum & Lilybaeum; non vero recte extenduntur crura pedeſque, ſed eleuatum genu promontoriorum altitudinem demonſtrat, proiecti pedes, eadem proiicere ſeſe in mare longius atque extendere docent promontoria. *Meduſae caput*, quod in medio trium crurum eſt, reſpicit originem Corinthiacam, ad quam ſignificandam ſaepius Pegaſus in Syracuſanorum numis cernitur, nonnunquam tamen Meduſae etiam caput, vt apud PARVTAM tab. XXXV. num. 27. Corinthiacam inde notat originem, quod fabulae dicant ex cruore Meduſae, quum a Perſeo ablatum virginis eſt caput, Pegaſum equum fuiſſe natum. Libenter illud in moneta ſua receperunt Syracuſani, atque in meditullio trium crurum poſuerunt, prudentia & conſilio res

omnes

omnes geri debere docentes. *Tres spicae* summam omnis Siciliae denotant fertilitatem, quam *messoria* itidem *falx* in altera denarii pagina exprimit; ex *thes. Morell.* tom. II. pag. 121. Falcem hanc, quam exhibet elegans iste denarius, expresserunt VRSINVS, PATINVS & VAILLANTIVS. Haud exstitisse falcem in denario, quem depinxit MORELLIVS, adeoque eandem in typis Morellianis non temere omissam esse cel. HAVERCAMPVS testatur: neque enim, loc. cit. inquit, negligentia omissam fuisse falcem meus testatur, a quo itidem falcis figura abest. Cum itaque nec MORELLIVS, nec cel. HAVERCAMPVS vnquam huic SCHVLZIANO per omnia similem viderint numum; facili negotio conficitur, nostrum *rarioribus* familiarum Rom. denariis adnumerandum esse. *Iouis Eleutherii* siue *Liberatoris* ab altera parte *statua* cernitur, cuius caput barbatum est, qui Olympius Syracusis, vbi cusus est denarius, appellabatur; huic Hiero II. Siciliae rex magnificum olim exstruxit templum. *Fulmen* Ioui contra gigantes hostes suos, in consulum gratiam exhibetur, quasi eo esset contra Caesarem auxiliaturus: *aquila* additur, quae illi deo ministraret; vid. VAILL. in *fam. Rom. numis* tom. I. pag. 331. conf. *Fulu.* VRSINVS *edit. Rom.* pag. 75.

216. RVFVS CO*nsul.* Q*uintus* POM*peius* RVF*i* F*ilius*. Caput nudum Pompeii Rufi consulis.

SVLLA CO*nsul.* Caput L. Cornelii Sullae consulis & dictatoris nudum.

Altera huius denarii pagina ad Pompeiam gentem pertinet, altera, quae Sullae consulis & dictatoris effigiem sistit, hanc respicit familiam; hinc auersam saltim hoc loco exponemus, de Pompeio Rufo, & tempore signati numi infra suo loco agetur fusius. Q. Pompeius Rufus auorum in consulatu A. V. IↃCLXV. collegarum vultus hoc denario exhibet. L. Corn. Sullae consulis & dictatoris, vxores iuxta *Plutarchum* quinque fuerunt, Ilia, adolescenti adhuc iuncta, dein Aelia, Coelia, Caecilia Metella, & postremo Valeria, Messalae filia, oratoris Hortensii soror. Reliquit liberos Faustum &

Fauſtam vno partu a Metella editos; & filiam quam poſt mortem eius Valeria peperit & Poſthumam adpellauit. Fauſta Q. Pompeio Rufo nupta primum fuit, ex quo Rufum illum ſuſtulit, qui hunc ſignauit denarium, deinde C. Memmio, & tandem T. Annio Miloni, pro quo *Cicero* dixit. Impudica fuit femina, plures enim ſimul moechos habebat; vnde lepidum Fauſti fratris iocum refert *Macrobius Saturnal.* II, 2. *Fauſtus, Sullae filius, cum ſoror eius eodem tempore duos moechos haberet, Fuluium Fullonis filium & Pompeium Maculam: Miror (inquit) ſororem meam habere maculam, quum fullonem habeat.* Vxorem Fauſtus Sulla habuit Pompeii Magni filiam Pompeiam. Ex Fauſto Sulla & Pompeia nata fuit Cornelia, nupta Aemilio, ex quibus nati, vir virtute & meritis illuſtris, Manius Aemilius Lepidus, & Aemilia Lepida, Auguſti Caeſaris nurus. De Sulla dictatore diligenter omnia ſcripſit *Plutarchus*, apud quem hominis iracundi & crudelis, atque potentiſſimi & feliciſſimi in re publica dominatoris, occurrit vita. Iungitur vero illi in denarii altera parte Quintus Pompeius Rufus, qui conſul fuit vna cum Sulla & in ipſo magiſtratu occiſus eſt fraude Pompeii Strabonis, cui ſucceſſor miſſus erat. Filius, qui Fauſtam Sullae filiam vxorem habuit, pariter periit alio tempore, vi illata a Sulpicianis ſatellitibus; ex *theſ. Morelliani commentario* pag. 122. conf. *Fulu.* VRSINI *fam. Rom.* pag. 74. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 356. *Iac.* OISELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 552.

217. FAVSTVS. Caput Dianae cum luna bicorni in fronte, pone lituus.

FELIX. Sullae togato in ſubſtructione ſedenti Bocchus Maurus, imberbis adhuc, ingeniculatus, oliuae ramum porrigit, ab altera parte in alterum genu prolapſus Iugurtha, bene barbatus & paludamento indutus, manus poſt terga reuinctas habet, vt in triumpho ducendus.

Subaeratus elegans, cuius iuſtam atque curatius aeri inciſam tab. IIII.

IIII. num. 1. deprebendes imaginem. Non diuites genio ſuo indulgentes, ſed viri iuſti & aequi hunc numum quatuor vncialibus valere iudicant. Dianae ſimulacrum, quod aduerſam numi paginam occupat, in Sicilia hunc cuſum eſſe docet; vid. ea, quae antea ad *num.* 198. de eadem dea prolata ſunt. *Lituum* ad Fauſti auguratum ſpectare eruditi exiſtimant. Huius Fauſti nomen in antica, aeque vt patris Sullae cognomen in poſtica exprimitur. *Io.* HARDVINI ſiniſtram, quam in *Plinio* ſuo tom. I. pag. 398. exhibet, huius numi interpretationem, cel. HAVERCAMPVS abſurdam prorſus appellat ſententiam. Idque haud iniuria. Excitato enim loco. *Hinc* FAVSTVS, HARDVINVS inquit, *inde* FEELIX *hanc habet ſententiam: Fecit Africam Vectigalem Senatui Ter Victor Sulla Feelix*, an ergo, his HAVERCAMPVS addit, Africam vectigalem etiam ſenatui fecerunt conſules Lentulus & Marcellus? eodem enim iure, more HARDVINI, legere poſſum ſupra num. VIII. tab. III. *Fecerunt Africam Vectigalem Senatui Ter Victores Summi* LENT*ulus* MARC*ellus* CO*nsules*. Et hic & ibi idem Fauſtus intelligitur. FEELIX vero, mox ſubiungit vir clariſſimus, non ſcribitur per geminum E. ad maiorem emphaſin, ſiue ad diſtinguendum a nomine adiectiuo cognomen, vt dicit ibidem HARDVINVS, ſed ex culpa monetarii; in denariis enim VRSINI, VAILLANTII, MORELLII, BEGERI & meis exſtat FELIX, pro quo in eo quem vidit HARDVINVS ſcriptura FEELIX incuriam monetarii oſtendit. Hactenus cel. HAVERCAMPVS. *Felicis* cognomen ab hoſtibus expreſſum, ab adulatoribus laudatum, cupide recepit Sulla, videbatur enim inuidiam, quae virtutis comes eſſe ſolet, cognomine illo amoliri poſſe, vt praeclare ex *Plutarcho* cel. HAVERC. docet; vid. *Plutarch. in vita Sullae* pag. 452. *Sulla autem multis - - - - diuinitus oblatam agnoſcit.* Conf. tom. II. pag. 318. *de fortuna Romanorum. Sulla quoque inuidiam - - - - - ſe ipſis proficiſci exiſtimant.* Ob hanc eandem felicitatem ſe tanquam Veneris iactauit nepotulum; cui videlicet nunquam in alea atque luſu humanae vitae damnoſi canes, ſed felix ſemper & lucroſa cecidiſſet Venus; ſic enim iactus feli-

felicissimus ab aleatoribus appellabatur. Ex *thes. Morell.* tom. II. pag. 124. sq. Superest vt illustrem auersae typum ex eruditorum scriptis explicemus. Breuibus VRSINVS hanc interpretatur paginam, cuius typum ex Sullae annulo a Fausto desumtum esse aiunt. In altera denarii parte, inquit, Iugurtha, qui vinctis post tergum manibus a Boccho rege Sullae in solio sedenti traditur, signatus est; quam quidem traditionem in annulo Sullam expressisse scribit *Plutarchus* in *eius vita*, & in *Mario*, caetera. Metuendus itaque ille populi Romani hostis Iugurtha, vinctus & a Boccho socero proditus in postica parte exprimitur, Bocchus vero ipse supplex pacem petit & populi Romani adorat potentiam. *Sallustius in libro de bello Iugurthino*, *Plutarchus*, *Florus*, & alii, hanc narrant historiam; vid. VAILL. *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 337. conf. OISELII *thes. antiqu. numism.* pag. 227. sq. Auersae denarii partis inscriptio docet, Romanos vocabulum *felix* simplici E scripsisse. Vnde perperam nonnulli diphthongum in hac voce adhibent; vid. cel. *Io. Gottl.* HEINECCII *stili cultioris fundamenta*, & ill. *Christoph.* CELLARII *orthograph.*

218. *Lucius* MANLI*us* PRO *Quaestor*. Romae galea alata ornatum caput.

Lucius SVLLA IMP*erator*. Sulla, stans in quadrigis triumphalibus, d. caduceum gerit, l. tenet equorum habenas, aduolat superne victoria cum corolla.

Eleganter signatus, asper, quem vnciali numo periti coemere solent. Quamuis numi constanter nomen *Sullae* per V. habeant; tamen rectius scribi Sylla per Y. asserit VAILLANTIVS. Hi enim, inquit, antequam Syllae dicerentur, Rufi appellabantur; illud vero cognomen inditum P. Cornelio Rufo decemuiro, quod illo suadente, bello punico secundo, ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, vnde *Sibylla* dictus est, deinde corrupto nomine *Sylla*, caetera. *Isaacus* CASAVBONVS in *commentario ad Suet.* Non praetermittam, inquit, antiquitatis studiosos monere nomen

dicta-

dictatoris huius *Sylla* per Y. ſemper ſcribi in Memmiano ſiue Turonenſi optimae notae codice: quam ſcripturam, *Ciceronis* praeſertim auctoritate expreſſa confirmatam, aduerſus Verrium Flaccum & Faſtos Capitolinos iure defendit *Aldus Manutius*, vir eruditiſſimus, in *orthographia ſua;* vid. *Suetonius in vita Iul. Caeſ.* cap. I. edit. GRAEVII pag. 3. Rectiuſne cum VALENTE, CASAVBONO, aliiſque, *Syllae* an *Sulla* ſcribatur, diſquirit BERNEGGERVS ad *Suet. Caeſ. diſp.* I. *coroll.* I. Ampliſſimum *Sullanum* de Aſia & rege Mithridate *triumphum* hic cernis, cuius ad haec vſque tempora, elegantiſſimum iſtud priſcae antiquitatis monumentum conſeruauit memoriam. Triumphum in vita Sullae deſcribit *Plutarchus;* & quoniam ipſe per dictaturam ſuam videri volebat pacem populo Romano reddidiſſe, *caduceum* manu tenet, non ſcipionem eburneum. De L. Manlio eius proquaeſtore infra in gente Manlia agendum erit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 127.

219. C*aius* CAESAR III. VIR R*ei* P*ublicae* C*onſtituendae.* Caput nudum adoleſcentis Caeſaris.

BALBVS PRO PR*aetore.* Claua Herculis erecta.

Subaeratus, qui vero argenteam amiſit laminam; eius pretium conſtituit MORELLIVS *ſex thalerorum.* L. Balbum L. F. ex Gadibus Hiſpaniae vrbe oriundum, cum fratre Publio, in bello Sertoriano ciuitate donauit Pompeius Magnus. Bello ciuili inter Caeſarem & Pompeium armis abſtinuit. Poſt varios honores tandem anno IↃCCXIII. cum P. Canidio Craſſo conſul ſuffectus fuit. Hic primus extra Italiam natus conſulatum adeptus eſt, vnde illud inter felicitatis exempla enumerat *Plinius* VII. 43. *Fuit & Balbus Cornelius maior conſul, ſed accuſatus, atque de iure virgarum in eum, iudicum in conſilium miſſus; primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum vſus illo honore, quem maiores Latio quoque negauerunt. Maiorem* appellat, propter nepotem cognominem ex fratre Publio, item L. Cornelium dictum, & qui pariter ad ſummos peruenit honores. Peregrinitatis vero accuſatus, a Pompeio,

peio, Craſſo, & Tullio defendi meruit; extat hinc pro eo praeclara *Ciceronis* oratio, qua illius defendit ciuitatem. *Herculis clauam* ad indicandam ſuam originem expreſſit. Gadibus enim Hercules Tyrius inſigni religione colebatur; vide, quae de Gadibus inſula, & templo in honorem Herculis ibi quondam exſtructo narrat *Strabo* lib. III. Cudit vero denarium hunc pro praetore in prouinciam profectus A. V. IↃCCXII; vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Rom.* pag. 77. VAILL. tom. I. pag. 363. HAVERCAMPVS *in comment. ad theſ. Morell.* pag. 137.

COSCONIA.

220. L*ucius* COSCO*nius* M*arci* F*ilius*. Caput Romae galeatum cum denarii nota.

L*ucius* LIC*inius*. CN*eus* DOM*itius*. Mars in citis bigis, d. haſtam vibrans, l. parmam tenet & lituum militarem.

Vnius thaleri pretium huic denario conſtituit ipſe peritiſſimus MORELLIVS. Vtrum Coſconia gens patricia an plebeia fuerit VRSINO incertum eſt: cel. HAVERCAMPVS eandem *plebeiam* fuiſſe autumat. Occurrit numus iſte & in Domitia & Licinia gente. Fuit L. Coſconius triumuir monetalis ſine dubio ſub cenſura Cn. Domitii Ahenobarbi & L. Licinii Craſſi, quorum nomina ſub bigis ſcribuntur, quum nomen triumuiri monetalis ad Romae caput in aduerſa inueniatur. Ahenobarbus hic atauus Neronis imperatoris fuit, de quo Craſſus, vir facetus & mire promtus, dixiſſe fertur: *Non eſſe mirandum, quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, & cor plumbeum eſſet*, vt in *vita Neronis* cap. II. p. m. 524. teſtatur *Suetonius*. Cenſuram hi non ſine iurgiis & rixis plurimis geſſerunt, vtpote ingenio admodum diſpares. Bonas tamen res multas ſanxerunt, & circa pecuniam quoque aliquid ſtatuiſſe videntur, vnde nomen eorum in denariis notatum legitur. Cenſuram vna inierunt A.V.C. IↃCLXI. atque per quatuor annos geſſerunt, vnde plures triumuiri monetales eorum ſimul ſignarunt nomina. L. Coſconium hunc M. Coſconii filium facit HAVERCAMPVS, illius ſcil.

ſcil. qui A.V. IↃCXVIII. praetor in Macedoniam miſſus, proſpere in Illyrico cum Scordiſcis, Thraciae populis, pugnauit, vt *Liuii epitome* docet lib. LIIII. Ex *theſ. Morell.* tom. II. pag. 144. conf. VAILL. & *Fulu.* VRSINVS in hac gente.

CREPVSIA.

221. L*ucius* CENSORIN*us*. Caput Iunonis Monetae comtum & velatum.

C*aius* LIMETAN*us*. P*ublius* CREPVSI*us*. Dea eadem vtraque manu tenens habenas, celeres agit bigas, deſuper ⅠXVI.

Has numerales auerſae notas haud obſeruarunt eruditi. A vulgatis igitur paſſim laudatorum antiquariorum numis noſtrum eſſe diuerſum coniicimus. Quum ad tres diuerſas familias denarius iſte pertineat; apparet eiuſdem minimum vnius Ioachimici eſſe pretium. Crepuſiae gentis nuſquam in hiſtoriis fieri mentionem iam pridem obſeruauit *Fuluius;* vnde eam *haud patriciam* fuiſſe antiquarii opinantur. Obſcurae huius familiae nomen a crepuſculo, ſeu luce obſcuriore deriuatum videtur. Hoſce tres, quorum nomina numus exhibet, ſimul triumuiros fuiſſe monetales eruditi iudicant; collegarum familiae, Marcia, ex qua Cenſorinus, Mamilia, ex qua Limetanus, notiores quam Crepuſia haec, ex qua Publius monetalis, fuerunt. Quum hic denarius, vbi nulla res illuſtrior ſuppetebat, ſolum triumuiris monetalibus conueniat; Iunonem Moneatam ab vtraque parte depingi cum HAVERCAMPO credimus. VAILLANTIVS Libertatis deae potius, quam Iunonis Monetae, typum hic exhiberi auguratur, quod, ſicut in Caſſiae gentis denario, quem ſupra num. 191. exhibuimus, pileum altera manu figura muliebris in bigis teneat, ita hic quoque pileum ſe vidiſſe in numo crediderit. Verum ſecus eſt tum in VRSINI, MORELLII aliorumque typis, tum in eleganti denario, quem ex inſtructiſſimo celeberrimi quondam Antiquarii κειμηλιαρχείῳ deſumtum nunc deſcribimus; vid. VAILL. in *famil. Rom. num.* vol. I. pag.

 374.

374. conf. HAVERCAMPVS *in elegantissimo suo ad thes. Morell. comment.* pag. 146.

222. Caput Veiouis laureatum inter fulmen & sceptrum, pone litt. K.

P*ublius* CREPVSI*us*. Eques dextra vibrat iaculum; desuper notae numerales CCCCI.

VRSINVS statuam hanc equestrem in alicuius Crepusiorum honorem fuisse erectam autumat, cuius memoriam renouare voluerit P. Crepusius iste, qui idem est cum praecedente; vid. *eiusd. faml. Rom.* pag. 81. sq. Eadem *Fuluii* opinione ducitur etiam cl. VAILLANTIVS, & hosce denarios ab eodem in quaestura cusos fuisse credit, non quum triumuir monetalis esset, quoniam collegarum nomina non exprimuntur; vid. VAILL. *loc. cit.* Iupiter Auxur, id est, sine nouacula, seu imberbis in Campania cultus, ad indicandam forte Crepusiorum originem priorem numi paginam occupat. At vero, cel. HAVERCAMPVS l. c. inquit, sicuti Campanum proprie numen fuit Iupiter Auxur, ita Crepusium credo ex Campanis originem traxisse, atque ab altera parte numen patrium & religionem monstrasse, ab altera vero virtutem bellicam antiquorum Campanorum praedicare voluisse. Fuere vero Campani, mox subiungit, equites insignes, quod vel vnus ille *Liuii* locus demonstrat, vbi docet ad ferociam eorum (dum Capua obsidebatur) comprimendam, primum excogitatum a Romanis fuisse, vt velites in legionibus essent. *Liu.* lib. XXVI. cap. IIII. *Ceterum in multis certaminibus - - - - - ei apud imperatorem fuisse.*

CVRIATIA.

223. TRIGE*minus*. Caput Romae solita galea ornatum.

C*aius* CVR*iatius*. ROMA. Figura muliebris in citis quadrigis, d. equorum tenet habenas, l. scipionem eburneum cum aquila insistente; adstat a tergo Victoria, quae eandem coronat.

Curia-

Curiatiam gentem fuisse *plebeiam* patet ex C. Curiatio, impudentissimo illo tribuno plebis, qui A.V. IↃCXV. Brutum & P. Scipionem Nasicam consules in vincula duci iusserat. In postico huius numi typo VRSINVS, PATINVS, VAILLANTIVS, aliique figurae in quadrigis facem tribuunt. MORELLIVS distincte scipionem pinxit, in cuius summo aquila cernitur: *Io.* HARDVINVS itidem scipionem & in eius apice aquilam Romanam agnoscit, quamuis in denarii delineatione eius pictor facem exhibuerit. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS: in hac diuersitate, inquit, quum meum quoque consuluissem museum, detritiorem in summa parte denarium inueni, quam vt dignosci a face altera figura possit. Etsi autem SCHVLZIANVS iste pariter paullulum detritus sit; aquilam tamen a flammula nudo oculo, tanto autem certius armato in hoc denario probe distingues. Credimus itaque Romam victricem deae habitu in eo expressam esse; Diana enim Lucifera, quam depingi putat VAILLANTIVS, passim in bigis non in quadrigis cernitur. Curiatiae gentis familia fuit Trigeminorum, ex qua ortus est C. Curiatius is, qui hunc signauit denarium. Aberrantes VAILLANTII, & ipsius *Io.* HARDVINI de hoc numo coniecturas haud leuiter perstrinxit cel. HAVERCAMPVS; de qua eruditissimorum virorum lite consulendi sunt doctissimi in *thesaurum Morellianum commentarii.*

CVRTIA.

224. Q*uintus* CVRT*ius.* Caput Romae galeat. cum denarii nota. M*arcus* SILA*nus.* ROMA. Iupiter in citis quadrigis, d. fulmen, s. sceptrum & habenas, desuper elephanti caput cum proboscide.

Elephantinum caput nec in PATINI, *nec* VAILLANTII, *nec ipsius denique* MORELLII *typis deprehendes. Cel. Iul. Carol.* SCHLAEGERVS *in simili Curtiae gentis denario primum obseruauit lituum;* vid. *numophylac. Burckhardian. part* I. *pag.* 34. Quinti Curtii illius, cuius numi ex hac gente supersunt, tribunatus plebis *plebeiam* hanc fuisse gentem docet. Duo hic tantum triumuiri monetales memo-

rantur, ſicuti tres in plerisque. Experientia enim docet in numis ex ternario illo numero modo duos, aliquando vnum, ſaepe tres ſimul inſcribi; conf. ea, quibus ſupra num. 143. Aeliae gentis numum expoſuimus. De *Romae capite* & *Ioue in quadrigis*, vnde *quadrigati* nomen acceperunt, ſicut *bigati* a bigis, ſupra ad num. 152. 174. & alibi paſſim egimus, conf. num. 149. 150. *Caput elephanti*, Metellorum inſigne, indicat forte, tertium triumuirorum monetalium ex Caecilia gente fuiſſe.

D I D I A.

225. CONCORDIA. P*ublius* FONTEIVS CAPITO III. VIR. Caput deae Concordiae velatum.

VIL*la* PVB*lica*. T*itus* DIDI*us* IMP*erator* Aedificium villae publicae duplici columnarum ordine ſuffultum.

Integerrimus. Propter legem ſumtuariam, a Didio (tribuno, vt creditur plebis) latam, Didia gens *plebeia* eruditis videtur. Geſſit haec gens & alios in re publica honores atque ad conſulatum peruenit. *Villa publica* amplum & inſigne quondam fuit aedificium; cuius mentionem facit *Liuius* IIII. 22. *Eo anno C. Furius Pacilus, & M Geganius Macerenus cenſores villam publicam in Campo Martio probauerunt.* Hoſtium legati, forſan & alii, quos tutum non aeſtimabant in vrbem intromittere, audiebantur ibi atque excipiebantur. *Liu* XXXIII. 9. *Macedones deducti extra vrbem in villam publicam, ibique illis locus & lautia praebita.* Neceſſe vero erat, vt nonnunquam aedificaretur, tempore prolapſa. Hinc VAILLANTIVS: Et ſi vera noſtra eſt coniectura, inquit, de manubiis Celtiberorum reſtaurata eſt labens villa publica, in cuius memoriam P. Fonteius Capito triumuir hunc denarium cum nomine T. Didii, adiuncto imperatoris titulo, percuſſit, vt eius victoriis villam publicam fuiſſe refectam denotaret. *Ciceroni* poſtea idem munus obuenit, vt patet ex *epiſt. ad Attic*. IIII. 16. *edit. Gronou*. pag 896. *Efficiemus rem glorioſiſſimam, - - - - - - laboramus res Romanas? Concordiae* velatum caput, deae Concordiae ſacram fuiſſe villam publicam

blicam denotat; aptum enim numen eſt rei in vſum publicum exſtructae. *Imperatoris titulum* T. Didio *Salluſtius* apud *Gellium* lib. II. cap. XXVII. p. m. 117. attribuit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 153. VAILL. *famil. Rom.* tom. I. pag. 385. *Fulu.* VRSIN. *famil. Rom.* pag. 85.

DOMITIA.

126. L*ucius* COSCO*nius* M*arci* F*ilius*. Caput Romae galeatum cum denarii nota.

L. LIC*inius* CN*eus* DOM*itius*. Vir nudus in bigis, d. haſtam vibrans, l. parmam tenet & baculum, qui in caput aſininum deſinit.

Servatus. Domitia gens in duas quondam diuidebatur familias, quarum altera Caluinorum, altera Ahenobarborum cognomine vſa fuit. *Fulu.* VRSINO & cl. VAILLANTIO *plebeia* dicitur: cel. HAVERCAMPVS Ahenobarbos inter patricios referendos eſſe ex *Suetonio* docet. Verba, quae in ſuas partes vocat vir doctiſſimus, ſunt in *Neronis vita* cap. I. p. m. 523. *Ex gente Domitia duae familiae - - - - - - tum Lucios, tum Cneos.* Domitium hunc inter maiores Neronis memorandum, atauum fuiſſe imperatoris iſtius, ſupra in Coſconia gente diximus. Geſta huius Domitii non admodum probauit populus Romanus teſte *Val. Maxim.* VIIII. 3. p. m. 332. *Cn. autem Domitium ſummi generis - - - - - - - cuſtodiae cauſſa relegauit.* Sub cenſura, quam L. Licinius Craſſus & Cn. Domitius quatuor geſſerunt annis, plures & varii fuerunt triumuiri monetales, ex gente Aurelia, Aemilia, Poblicia, Pomponia, Porcia, & L. Coſconius iſte ex familia Coſconia, propterea Coſconii huius nomen, aeque vt reliquorum ſub hac cenſura triumuirorum monetalium, in aduerſa Romae galeatae ſimulacro iungitur. A. V. C. IↃCLXII. Lucius Valerius Flaccus proſpere contra Hiſpanos pugnauit, huius victoriae monumentum monetae ſuae impreſſerunt eiuſdem anni triumuiri monetales; initio vero anni proximi, tres noui triumuiri monetales, eundem typum, vt rei publicae glo-

riosum repetierunt. Typum hunc referentes numos omnes serratos esse obseruauit HAVERCAMPVS; vid. *eiusd. comment. in thes. Morell.* pag. 42. 153. & passim.

227. ROMA. Caput Romae galeatum cum denarii nota.
CN*eus* DOMIT*ius*. Iupiter in lentis quadrigis, d. ramum gerens, l. fulmen & equorum habenas.

Vtrum in auersa huius numi pagina triumphus Cn. Domitii Ahenobarbi, qui A.V. IↃCCXXI. proconsule ex Hispania triumphauit, an illius Cn. Domitii, qui anno IↃCXXXIII. de Gallis Auernis triumphauit, expressus sit, *Fulu.* VRSINVS dubitat. GOLTZIVS prioris Domitii triumphum hic depingi autumat. Quoniam autem ille Domitius, vt praeclare HAVERCAMPVS obseruat, inscribitur cum cognomine familiae suae Ahenobarbus; hinc rectius a VAILLANTIO ad antiquiorem Domitium, qui de Auernis triumphauit & Gallorum regem Bitultum anno IↃCXXXIII. ante currum duxit, denarius iste refertur. In eo autem, iudice pererudito HAVERCAMPO, errat VAILLANTIVS, quod GOLTZII picturam sequutus imperatorem togatum in curru expresserit, scipionem consularem laeua tenentem & palmae ramum dextra. Id contra denariorum fidem esse asserit vir doctissimus. Minus recte depingi scipionem apud VAILLANTIVM facile largior. Quoad oram autem noster adeo detritus est, vt vix rami vestigia inuenias, multo minus palmam hic ab oleae ramo dignoscas: hinc ego nec illud HAVERCAMPO assentiri valeo, nec certe negare audeo; vid. *thes. Morell. tom.* II. pag. 155. VAILL. in *fam. Rom.* tom. I. pag. 389. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 101.

D V R M I A.

228. CAESAR AVGVSTVS. Caput Aug. quernea corona insigne.
M*arcus* DVRMIVS III. VIR. Pagurus papilionem volantem acetabulis comprehendens.

Duodecim thalerorum hunc MORELLIVS *aestimat; quem tab.* IIII.
num.

num. II. *exhibemus conſpiciendum.* Neque gentis huius nouae, quae procul dubio ſub Auguſto Romae inclaruit, neque huius M. Durmii, qui triumuir monetae cudendae hunc ſignauit denarium, vlla apud ſcriptores reperitur mentio. Ex ſupra dictis patet, Auguſtum aereae monetae cudendae facultatem ſenatui reliquiſſe, aureae vero & argenteae ſibi ſumſiſſe. Inde triumuiri monetales, qui in aereis leguntur numis, ad ſenatum ſpectant; qui vero exſtant in aureis atque argenteis, agnoſcuntur eſſe triumuiri monetales Caeſaris. Inter illos triumuiros monetales fuit M. Durmius. Celebre illud Auguſti dictum σπεῦδε βραδέως, *feſtina lente*, hoc adumbrari ſymbolo dudum eruditi obſeruarunt. *Corona* vero *quernea* hic Auguſti caput coronat propter ciues ſeruatos, cuius rei gratia infra in Gallia gente adparebit cum rei ipſius ſignificatione; vid. *Fulu.* VRSINVS *per* PATINVM *auctus* pag. 102. conf. *Io.* VAILLANTIVS in *famil. Rom. num.* tom. I. p. 401. ſqq. *Iac.* OISELIVS in *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 357.

229. *Marcus* DVRMIVS. Caput Honoris diadematum cum claua Herculis & exuuiis leonis circa humeros.

CAESAR AVGVSTVS SIGN*is* RECE*ptis*. Parthus genuflexus ſigna reddens.

Fuluius VRSINVS *&* *cl. Carolus* PATINVS *huius denarii prorſus nullam faciunt mentionem. Io.* VAILLANTII *&* *ipſius* MORELLII *typi quoad auerſam noſtro ſunt ſimillimi, verum in illorum aduerſa neque Herculis clauam, neque leonis exuuias offendimus; perraris itaque hunc, quem tab.* IIII. *num.* III. *probe delineatum ſiſtimus, merito adnumerandum eſſe oppido conſtat. Honoris caput* ad reſtitutam ab Auguſto Honoris aedem reſpicere antiquarii exiſtimant. Ego vero ex hac *Herculis claua* & *leonis ſpoliis*, fortitudinis ſymbolis, paene colligerem, Durmium Auguſti honorem fortitudine adquiſitum aduerſae huius numi typo indicare ſtudiſſe. Memoriam Parthicae expeditionis celebrat auerſa denarii pagina; quum enim A. V. C. IↃCCXXXIIII. in Syriam veniſſet Auguſtus, rex Parthorum

thorum Phraates bellicum eius metuens adparatum, vltro & captiuos omnes, paucis demptis, qui se pudore moti interemerant, aut occulte remanserant, & *signa militaria* Crasso erepta restituit, hanc itaque historiam Durmius hoc typo memoriae prodidit; vid. *Dio* lib. LIIII. conf. VAILL. in *famil. Rom. num. loc. cit.* HAVERCAMPVS in *comment. ad thes. Morell.* pag. 34. & l. c.

EGNATVLEIA.

230\. *Caius* EGNATVLEI*us Cai* F*ilius* Q*uaestor.* Caput Apollinis laureatum.

ROMA. Victoria componens tropaeum, & clypeo eidem appenso inscribens, in area litt. Q.

Familiae Egnatuleiae *plebeiae*, vt eruditis videtur, mentionem faciunt *Tullius*, qui in *Philipp.* III. p. m. 672. L. Egnatuleium quaestorem & ducem quartae legionis plurimum collaudat, & *Spartianus in Seuero*, a quo imperatore occisum commemorat Egnatuleium Honoratum *cap.* XIII. quem inter complures nobiles senatores enumerat, quos occidit Seuerus. Alios ex lapidibus profert VRSINVS; vid. cel. HAVERCAMPVS in *prooemio ad hanc gentem.* Ad L. Egnatuleii patrem, qui Caesaris & postea Octauii partes sequutus est, de quo *Cicero* in *Philippicis orat.* III. *loc. cit.* & *cap. vltimo*, & *orat.* V. *cap.* 19. p. m. 679. meminit, quinarium hunc retulit VRSINVS. Litteram Q. quae in altera quinarii pagina cernitur, alii *Quaestorem*, alii *Quinarium* designare autumant. His autem cl. VAILLANTVS pag. 409. obiicit, quinarii notam esse V. ad indicandum quinque asses illum valere, prouti scilicet X. denarium denotare solet; vnde concludit ipse, litteram Q. notam esse monetarii. At vero, cel. HAVERCAMPVS addit, scire harum deliciarum studiosos velim, litteram Q. maxime propriam esse numis in Sicilia & quidem Syracusis signatis, in cuius vrbis innumeris argenteis numismatis, quae plerumque Pegasum exhibent, inueniatur. Indicat vero Corinthicam eius vrbis originem, & litterae K vicem obtinet; caetera. Quare auguror, paullo post subiungit

vir

vir doctissimus, quinarium hunc in Sicilia fuisse cusum a quaestore Caesaris Octauiani C. Egnatuleio, & quidem postquam vniuersa Sicilia expulsus esset Sextus Pompeius, reliqua. *Tropaeum* eadem quinarii parte conspicimus, in quo *clypeus* obseruatur, cui Victoria inscribit; & quid? nisi hunc vel similem titulum, quem eodem fere tempore, redeunte ex Sicilia Caesare, statuae eiusdem auratae pro rostris inscripsit senatus: *ὅτι τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατά τε γῆν καὶ θάλασσαν. Ob pacem post diuturna bella terra marique redditam.* In ipsa quinarii pictura VAILLANTIVM recte increpat eruditissimus *Christ. Sigism.* LIEBEVS, quod vitiosam potius eorum qui ante se idem fecerant, delineationem repetierit, quam ex fide ipsorum quinariorum, qui, ex cel. HAVERCAMPII sententia, sane vulgares & vbiuis obuii sunt, fecerit; quod in opere VAILLANTII de *numis consularibus* siue *familiarum* nouum non est, quum in eo omnia praecipitanter egerit, vt MORELLIVM, simile opus edere molientem, praeueniret. Velum enim a VAILLANTIO aliisque ponitur pro lituo militari, qui in omnibus eiusmodi quinariis ad alteram tropaei partem (sicut & in nostris integerrimis) exprimitur. Obscurior vero & detrita magis fuisse videtur in numis VRSINI atque PATINI, ita vt velum depingi crediderint. Haec inter alia ad hunc Egnatuleiae gentis quinarium HAVERCAMPVS commemorat; conf. *Christ. Sigism.* LIEBEI *Gotha numaria*, qui pag. 230. ex refertissimis gazis Fridericianis probe obseruata iusta magnitudine elegantissimo huic SCHVLZIANO simillimum exhibuit quinarium.

FABIA.

231. LABEO. ROMA. Caput Romae galeatum cum nota denarii. *Quintus* FABI*us*. Iupiter in quadrigis, d. fulmen tenens, l. sceptrum & equorum habenas, sub equis nauis prora cernitur.

Asper. Fabia gens, *Plutarcho* teste, a Fabio Herculis filio orta, *patricia* maiorum gentium fuit. Alii a fossis, quibus huius gentis

T prin-

principes feras capiebant, alii ex fabarum cultura, alii denique aliunde gentem hanc nomen ſortitam eſſe autumant. Haec gens in plurimas diſtincta familias, varia accepit cognomina. In nummis occurrunt Labeones, Maximi, Pictores, Adriani, Hiſpanienſes. *Iupiter in quadrigis* decurrentibus, vt ſupra paſſim monuimus, non triumphi, ſed denariorum quadrigatorum eſt ſymbolum. Q. Fabii Labeonis, cuius in hoc denario nomen occurrit, filius forte fuit is, quem laudat *Tullius in Bruto* cap. XX. p. m. 152, quemque ibi confert cum Ser. Fabio Pictore. Pater vero Q. Fabius, in hoc denario Labeo inſcriptus, A.V.C. IↃLXIIII. praetor claſſi praefectus fuit. Hinc apud *Liuium* lib. XXXVII. 50. p. m. 973. *Praetores deinde ſortiti ſunt Q. Fabius Labeo claſſem;* caetera. Sed vbi cum claſſe in Aſiam venit Fabius, pax iam Antiocho conceſſa erat, res tamen ab eo in Creta inſula atque alibi geſtas, & naualem inde triumphum eiuſdem commemorat *Liuius* in extremo libri XXXVII. p. m. 980. *Eodem fere tempore, & Cn. Manlius - - - - - eae ciuitates eſſent.* Egregie exiguum hunc *nauis prorae* typum, quem ſub anterioribus equorum pedibus cernis, ab HAVERCAMPO excitatus iſte *Liuii* locus illuſtrat. *Valer. Maximus* lib. VII. cap. III. 4. p. m. 249. commemorat. *Eundem, quum a rege Antiocho, quem bello ſuperauerat, ex foedere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, vt eum tota claſſe priuaret.* Haec tamen (vt itidem vir ſummus, ſaepius iam laudatus monet) in omnibus non conueniunt cum *Liuii* de eadem re verbis; vid. *Liu.* lib. XXXVIII. cap. 39. *edit. Gruter* pag. 1006. *Q. Fabio Labeoni, qui claſſi praeerat, ſcripſit, vt Patara extemplo proficiſceretur: quaeque ibi naues regiae eſſent concideret cremaretque. Profectus ab Epheſo quinquaginta tectas naues aut concidit, aut incendit.* Ex conditione enim foederis cap. ibid. 38. regi decem naues auctuariae relinqui debebant. Eundem hunc Labeonem Telmeſſum eadem expeditione (territis ſubito aduentu claſſis oppidanis) recepiſſe, eodem loco *Liuius* commemorat. Ex his omnibus patet, recte *nauis proram* in eleganti hoc denario poni; omnis enim

Q. Fa-

Q. Fabii Labeonis poteſtas naualis fuerat, & claſſem Antiochi adfligendo Romanas vires auxerat; vid. *theſ numiſmaticus Morell.* tom. II. pag. 165. ſq. conf. VAILL. *fam. Rom.* tom. I. pag. 414. ſq. *Fulu.* VRSINVS *per* PATIN. *auctus* pag. 107. Romae hunc denarium ſignatum eſſe adiecta vox ROMA denotat.

232. *Quintus* MAX*imus*. ROMA. Caput Romae galeatum cum denarii nota.

Copiae cornu, cum fulmine per tranſuerſum, coronae ex lauru, glandibus, & ſpicis contextae incluſum.

Integerrimus, quo eleganter doctus apud Cibinienſes in Tranſſiluania medicus, Io. Samuel HVEBER *cimelia* SCHVLZIANA *adauxit.* Denarium hunc Romae ſignatum eſſe conſtat. Quo vero anno, & a quonam eorum, quibus in Fabia gente Maximi cognomen & praenomen Quinti fuit, cuſus ſit, vix diuinare licebit. Hinc merito diffidunt ſibi eruditi, cui ex tot Fabiis hunc numum adſignent. *Fulu.* VRSINVS eundem Q. Fabio Maximo tribuit, qui A. V. IↃCCVIII cum C. Trebonio conſul in magiſtratu mortuus eſt, cuique Caninius Rebilus in vnum diem ſuffectus fuit, de quo *Cicero* apud *Macrobium: Vigilantem habemus*, inquit, *conſulem, qui toto ſuo conſulatu ſomnum non vidit;* vid. VRSINVS *per* PATIN. *auctus* pag. 108. VAILLANTIVS ad Q. Fabium Maximum, cognomine Eburneum ob candorem dictum, refert, cui puero in cunis fulmine natis icta fuit, vnde & pullus Iouis audiit. In cuius caſus memoriam ſub *figura fulminis* Iouem, a quo in cunis conſeruatus fuerat, hic éxhiberi idem VAILLANT. credidit, & hunc denarium in aedilitate eiuſdem cuſum fuiſſe, & propterea vbertatis habere ſymbola. Aliter ſentit cel. HAVERÇAMPVS, dum: Credo, inquit, ſingularem quandam vbertatem eius anni, quo cuſa fuerint haec numiſmata, indicari, quo videlicet caliditate aëris, cuius *fulmen* ſymbolum eſt, ſub Ioue videlicet placido, maximus frugum fuerit prouentus; vnde non tantum *cornu copiae* frugibus plenum exprimitur, verum additur *corona* typum ambiens *ex foliis, floribus, glandibus, & ſpicis*

contexta; docens hominibus & animalibus vberem istum annum fuisse & summa fertilitate beatum. Romae cusi sunt denarii a quaestore vrbano Q. Fabio Maximo, a quo, & quo anno, difficile est definire. Haec cel. HAVERCAMPVS; vid. *eiusd. comment. in thes. Morell.* pag. 166. VAILL. in *famil. Rom. num.* pag. 424.

233. Caput muliebre turritum & velatum, cum litt. EX. A. PV. *caius* FABI*us caii filius*. Victoria in citis bigis; sub anterioribus equorum pedibus auis cernitur; in area litt. G.

Asper. Quum in singularis huius denarii explicatione antiquarios valde inter se dissentire animaduerterem; operae pretium me facturum esse arbitrabar, si celeberrimorum in re numaria ducum diuersas de huius numi typo sigillatim percenserem sententias. *Fuluius* VRSINVS non dubitat, quin ad C. Fabium C. F. Pictorem pertineat, qui A. V. CCCCLXXXIIII. cum Q. Ogulnio Gallo consul fuit, quo quidem anno argento signato populus Romanus ex S. C. primum vti coepit; ea propter litteras EX. A. PV. explicat EX ARgento PV*blico*. Auem, quam altera numi pagina exhibet, buteonem esse credidit, Fabiis Buteonibus, a *buteone* teste *Plinio* nomen sortitis, magis conuenientem, vnde miratur VRSINVS, qua de caussa in hoc numo buteonem expresserit, quum C. hic Fabius ex Pictorum familia fuerit. Hanc *Fuluii* dubitationem tolli posse cl. PATINVS existimat, quod nota haec in hoc denario non sit perpetua, sed ciconia etiam occurrat, cuius figura multum a buteone, qui accipitris quaedam species est, distat; non itaque, vir clar. inquit, video, cur hoc nobis vllam dubitationem afferre possit. Cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS, qui se plerosque huius generis denarios contulisse refert, neque buteonem neque ciconiam esse affirmat, sed in omnibus auem struthiocamelum exprimi; quam eruditissimi viri sententiam bini, qui in numophylacio SCHVLZIANO adseruantur, denarii confirmant. VRSINO calculum adiicit GOLTZIVS, at male, HAVERCAMPO iudice, ciconiam auem depinxit, sicut ibin VAILLANTIVS. *Sebastianus* ERIZZVS itidem ambabus illorum

lorum amplectitur sententiam, qui praeterea ***turritum*** & ***velatum*** aduersae numi paginae *caput*, de quo altum apud VRSINVM & PATINVM est silentium, deae Cybeles effigiem esse autumat; insuper etiam credidit C. Fabium hunc Buteonem quoque fuisse adpellatum, ideoque ad nomen suum alludentem buteonis typum in hac moneta exhibuisse. Verum diuersae ex gente Fabia Buteonum & Pictorum fuerunt familiae. Cl. *Io.* VAILLANTIVS eidem C. Fabio Pictori, C. Fabii ex Pictoribus primi, qui aedem Salutis apud *Plinium* depinxit, filio, hunc tribuit denarium: aduersae autem typum Alexandream Aegypti vrbem, quae scilicet ita in gente Aemilia depingatur, respicere contendit: idque confirmat ibis, inquit, in auersa parte, peculiare Aegypti, vt omnes norunt, symbolum. Illud vero caput, mox addit, in denario signauit C. Fabius, vt legationem suam, cum fratre Numerio, ad potentissimum Aegypti regem Ptolemaeum Philadelphum, ante triennium initam, posteris commendaret. Nam quum rex, ad petendam senatus populique Romani amicitiam, per legatos misisset, anno CCCCLXXX. scribit *Zonaras*, *lib. Ann.* II. Romanos ea regis comitate delectatos, vicissim legatos ad regem misisse. Eorum nomina profert *Val. Max.* lib. IIII. cap. 3. *Q. Fabius Gurges, C. Numerius Pictor, & Ogulnius Legati ad Ptolemaeum missi.* Haec cl. VAILLANTIVS. Speciosa, haec fateor, (ita huic VALENTIS opinioni cel. HAVERCAMPVS respondet) rei antiquariae etiam non ignaris, videri possunt, verum inani coniecturae primum ornamenta detrahamus, deinde sublato fulcro totam proruamus. Caput illud non est vrbis Alexandriae, quia simile illi, prout credidit VAILLANTIVS, nequaquam est; qui mecum dignetur inspicere ipsos denarios elegantissime fabricae, qui Aemilii Lep. honores celebrant, & caput Alexandriae exhibent, reperiet plane sic in ipso exstare denario, vti MORELLII exacta manus depinxit; caput quidem esse turritum, sed nequaquam velatum, vt hoc, neque etiam dependente ad ceruicem velo, vti considerauit OISELIVS pag. 149. verum vt reginae vrbium diademate regali cinctum,

 quod

quod ſub turrita corona caput & frontem cingens lemniſcos ad collum ita ſparſos & fluitantes habet, vt ſolent capita regum Syriae in numis eorundem. Deinde, paullo poſt vir ſummus ſubiungit, ibis non eſt illa auis, cuius picturam abunde docent Hadriani imperatoris numiſmata, quae Aegyptum prouinciam non vno modo cum iſta aui repraeſentant, habet enim longum roſtrum, quod illi a VAILLANTII ſculptore adpingi potuit, ſed praeter denariorum fidem, qui omnes iuxta MORELLII picturam breue illi roſtrum faciunt. Deinde ibis, caputque Alexandriae, & vniuerſa legatio ad Ptolemaeum regem, nituntur falſo fundamento, verbis videlicet *Valerii Maximi* male lectis & peius intellectis. Docuimus ad praecedentem denarium in quibuſdam *Valerii* codicibus male legi *Q. Fabius Gurges, C. N. Fabii Pictores, Q. Ogulnius*, caet. vnde naſci poterat error de duobus fratribus ad Ptolemaeum miſſis Caio & Numerio Pictoribus, & vna cum iis Q. Fabium Gurgitem; verum opinio falſa ita VAILLANTII obnubilauit cogitationes, vt citans etiam verba *Valerii Maximi*, prout in melioribus ſeſe habent editionibus, non viderit ſuo ſe refutari teſtimonio. Haec ſunt fere illa, quibus paſſim laudatus cel. HAVERCAMPVS acerrime impugnatam penitus euertit VALENTIS coniecturam. Proferam iam & vero ſimiliorem doctiſſimi theſauri Morelliani interpretis ſententiam. Auem itaque, vir ſummus inquit, primum conſiderari volumus, ita vt in ipſis denariis ſeſe habet; roſtro breuiore eſt, neque figura ſtantis, vt paſſim ibis in Hadriani numis, & ciconia in denariis Caecilia & Antoniae gentis, ſed cum impetu & niſu currentis, quod prae magnitudine corporis volare nequeat, expreſſa. Illa natura eſt ſtruthiocamelorum. *Plinius* lib. X. cap. I. *Sequitur natura auium, quarum grandiſſimi & fere beſtiarum generis, ſtruthiocameli Africi vel Aethiopici, altitudinem equitis inſidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent: caetero non ſunt volucres, nec a terra tolluntur.* Ad Africam itaque nos ablegant Plinius & ſtruthiocamelus, vbi ſi C. Fabium inueniamus, actum de reli-

reliquorum coniecturis erit. Ingentem itaque antiquitatem & praerogatiuam dum huic denario detrahimus, plus veritas quam ſtudium valeat. Creditum fuit ſemper, hoſce denarios fuiſſe primos, qui Romae ex argento ſignati ſint, adeoque relati ſunt ad A. V. C. CCCCLXXXIIII, quo ſignato argento vti inceperunt Romani. Ego vero ducentos fere annos iiſdem abrogo, cenſeo enim cuſos fuiſſe in Africa, A. P. V. C. IↃCLXVIIII. conſulibus L. Cornelio Cinna III. & Cn. Papirio Carbone; & quidem a C. Fabio, quem ex denario diſcimus Caii fuiſſe filium, quique Adriani nomen apud ſcriptores obtinet. Noſcitur vero iſte C. Fabius Adrianus ex *Liuio*, *Cicerone*, *Valerio Maximo* & *Oroſio*. *Liuius in epitome lib.* LXXXIIII. *Q. Metellus Pius, - - - - vbique exercitus dimitterentur. Idem in epitome lib.* LXXXVI. *Quum C. Marius, - - - vivus exuſtus eſt. Valer. Maxim. lib. VIIII. cap. 29. ex. 2. Illam vero vltionem - - - - querela verſata eſt. Oroſius lib. V. cap. 20. Fabius vero Adrianus - - - viuus incenſus eſt.* Ciceronis locus, in quo huic Adriano Verrem comparat, de ſarmentis item loquitur, quamuis enim longiora eiuſdem ſint verba, adducam tamen, vt poena Adriani ex periculo Verris tanto magis eluceſcat. Conatus fuerat Verres Philodami, Lampſacenorum principis, filiam vi rapere. Vim vi repulerat Philodamus, factaque res manifeſta erat; itaque (verba ſunt *Ciceronis* lib. I. in *Verrem* cap. 27. *edit. Gronou.* pag. 279.) *Poſtridie mane homines in concionem veniunt, - - - illa flamma periculoque euolauit.* Nominat eundem hunc Adrianum rurſus *Cicero*, & ſimile item Verris periculum, quod per auaritiam eius atque ſocordiam praedones duce Heracleone pulcherrimam claſſem Romanam ad Pelorum incendiſſent, *lib. V. in Verrem cap. 36* p. m 371. *Excipitur ab omnibus - - - - digniſſimus exiſtimetur.* Ad priorem *Ciceronis* locum hanc adnotationem profert *Aſconius*, qua docet, quo tempore Adrianus ille vixerit: *Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, vt alii aiunt, legatus, vt alii putant, propraetore, vel praetor, prouinciam obtineret Africam, Vticae in praetorio ſuo viuus vſtus eſt; quod*

corru-

corrupto ſeruitio ciuitatis illius de principum nece conſpiraſſe diceretur. Sed opportune Tullius cauſſam facit illatae necis in Adriano, & inultam eius mortem oſtendit: quem dicit oratorie non in hoſpitio, ſed domi ſuae viuum crematum; & ille ſic dixit, vt de notiſſimo videretur loqui. At C. Fabius Adrianus praetor in prouinciam Africam a Cinnanis miſſus eſt, Cinna & Papirio Carbone conſulibus A. V. C. IↃCLXVIIII. quo anno Q. Caecilium Metellum Pium, qui pro re publica Africam quoque obtinebat proconſule prorogato imperio, eamque armis retinere conabatur, vi expulit. Anno ſequenti IↃCLXX. Scipione & Norbano conſulibus, quum prolato imperio eandem obtineret prouinciam propraetore, foede illam vexauit & diripuit, vnde anno tertio V. C. IↃCLXXI. C. Mario iuniore & Papirio Carbone III. adhuc in imperio verſans, ciuili tum maxime furente bello, debitas ſcelerum poenas perſoluit, viuus cum ſuis exuſtus. Fuitque Vticenſibus hoc facinus impunitum, tum propter ipſius Fabii nequitiam, tum quod contraria mox factio, Sullana videlicet, rerum potiretur, quae Cinnanos & Carbonianos omnes vndique ad ſupplicium conquirebat. Iam vero Fabius Adrianus miſſus in Africam eſt eo tempore quo rerum potiebatur Cinna & Carbo, tum conſules per vim facti; hi iuſſerunt Fabium, vt pro retinenda commiſſa ſibi prouincia contra Metellum Pium ibidem pecuniam ſignaret, omniaque quae e re viderentur ageret. Vnde, vt auctoritate publica contra Metellum, & qui partes eius ſequebantur, munitum ſe oſtenderet Fabius, in quibuſdam denariis ſuis adponi has litteras iuſſit EX. A. PV. quae non debent explicari. EX *Argento* PV*blico*, vel EX *Argento* PV*ro*, ſed EX AV*ctoritate* PV*blica*. Eo enim more docuit cl. LIEBIVS in *theſ. Frideric.* pag. 392. in antiquis Romanorum ponderibus ſaepe legi EX. A. Q. I. R. P. V. i. e. EX. A*uctoritate* Q*uinti* I*unii* R*uſtici* P*raetoris* V*rbani*. itemque EX A. D. C. A. i. e. EX A*uctoritate* D*iui* C*aeſaris* A*uguſti*. Supereſt iam ſola *facies* illa *muliebris*, quae *velo & turrita corona* exornatur; hanc ego neque Cybeles neque Alexandriae caput eſſe exiſtimo, ſed Caeleſtis, quae dea peculiariter apud Afros culta

fuit,

fuit, ab Assyriis, vt videtur, recepto numine. Et sic struthiocamelus inter aues Africae est symbolum, vt ibis Aegypti; dea Caelestis Afris propria, C. Fabius C. F. Adrianus ille, qui bello ciuili Sullano viuus ad Vticam exustus est, & litterae alphabeticae modo Latinae, modo Graecae, matricum & monetariorum notae sunt; cusi vero danarii sunt ex auctoritate publica, quam sibi arrogabant Cinna & Carbo, suaeque factionis ducibus largiebantur. Hactenus eruditissimus & felicissimus monetae antiquae interpres cel. HAVERCAMPVS; vid. VRSINVS *per* PATINVM *auctus* pag. 107. sq. GOLTZIVS *in Fastis* pag. 82. *Sebast.* ERIZZVS pag. 5. VAILL. tom. I. pag. 427. sq. *Thes. Morell.* tom. II. pag. 170. sqq.

234. C*aius* ANNI*us* T*iti* F*ilius* T*iti* N*epos* PROCO*nsule*. EX S*enatus* C*onsulto*. Caput Iunonis Monetae, inter caduceum & bilancem.

L*ucius* FABI*us* L*ucii* F*ilius* HISP*aniensis* Q*uaestore*. Victoria citas quadrigas agens d. palmam tenet, l. equorum habenas.

Asper, de cuius valore, & vtriusque paginae typo supra ad num. 150. & de C. Annio proconsule ad num. 149. in Annia gente egimus. De Fabio itaque altero C. Annii quaestore potissimum hoc loco agendum erit. Fabius hic Lucius dicitur, Lucii filius, cognomine Hispaniensis, vel filius (vt statuit VAILLANTIVS) vel adfinis L. Fabii Hispaniensis, qui, vnus e proscriptis, Sertorio adhaesit, extremaeque eius coenae inter coniuratos adfuit, vti testatur *Sallustius apud Seruium ad Virg. Aeneid. lib.* I. *vers.* 702. *Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio; super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; & infra scriba Sertorii Versius: & alter scriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpennam.* In hoc conuiuio Sertorius a Perpenna occisus est. Tempus quo cusus est iste denarius ex *Plutarcho* colligi potest, qui T. Annii expeditionem contra Sertorianos commemorat in *vita Sertorii edit. optimae* pag. 571. vbi fugam Sertorii

in Hiſpaniam deſcribit: *Poſtquam Sullam allatum eſt potiri vrbe, ... non ad robur fabricatas naues.* Tempeſtate diſiecta claſſe fugit inde in Hiſpaniam Sertorius. Acciderunt itaque haec ſublata Carbonis & Marii factione paullo poſt A.V.C. IↃCLXXI. quo duo illi conſules perierunt; miſſuſque dux Annius quaeſtores habuit Tarquitium & hunc Fabium, a quibus ingens vis pecuniae ſignata eſt, qua vterentur ad bellum tam graue, quod ſibi cum fortiſſimo & callidiſſimo Romanorum ducum Sertorio fore facile praeuidebat Sulla. Victoriam in quadrigis pro felici omine expreſſerunt, vel poſt occupata Pyrenaei iuga pulſumque ex locis natura munitis Sertorium. VRSINVS putat eundem hunc eſſe Fabium cum eo qui Sertorianis partibus ſtuduit, quod fieri non potuit, niſi ſtatuatur hic idem Fabius Sullae poſtea partes reliquiſſe, atque ad Sertorium tranſfugiſſe, & propterea a Sulla proſcriptus fuiſſe; etiam Romae multos fuiſſe, qui tacite fauerint Sertorio, patere poteſt ex ſcrinio illo epiſtolarum, quod a Perpenna ſibi traditum generoſe combuſſit Pompeius Magnus, vt *Plutarchus* pag. 582. & alii teſtantur. Ex *theſ. Morell.* tom. II. p. 173. ſq. conf. VAILL. in *fam. Rom. numis* tom. I. pag. 414. VRSINVS *edit. Patin. loc. cit.*

FANNIA.

235. ROMA. Caput Romae galeat. cum ſolita denarii nota.
*M*ARCUS FAN*nius* C*aii* F*ilius*. Victoria in citis quadrigis.

A Fano, duplicata conſonante media, Fanniae gentis nomen deriuat VAILLANTIVS. *Fulu.* VRSINVS *plebeiam* eandem fuiſſe docet ex vno *Tullii* teſtimonio, ad *Attic. lib. XVI. ep. 13. edit. Gronou* pag. 1016. Vox ROMA a M. quodam Fannio C. F. tunc quaeſtore vrbano, hunc ſignatum eſſe denarium innuit. Cui vero M. Fannio C. F. ex tribus illis, quorum apud ſcriptores mentio fit, numus iſte adſignandus ſit, non liquet; vid. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 435. conf. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 177. *Fulu.* VRSIN. *edit. Patin.* pag. 109.

FARSV-

FARSVLEIA.

236. Caput Romae galeatum cum denarii ſigno.

Lucius FARSVLEI*us*. Bigae aurigante figura militari, quae laeua haſtam tenet, dextram vero porrigit figurae togatae in bigas a parte poſteriore aſſcendenti.

In omnibus adhuc diuulgatis Farſuleiae gentis denariis auerſae typo, pariter vt in ſubſequenti, Libertatis deae caput in aduerſa iungitur, non Roma galea exornata; vnde hunc numum, nec a MORELLIO *neque ab ipſo* HAVERCAMPO *vnquam viſum, haud obuiis familiarum Romanarum denariis adnumerandum eſſe cenſeo.* Adeo obſcura eſt Farſuleia gens, vt praeter duo marmora, quae L. Farſuleii Rufi & Q. Farſuleii Veſperis memoriam conſeruant, haud aliquis veterum illius meminerit. Menſoris vero, quem ſequens agnoſcit denarius, numi tantum mentionem faciunt. De auerſae huius denarii typis mox agetur vberius.

237. MENSOR. Caput deae Libertatis, pone pileus.

Lucius FARSVLEI*us*. Figura militaris galeata bigis inſiſtit, laeua haſtam tenens & equorum habenas, dextram vero porrigit figurae togatae in bigas, antiquo more, a parte poſteriori aſſcendenti.

Quoniam in antiqua quadam a *Fuluio* prolata inſcriptione L. Farſuleius Rufus ex colonia Iulia Sutrina eſſe dicitur, cenſet VAILLANTIVS hanc gentem inde oriundam veniſſe Romam, atque hunc L. Farſuleium Menſorem, vbi ad quaeſturam vrbanam peruenit, vel potius (HAVERCAMPO iudice) triumuiratum monetalem, ſignificare hoc typo voluiſſe, ſibi aditum ad honores patuiſſe per legem Iuliam, qua ciuitas data eſt Latinis ſiue ſociis populi Romani, ad bellum ſociale finiendum. Nihil commodius, conſentiente ipſo HAVERCAMPO, ipſi denarii huius typi innuere poſſunt, quam ciuitatem a Roma victrice Italiae datam. Ideo Roma (ita VALENTIS ſententiam HAVERCAMPVS corroborat) tan-

quam bellatrix dea ſingitur ſtans in curru; Italia togato ciue Romano exprimitur, vt quae ius omne ciuitatis iam adipiſceretur; illam in bigas recipit porrecta dextra Roma, vt ſolebant bellatores amicitia ſua dignos ſecum in currum aliquando recipere, cuius & plura exempla apud *Homerum* alioſque proſtant, tum in ſacris, II Reg. X. 15. vbi porrecta manu Ionadabum Rechobi filium in currum ſuum Iehu recipit. Credimus itaque iſto tempore & in gratiam eius reconciliationis Romanorum & Italici nominis populorum cuſos hos denarios fuiſſe, L. Farſuleio hunc quaeſtore vrbano, vel triumuiro monetali, qui a priore numi parte *caput deae Libertatis* expreſſit, quod vere iam libertas populi Romani conſtituta videretur, ſociis Italici nominis in idem ius togae & magiſtratuum gerendorum honorem receptis; vid. VAILLANTIVS, VRSINVS & cel. HAVERCAMPVS in gente Farſuleia.

FLAMINIA.

238. ROMA. Roma galeata cum litt. x. ſolita denarii nota.
Lucius FLAMINI*us* CILO. Victoria in citis bigis.

Flaminia gens *plebeia* fuit. Ad *bigatos*, ob bigas in iis ſignatas ita dictos, pertinet iſte denarius; conf. ea, quae ſupra pag. 110. num. 193. & pag. 112. num. 196. de iſtius denarii typo dicta ſunt. Cl. VAILLANTIVS auerſae figuram Venerem Victricem eſſe exiſtimat, quae coronam gerat in bigis decurrentibus, ſignatae in Caeſaris, qui a Venere genus repetebat, gratiam. Falſae huic viri clar. coniecturae reclamat SCHVLZIANVS iſte denarius, in quo clare alata agnoſcitur Victoria. Hunc alioſque VALENTIS & PIGHII in bigati huius explicatione ſubreptitios errores loco antea citato erudite detexit atque emendauit HAVERCAMPVS.

FONTEIA.

239. Caput Iani geminum, laurea coronatum, ſed imberbe, inter litteram v. & x. ſolitum denarii ſignum.
Caius FONT*eius*. ROMA. Triremis, cum remiganti-

bus

bus & ſtante ad puppim gubernatore, diadema regale dependet a puppi.

Fonteiam gentem *plebeiam* fuiſſe ex nefario illo Ciceronis inimico Clodio intelligimus, qui, vt tribunus plebis fieret & Tullium vrbe expelleret, P. Fonteio plebeio homini, vix viginti annos nato, adoptandum ſe dedit. Gentis huius nomen alii a fontibus defluxiſſe, alii a Fonto Iani filio originem habuiſſe exiſtimant. Hinc ſine dubio *Ianus* in hoc denario ad indicandam Fonteiorum originem expreſſus eſt; conf. *Arnobii aduerſus gentes lib.* III. *edit. Elmenhorſt.* pag. 69. *Corona* ornatur, quia coronarum inuentorem Ianum fuiſſe pagani crediderunt. Hic olim barbatus, quum tonderentur Romani, tonſus etiam, ſiue *imberbis* exhiberi coepit: hinc *Ouidius* ita canit.

Sic apud intonſos nomen habebat auos.

Littera V. matricum nota eſt. *Diadema regale* iuxta acroſtolium fluctuans, in VRSINI, PATINI, VALENTIS, aliorumque picturis perperam neglectum, a GORLAEO autem & diligentiſſimo MORELLIO, probe obſeruatum, omnino notari debet. Cum enim tale diadema nec in ſequentibus Fonteii denariis, nec in aliis familiarum Romanarum numis occurrat: haud temere in hoc, quem interpretamur, expreſſum eſſe claret. Credit itaque cel. HAVERCAMPVS propterea illud additum eſſe, quod hac expeditione, quam triremis indicat, vltum irent Romani regum iniurias, mortemque cruentam Hiempſalis & crudelem Atherbalis interitum, contra mortalium ſceleratiſſimum Iugurtham; conf. *Salluſtius de bello Iugurth. cap.* XVI. Sub finem A. V. C. IↃCXXXXI. quaeſtore tum vrbano hoc C. Fonteio, quum iam omnia praepararet populus Romanus, vt validum Iugurthae bellum inferret, propter occiſum fratrem Atherbalem & ſpretam Romanorum legationem, indicto iam hac de cauſſa bello. Oportebat itaque, vt numeroſa compararetur claſſis, qua tantae tranſveherentur in Africam copiae; ad huius impenſas magnam denariorum vim cudit C. Fonteius, tum tempo-

ris quaeſtor vrbanus, vt adſcripta vox ROMA teſtatur, quae docet, non in prouincia ſed Romae pecuniam hanc ſignatam fuiſſe; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 180. ſq. VAILLANT. tom. I. pag. 449. ſq. *Fulu.* VRSINVS *per* PATIN. *auctus* pag. 114.

240. Capita deorum Penatium laureata & iugata, cum ſtellis & denarii nota.

MAN*ius* FONTEI*us*. Triremis; adeſt gubernator ſedens ad puppim, remum torquens, in imo littera T.

Fulu. VRSINVS & cl. VAILLANTIVS in antica Caſtoris & Pollucis, qui tutelares nauigationis dii ab antiquis habebantur, iugata capita expreſſa eſſe crediderunt, tanto magis, quod in poſtica triremis cernatur. Penatium potius has eſſe imagines HAVERCAMPVS ſtatuit, idque tribus probat argumentis. Primum ſuppeditat denarius, quem exhibuit MORELLIVS, quique noſtro per omnia ſimilis eſt, niſi quod iuxta capita ſcribatur P. P. i. e. *Penates* vel *Penates Patrii.* Secundum, ſimiles plane familiarum Antiae & Sulpiciae denarii: in Antia enim gente capita Penatium pariter ſunt iugata, ſed diademata, & adſcribitur DEI PENATES: in Sulpicia itidem iugata ſunt & laureata, quibus adſcribitur D. P. P. i. e. *Dei Penates Patrii,* ſicut infra viſuri ſumus. Tertium denique argumentum HAVERCAMPVS ex ſequentis denarii typo petit. Tranſeamus nunc ad illum, qui hunc ſignauit denarium. *Fulu.* VRSINVS Manium hunc, ex tot Maniis Fonteiis in hiſtoria Romana occurrentibus, eum forte eſſe autumat, pro quo *Cicero* dixit, accuſante M. Plaetorio. At quoniam de re nauali ſub Man. Fonteio, a Cicerone defenſo, in tota Romana eius aeui hiſtoria nihil habetur; hinc VAILLANTIVS Man. Fonteium, qui hunc percuſſit numum, duumuirum naualem fuiſſe opinatur, qui anno IↃLXXII. ad tutelam orae maritimae, quod piratae Italiam infeſtarent, creati ſunt iuxta *Liu. lib.* XXXX. cap. 18. p. m. 1069. *Nec rei naualis cura - - - - Barium tueretur.* In cuius, inquit VAILLANTIVS, memoriam videntur cuſi denarii, cum trireme praetoria & nomine Man. Fonteii, qui vni praeerat; & in parte anteriore Caſtor & Pollux ſignati ſunt,

quod

quod ipſi mare piratis liberarint, & ob id dii maris habiti ſint; & ſtella inſigniuntur, quod felix omen ſit nauigantibus in tempeſtate. Hactenus VAILLANTIVS. Hanc viri cl. de duumuiro Fonteio coniecturam ex eodem *Liuii* loco HAVERCAMPVS in dubium vocat. Nuſquam enim Liuio Fonteius inter duumuiros nauales commemoratur, & excitatus ille locus oſtendit quidem illo tempore duumuiros rei naualis a conſulibus fuiſſe creatos, non vero inter illos Fonteium fuiſſe. Supereſt vt cel. HAVERCAMPI proferamus ſententiam. Eundem hunc Man. Fonteium numum hunc cudiſſe, vir ſummus exiſtimat, qui in ſequenti occurrit denario, in quo ſe Caii filium nuncupat, quique ad Sullae tempora nos reuocat. Sulla exercitu nauibus impoſito, contra Carbonis & Marii factionem bellum geſturus venit in Italiam A.V. C. IↃCLXVIIII. atque Brunduſii exercitum expoſuit, auſus cum triginta armatorum millibus aduerſus ducenta amplius hoſtium millia & quindecim inimiciſſimos belli duces progredi. Receperant ſe iam ante, HAVERCAMPVS addit, ad Sullam in Graeciam optimi & nobiliſſimi quique ſenatores. Inter quos hunc Man. Fonteium omnino fuiſſe ſuſpicamur, atque quaeſtoris ſub eodem munere functum tantam horum denariorum vim in Graecia ſignaſſe (vnde ROMA, quae vox alias inſcribi ſolet, abeſt) & quidem cum triremi praetoria, vt profectio Sullae indicaretur, atque Diis Penatibus, ſiue quod Lanuuio gens Fonteia eſſet oriunda, ſiue potius quod antiqui iuris ſenatorii vindex Sulla eiectos pridem vrbe magiſtratus penatibus ſuis eſſet redditurus, & rem publicam in integrum eſſet reſtituturus; vid. *theſ. Morell. loc. cit.* VAILLANT. *famil. Rom.* tom. I. pag. 449. *Fulu.* VRSINVS *l. c.* conf. *Conſt.* LANDI *ſelect. numiſm.* pag. III. ſqq. *Littera T.* ad alphabeticas matricum notas pertinet.

241. MAN*ius* FONTEI*us* C*aii* F*ilius*. Caput Veiouis laureatum cum fulmine, adeſt monogramma, quod diſpoſitis in ordinem litteris legitur AP*ollo*.

Cupido hirco inequitans, deſuper deorum Penatium ſiue

ſiue Dioſcurorum pilei, ſubtus vero eſt thyrſus Bacchicus; omnia in myrtea corona, ſed abſque inſcript.

Integerrimus. VAILLANTIVS ex monogrammate & plerorumque apud Gellium ſententia Veiouem hunc Apollinem eſſe docet. Hunc autem denarium a Man. Fonteio cuſum eſſe, vt denotaret ſe, duumuirum ſacris aedibus reficiendis, Veiouis templum reſtituiſſe, idem VAILLANTIVS credidit. Subiungam ipſa cl. antiquarii verba. M. Fonteius C. F. fuit ille, qui vt duumuir ſacris reficiendis aedibus, templum Veiouis in VIII. regione, inter arcem & Capitolium exſtructum prope aſylum, reſtituit; quare in anteriore parte illius caput expreſſit, cum fulmine ſub eo; additis duabus litteris AP. ſimul iunctis, quae APOLLO exponuntur, vt nos docet *Gellius, lib. V. cap. 12.* p. m. 216. *Simulacrum igitur dei Veiouis - - - - vocatus Apollo.* Reſtaurato templo, capra in auerſa parte Veioui ſacrificium eſſe factum indicat; nam ait, loco laudato, *Gellius, immolaturque illi ritu humano capra;* quare puerulus caprae inſidet. In vertice autem ſuper capram adſunt pilei Dioſcurorum aſtris inſigniti, & in imo acroſtolium trifidum, quae ad rem naualem ſpectant, forſan in memoriam patris, quem in ſuperiori numo claſſi praefuiſſe diximus. Hactenus VAILLANTIVS. Conſulamus nunc etiam HAVERCAMPVM, vt pateat, tum quid de allatis his VAILLANTII coniecturis ſentiat, tum quaenam ipſius circa hunc numum ſit ſententia. Vtrumque ſuppeditat abſolutiſſimus in *theſaurum Morellianum commentarius.* Sic ſolet, inter alia vir ſummus inquit, VAILLANTIVS, vbi aqua haeret, paſſim ad deorum aedes refectas confugere. At ſi capella Veioui immolanda, cur inſidet illi Cupido, cur thyrſus ad pedes in ima numi parte ponitur, cur myrtea corona numum ambit? Notum eſt Sullae, qui poſtea dictaturam ſumſit, in gente Cornelia & Egnatia inueniri plures denarios, in quibus, vt Epaphroditus & cura Veneris, Cupidinem ſignauit, vel in eius gratiam & adulationem quaeſtores expreſſerunt. Sic fam. Cornel. tab. IIII. num. VII. Egnatia num. I. II. III. caet. idque varietate ſingulari, modo ſtantem, volantem modo, etiam monile matris

collo

collo adaptantem. Hic vero capellae ſeu capro inſidentem faciunt, prouti is luſus eſſe puerilis ſolet; vel ſi lubet reconditum magis ſenſum ſectari ex thyrſo Bacchi erit quaerendus, quem male VAILLANTIVS mutauit in duo acroſtolia, quum in illis tribus, quos poſſideo, omnibuſque quos viderim thyrſus ſit, non acroſtolia. Poſſet itaque thyrſus & capra ſignificare ſacrificium, quod Baccho fieri ſolebat animali illo vitibus noxio, vnde elegans verſuum *Eueni* parodia apud *Sueton. in vita Domitiani* cap. XIIII. *edit. Graeu.* pag. 737.

Κἢν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Quod videlicet *Euenus* ad caprum dixerat id ad Caeſarem, edictum de excidendis vineis meditantem, vrbani homines tranſtulerant. *Eueni* verſus Latine ſic ſe habent, expreſſi ab *Ouidio Faſtor.* I. vſ. 357.

Rode caper vitem: tamen hinc, cum ſtabis ad aram,
In tua quod fundi cornua poſſit, erit.

Atque ita tacite minaretur inimicis ſuis Sulla, ſaeuirent quidem nunc in nobiles ferro Mariano & Cinnano, adfore ſe mox victorem felicem, qui illos, vt *capellas*, Baccho deſtinatas victimas, eſſet immolaturus. Quam ille iracundiam ſuam egregie exercuit, neque finem ſaeuitiae ſuae neque modum ſtatuens. Spectat huc quoque *Veiouis caput*, cuius, in vindicta Sullae, ira metuenda erat. *Pilei cum ſtellis* ad Dioſcuros ſpectant vt Penates Patrios; *myrtea corona* Sullae rurſus conuenit felici illi & Veneris nepoti; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 182. ſq. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 450. ſq.

242. P*ublius* FONTEIVS P*ublii* F*ilius* CAPITO III. VIR. Caput iuuenile galeatum, mentum prima lanugo veſtit, pone tropaeum.

M*anius* FONT*eius* TR*ibunus* MIL*itum*. Eques laureatus decurrens, d. haſtam in milites humi proſtratos vibraturus.

HAVERCAMPVS paullo prolixiorem hanc auerſae huius denarii paginae ſuppeditat deſcriptionem. Mihi, vir cel. inquit, integerrimum denarium meum conſulenti figura equeſtris laureata viſa eſt, qui vero ſub equo inter ſe depugnant, eorum vterque vulneratus videtur & in alterum genu prolapſus, ſed ita vt poſterior iam plane ſit examinatus, vtpote cuius galea & clypeus iam retro tergum iaceant; alterius, qui, galea tectus caput, laeuam cum clypeo eleuet, atque dextra enſem in pectus aduerſarii adigat. Haec omnia etiam in eleganti noſtro denario animaduertimus. In ſequenti Fonteiae gentis numo Titi Didii imperatoris fit mentio, hinc P. Fonteii P. F. Capitonis, qui hunc & illum ſignauit denarium, aetas haud difficile colligi poteſt. Didius enim, qui in ſubſequenti denario imperator appellatur, A. V. IↃCXXXX. de Scordiſcis Thraciae populis triumphauit, de Hiſpanis vero anno IↃCLX. Periit idem quatuor annis poſt in bello Sociali ſiue Italico anno IↃCLXIIII. Vnde patet circa annum IↃCLX. a P. Fonteio Capitone cuſum hunc eſſe numum. Aetate itaque Fonteii inuenta magiſtratus eiuſdem indagandus eſt. VAILLANTIVS ad ſacras aedes refectas iterum delabitur, putatque triumuirum fuiſſe muris, turribus, aedificiiſque publicis reficiendis; vid. *eiuſd. fam. Rom.* tom. I. pag. 447. Nos cel. HAVERCAMPVM ſequimur, & triumuirum monetalem eundem fuiſſe credimus, penes quos quum eſſet facultas & ius cudendae monetae, alii intelligi haud poſſunt, quum ſimpliciter triumuiri nomen denariis inſcribatur. Triumuir itaque monetalis P. Fonteius Capito eo anno, vt videtur, quo de Celtiberis Hiſpanis triumphauit T. Didius, aduerſae numi paginae rei publicae gloriam publicam, auerſae vero, domus ſuae priuatam inſculpſit. Hinc in antica caput *Martis Tropaeophori*, reſpectu Hiſpanienſis triumphi; in poſtica autem, quae inſcribitur MAN*ius* FONT*eius* TR*ibunus* MIL*itum*, per *armatum equitem* T. Didium ducem ex paludamento agnoſcendum indicari credimus, in cuius conſpectu (vt vir eruditus, quem hic & alibi paſſim ſequimur, autumat) Man. Fonteius trib. mil. rem praeclaram contra Hiſpanos egerit, ita vt, licet

iam

iam prae vulneribus in alterum genu prolapſus, aliquem tamen ex ducibus hoſtium occiderit, eique caeſo detraxerit arma, quae in rei teſtimonium poſt terga Manii Fonteii tribuni militum cernuntur. Is vero Man. Fonteius frater Publii fuiſſe videtur, & forte poſtea ex vulneribus mortuus, vnde eo libentius memoriam fortitudinis fraternae hoc denario conſecrauit Publius; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 183. ſq.

243. P*ublius* FONTEIVS CAPITO III. VIR. CONCORDIA. Deae Concordiae caput velatum.

T*itus* DIDI*us* IMP*erator*. VIL*la* PVB*lica*. Villae publicae aedificium.

De villa publica, T. Didio & Concordia dea ſupra pag. 140. num. 225. in Didia gente dictum eſt; P. Fonteium Capitonem Didii tempore vixiſſe, & occaſione triumphi eius ſignaſſe hunc denarium eodem loco, & in praecedentis denarii interpretatione vidimus.

FVFIA.

244. KALENI. HO*nos*. VIRT*us*. Capita Honoris & Virtutis iuncta, hoc galeatum, illud laureatum.

CORDI. ITAL*ia*. RO*ma*. Italia & Roma ſtantes, dextras iungunt; illa ſtolata, laeua tenet cornu copiae; haec, habitu militari, in capite diadema geſtans, veſte ſuccincta, laeua ſceptrum tenet, & pede d. globum calcat; poſt Italiam, in numi area, eſt caduceus alatus.

Serratus, aſper & elegans, quem periti chalcographi manu adumbratum, tab. IIII. *num.* IIII. *conſpiciendum ſiſtimus.* Fufia gens plebeia cognomen habuit Caleni ab oppido Calibus, Campaniae Felicis. *Cicero in altera de lege agrar. orat. cap. 31. edit. Gronou.* pag. 447, municipii Caleni fecit mentionem, idem *lib. epiſt. ad famil.* VIIII. *ep.* 13. p. m. 789, cum municipio Caleno magnam ſibi neceſſitatem eſſe ait. Fufius Calenus & Mucius Cordus, quorum nomi-

na hic legimus, denotant, ad duas diuersas Romanorum familias elegantissimum hunc numum esse referendum. Nobilis hic typus, persaepe laudatus HAVERCAMPVS ait, redintegratam indicat interruptam bellis ciuilibus concordiam inter Italiam & Romam, postquam videlicet finem habuerunt, vel bellum Italicum seu Sociale, ob negatum ciuitatis ius, vel *duo bella funestissima; Italicum, quod & Sociale dictum est; & Ciuile: quae ambo tracta sunt per annos decem: consumserunt vltra CL. millia hominum; viros consulares XXIIII praetorios VII. aedilitios LX. senatores fere XX.* vti scribit *Eutropius* lib.V. cap. 9. conf. *Appianus* lib. I. *de Bello Ciu.* pag. 379. 382. & lib.V.p.700. In nitidissimo hoc eruditae antiquitatis monumento Romam, vt reginam orbis & Italiae, agnoscit ipsa Italia, hinc *globus* pedi subiicitur, caput vero *diademate* cingitur. Roma autem vbertatem Italicae agnoscens terrae opes eius libenter cum virtute sua vult coniungere, cuius pacis symbolum est *caduceus.* In templo forsan Virtutis & Honoris aliqua res ad foederis huius solennitatem pertinens transacta fuit; certe virtuti Romanae, quae vt bellatrix dea ab vtraque exprimitur parte, ingens accedebat honos ex Italiae vbertate frugibus virisque opulentissima; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 185 Cel. HAVERCAMPVS hoc loco iterum VAILLANTII sententiam corrigit, HARDVINI autem somnia ex notis eius *Plinianis* tom. I. pag. 246. transscripta solummodo affert; quoniam R. P. nullo prorsus fundamento innixas coniecturas refellere superuacaneum ducit vir eruditissimus. Nos vero, quod ad *Io.* HARDVINI sententiam adtinet, nihil magis miramur, quam ingeniosissimam illam fictionem, dum tantus vir ex CORDI triumuiri monetalis cognomine sequentia effingit: *Concordia Orbis Romani Decus Italiae;* idem iste vir, caeteroquin praeclare doctus, ex voce KALENI hunc extorquet sensum: *Karthago Africae Libero Edicto Neronis Imperatoris.* En eruditam cedro dignissimam sententiam! Quis est sane mente praeditus, qui non statim videat, haec omnia nil nisi meros pueriles esse ingenii lusus? Certe triumuiris istis monetalibus, quorum cognomina h. l. HARDVINO somnia

procu-

procudendi aptam praebent occasionem, haec nunquam venerunt in mentem. Sed sufficiant ista de paradoxis, quibus si quis forte delectatur, adeat HARDVINI opera & praesertim antea laudatas viri cl. ad *Plinium* obseruationes, quae quemque opinionibus suis explebunt.

FVLVIA.

245. ROMA. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.

*M*ARCUS CALID*ius*. Q*uintus* MET*ellus*. CN*eus* FOVL*uius*. Victoria in citis bigis, d. coronam gerens, l. regens equorum habenas.

Fuluiae gentis *plebeiae* in multas diuisae familias, vnius tantum Cn Fuluii in argenteis denariis memoria reperitur; quis tamen hic Fuluius fuerit, quibusue temporibus vixerit, quod multi ex ea gente hoc praenomine vsi sint, nihil certi afferre possum: quia tamen cum Q Metello, & M Calidio M. Tullii coaetaneo triumuir monetae cudendae fuit, Ciceronis ipsius temporibus floruisse possumus suspicari. Haec *Fuluius* in Fuluia gente. Triumuiri itaque fuerunt monetales, & communi opera denarios cuderunt isti, quorum nomina inscribuntur. VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 463. triumuiros mensarios hos fuisse ex loco quodam *Liuiano* colligit. Verum *Liuius* in excitato illo loco tantum commemorat Romae triumuiros mensarios fuisse creatos, neutiquam autem historicus asserit, penes triumuiros illos ius cudendae monetae fuisse: hinc haud difficile efficitur, hanc VALENTIS coniecturam admodum infirmi innixam esse testimonio. Vid. ea, quae supra p. 95. num. 175. & pag. 99. num. 181. ad eundem hunc denarium prolata sunt.

246. C*N*e*us* VOC*onius* S. T. F. Caput Augusti laureatum.

CN*eus* FVL*uius* CN*ei* scil. filius. Bos supra quem lunae crescentis figura.

Aereus sec mod numus, quem HAVERCAMPVS ad incertos & Hispanienses ablegandum esse existimat. *Fulu.* VRSINVS, PATINVS & VAILLANTIVS hunc aereum omiserunt.

F V R I A.

247. AEDilis CVRulis. Caput Cybeles turribus ornatum, pone crassi pedis figura.

PVblius FOVRIVS CRASSIPES. Sella curulis.

Antiquissima haec gens, quae primum Fusia dein Fouria & tandem Furia dicta fuit, diuidebatur olim in patricias & plebeias familias. Ex patriciis occurrunt in denariis Crassipedes, Phili & Purpureones. Duo tantum in historia antiqua memorati inueniuntur Crassipedes, a pedum tumore ita dicti, reliquos temporis iniuria oblitterauit. Alter horum Tullii gener fuit, cui Tulliolam suam, mortuo priore marito Pisone, collocauit. Verum eius praenomen nescitur; alter Marci praenomen habuit, & bis praetor Galliam deinde Siciliam rexit. A quibus differre videtur tertius Crassipes, cuius mentionem facit *Cicero ad Attic.* lib. VII. *ep.* I. & lib. VIIII. *ep.* II. p. m. 916. & 944. biennium post generi Crassipedis mortem. Vtrum vero ad Ciceronis generum an aliquem alium numus iste pertineat, definire difficile est. Aedilem curulem fuisse patet *ex inscriptione* & *sella curuli*, illius magistratus symbolo. *Caput Cybeles* ad Megalesios in Matris Magnae honorem celebratos ludos pertinere autumat VAILLANTIVS. Fiebant hi ludi in Palatio, quod docet *Cicero, orat. de harusp. respons.* p. m. 539. conf. NIEVPOORTII *comp. antiqu. Rom.* sect. IIII. cap. V. §. VIII. p. m. 340. *Henr.* KIPPINGII *antiqu. Rom. edit. Batau.* pag. 385. *Pedis figura* cognomen Furii istius denotat; vid. VAILL. *fam. Rom.* tom. I. p. 474. sq. *thes. Morell.* tom. II. pag. 188. sq. conf. *Io. Andr.* SCHMIDTS in *schediasm. de numis cathedraticis.*

248. Marci FOVRI Lucii Filii. Iani caput bifrons & barbatum.

PHILI. ROMA. Roma galeata & stolata stans, s. gerit hastam transuersam, d. coronat tropaeum, in cuius imo duo sunt clypei, totidemque litui militares.

Asper. Marcus Furius L. F. qui hunc signauit denarium, procul dubio in auersa P. Furii Phili aui sui de Gallis tropae & triumphales

les repraesentauit honores. Praeclara illa de Gallis Liguribus victoria fuit, ita vt ex *clypeis* eorundem in vrbe residuis post cladem ad Cannas acceptam sex millia hominum armauerit dictator Iunius. Ita enim *Liuius* lib. XXIII. cap. 14. *Et sex millia hominum Gallicis spoliis, quae triumpho C. Flaminii translata erant, armauit.* Triumphauerant vero A.V.C. IↃXXX. simul, vnaque victoriam adepti fuerant Flaminius & Philus, sed Flaminii magis hac in re mentio apud scriptores, Liuium, Polybium, Zonaram, Orosium, quod eius in senatum contumacia singularis erat, vt qui contra mandata eius & auspicia rem gesserat, & in magistratu permanserat; vid. *Orosius* lib. IIII. cap. 13. conf. *Plutarchus* in *vita Marcelli* pag. 299. Hinc factum credit VAILLANTIVS, quod in denario *Roma* cernatur *coronans tropaeum*, non vero Victoria, vt in aliis denariis, quod scil. plebis & militum studio, contra optimatum voluntatem, triumphus consulibus decretus esset; vid. *Io.* VAILL. *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 473. M. Furius, qui signauit, quaestor vrbanus eo tempore, quo percussi sunt denarii, fuit, & *Iani caput barbatum* expressit pro more illorum temporum; nam postea etiam imberbis, sicut antea ad num. 239. in Fonteia gente vidimus, pingi coepit, Romanis deorum habitum ad tonsuram sui temporis reformantibus. Ex *thes. Morell.* tom. II. pag. 189. sq. conf. *Iac.* OISELII *thes. numism. antiqu.* pag. 198. HARDVINI de hoc denario commenta vix vlla refutatione digna in hanc pagellam coniicere non lubet, inserta sunt illa R. P. notis ad *Plinium* tom. II. p. 103.

249. BROCCHI III. VIR*i*. Caput Cereris spicis coronatum, inter spicam & frumenti granum.

L*ucii* FVRI*i* CN*ei* FIL*ii*. Sella curulis inter duas fasces cum securibus.

Brocchi cognomen ab oris extuberantia & prominentioribus dentibus natum affirmant. L. Furius Brocchus Cn. filius vocatur. Hunc ex *sella curuli* & *fascibus*, praetorum apud Romanos insignibus, vsque ad praeturam peruenisse, atque in eo magistratu numum hunc

hunc ſignaſſe VAILLANTIVS autumat. Idem vir eruditus ex aduerſae paginae *inſcriptione*, *Cereris imagine*, *ſpica*, & *frumenti grano* eundem hunc Furium eodem tempore triumuirum extraordinarium ad emendas fruges creatum fuiſſe colligit. Nos vero HAVERCAMPVM ſequimur, numumque a triumuiro monetali cuſum exiſtimamus, nepote L. Furii praetoris, neque enim praetores ſignabant pecuniam, ſed praeturam & aedilitatem alioſque honores maiorum nepotes in denariis exprimere ſolebant; vid. VAILL. *in fam. Rom. num. loc. cit. Theſ. Morell.* tom. II. pag. 190. conf. *Io. Andr.* SCHMIDTS *ſchediaſma de numis cathedraticis.*

GALLIA.

250. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Auguſti nudum.

Caius GALLIVS LVPERCVS III. VIR. *Auro* A*rgento* A*ere* F*lando* F*eriundo.* In area *Senatus Conſulto.*

Aereus firma aerugine obductus ſec. mod. numus. Gallia gens plebeia fuit, Luperci habuiſſe cognomen ex numis intelligitur. Quum Auguſtus prouincias inter ſe & populum diuideret, auream atque argenteam quoque monetam ſuis triumuiris ſignandam dedit, aereae cura ſenatui relicta, vt ſupra pag. 74. ad num. 143. pag. 101. num. 183. & pag. 142. num. 228. monuimus. Huius poſterioris generis tres moduli inueniuntur, primae, ſecundae, & tertiae magnitudinis. *Primae* plerumque ciuicam cum lauri ramis vel globo atque capricorno habent; *ſecundae* ciuicam, vel ipſius Auguſti caput; *tertiae*, incudem cum triumuirorum nominibus. In hoc ſecundi moduli numiſmate cernitur Auguſti caput; & quia ſenatui relicta erat imaginariae libertatis illud ſignandi aeris ius, litterae S. C. i. e. *Senatus Conſulto* in altera parte leguntur. Inter illos triumuiros fuit hic Caius Gallius, qui ſe Caii filium in ſubſequenti tertio numiſmate appellat. Inter tribunos plebis A.V.C. IↃCLXXII. recenſetur C. Gallius Lupercus; huius nepos videtur fuiſſe C. Gallius Lupercus, qui haec ſignauit numiſmata. In hoc & ſequen-

quenti numismate Augustus dicitur cum *tribunicia potestate*, quae illi delata est A.V. IↃCCXXX. vt refert *Dio* lib. LIII. *Ea propter senatus Augusto hos honores decreuit, vt tribunus plebis perpetuus esset, vt quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset.* *Luperci* cognomen pluribus gentibus familiare fuit, desumtum a Lupercis sacerdotibus; vid. *thes. Morell. numism. loc. cit.* VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. I. pag. 479. sq.

251. AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*, in corona quernea, siue ciuica.

C*aius* GALLIVS LVPERCVS III. VIR A. A. A. F. F. In area S. C.

Aereum, natiua aerugine conspicuum sec. mod. numisma. *Dio*, loco laudato: *Caesari*, inquit, *multi erant honores delati, nempe vt ante ipsius domum in Palatio lauri ponerentur, ac super eas coronae querceae suspenderentur; nimirum quod perpetuus hostium victor, ac ciuium esset seruator;* conf. G. H. NIEVPOORT. *de ritibus Roman.* sect. V. cap. V. §. XI. p. m. 387. *Henr.* KIPPINGII *antiqu. Rom. edit. Batau.* pag. 471. sq. De Augusti tribunicia potestate, & C. Gallio Luperco senatus Romani triumuiro monetali, ad praecedentem aereum fusius actum est.

252. OB CIVIS SERVATOS. Media vox in corona ciuica; hinc & inde laurei sunt rami.

C*aius* GALLIVS C*aii* F*ilius* LVPERCVS III. VIR. A*uro* A*rgenteo* A*ere* F*lando* F*eriundo*. In area *Senatus Consulto*.

Integerrimum primi mod. numisma, cuius explicationem ex iis, quae binis antecedentibus aeris subiunximus, haud difficile colliges.

HERENNIA.

253. PIETAS. Caput deae Pietatis.

M*arcus* HERENNIVS. Iuuenis nudus senem magna festinatione humeris ferens; adest in imo littera T.

Asper. Herennia gens *plebeia*, sed tamen consularis fuit. Sulla

 enim

enim consule, C. Herennius tribunus plebis fuerat; vid. *Gellius* lib. X. cap. 20. p. m. 369. C. Herennius alter Sexti F. itidem fuit tr. plebis, qui Clodium, nequam atque improbum hominem, ad plebem traducere ſtuduit; vid. *Cicero* lib. I. *ad Attic.* ep. 18. & 19. *edit. Gronou.* pag. 865. ſq. Ad conſulatum tres peruenerunt Herennii; alterum horum Herennium Pollionem inter patronos laudat, & virum conſularem adpellat *Plinius epiſtol* lib IIII. ep. 9. *Fulu.* VRSINVS *iuuenem* illum Aeneam, ſenem Anchiſen humeris ferentem eſſe autumat. VAILLANTIVS, quem cel. HAVERCAMPVS ſequitur, typum hunc potius pietatem fratrum Catanenſium reſpicere iudicat. Aeneae enim pietas ſimilis depicta in numo gentis Iuliae tab. I. num. V. longius ab huius numi delineatione diſcedit. Non exiſtimamus, VAILLANTIVS ait, iuuenum illum, vt quidam putant, Aeneam Anchiſem ferentem, quem humeris geſtare ſolet, aut comitem habet Iulum, vel Aeneas Palladium tenet, ad eum indicandum; ſed videtur eſſe Amphinomus Siculus, qui, Aetna incenſa, patrem ex vrbe Catana brachiis e periculo ſubducit. Haec VAILL. *fam. Rom.* tom. I. p. 485. ſq. conf. ea, quae infra p. 175. ad num. 259. & ad ſecundum Pompeiae gentis denarium prolata ſunt.

HOSIDIA.

254. GETA III. VIR. Caput Dianae, cum arcu & pharetra ad humeros.

Caius HOSIDI*us* C*aii* F*ilius*. Aper telo transfixus, quem canis lacerat.

Ex veterum ſcriptorum verbis, qui Hoſidii Getae mentionem faciunt, ne γρῦ quidem elici poteſt, vnde, plebeiane an patricia haec gens fuerit, ſcire poſſimus. Sub Claudio imperatore vnus ex hac gente triumphalia inſignia promeruiſſe legitur. VAILLANTIVS hunc Hoſidium, cuius nomen denarius exhibet, filium illius Getae fuiſſe exiſtimat, quem proſcriptum a triumuiris teſtatur Appianus ſeruatum a filio fuiſſe, qui patri funus tanquam mortuo parauerat; vid. *Dio* lib. XXXXVII. conf. *Appian. de bell. Ciu.* lib.

IIII.

IIII. Cudit huncce denarium vt triumuir Caesaris Augusti, in quo eruditi celebratas Augusti natalibus *venationes* agnoscunt. Ob typorum in denariis similitudinem idem VAILLANTIVS concludit eodem anno Hosidium minorem hunc magistratum gessisse cum Durmio; in cuius denariis quum cel. HAVERCAMPVS ostenderit Aquillium quoque eodem tempore honore isto functum fuisse, habemus tres eiusdem anni triumuiros monetales, ex denariis suis dignoscendos, Aquillium, Durmium & Hosidium; vid. VAILLANTIVS, & cel. HAVERCAMPVS in *Hosidia gente*, conf. *Iac.* OVZELIVS pag. 500.

HOSTILIA.

255. Caput dei Pauoris arrectis prae horrore comis, atque omnibus faciei lineamentis ad pauorem compositis; retro clypeus.

Lucius HOSTILIVS SASERN*a*. Bigae, quas auriga moderatur, d. tenens habenas, l. scuticam adtollens; in bigis ipsis stat figura, l. tenens clypeum, d. hastam vel iaculum, vt vim instantium propulsaturus, stat enim auersus ab auriga, vt fugere eundem cum equis adpareat.

Optime seruatus. Hostilia gens clarissima olim in re publica fuit & consularis; amplissimae huius familiae & in monumentis Capitolinis & apud scriptores crebra fit mentio. Quoniam Hostilii genus suum referebant ad tertium Romanorum regem Tullum Hostilium, qui regnante Romulo ciuitatem adeptus fuit: hinc nihil mirum, si ferocissimi istius bellatoris gesta in hisce denariis celebrentur. *Tullus in re trepida duodecim vouit Salios, fanaque Pallori ac Pauori;* vid. *Liuius* lib. I. cap. 27. *edit. Gruter.* pag. 22. Haec *Liuii* verba mire huius & sequentis denarii imagines illustrant. *Augustinus* de *ciuit. dei* lib. VI. cap. 10. *Hostilius*, inquit, *Pauorem & Pallorem, teterrimos hominum affectus; quorum alter mentis territae motus est, alter corporis, nec morbus quidam, sed color*, scil. deos

 dedi-

dedicauit; & lib. IIII. cap. 15. *Hostilius certe rex deos & ipse nouos, Pauorem atque Pallorem propitiandos non introduceret, si felicitatem deum nosceret & coleret.* Imagines itaque eorundem rex in templis & quidem has ipsas dedicauit, *figurasse* enim deos istos dicitur *Lactantio* lib. I. cap. 20. *edit. Bünemann.* pag. 124. *Pauorem, Palloremque Tullus Hostilius figurauit & coluit. Quid de hoc dicam? nisi dignum fuisse, qui semper deos suos, sicut optari solet, praesentes haberet.* *Scutum* ad caput Pauoris ponitur, sicuti *lituus militaris* in subsequenti denario ad caput Palloris, quod primi in acie perstringi oculi soleant, & pauor inde oriri, sicut ex auditu saepissime pallor; vnde ingratos hos animi adfectus ex vtroque in timido orientes egregie describit *Virgil.* sub Anchisae persona *lib.* II. *Aen.* vers. 730.

- - - - Subito quum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per vmbram
Prospiciens, nate, exclamat, fuge nate: propinquant,
Ardentes clypeos atque aera micantia cerno.

Hinc Pauor deus clypeum retro caput habet, Pallor vero lituum militarem, ad cuius stridorem pallere pauentes & timidi solent. In auersa prioris numi pagina auriga, tanquam festinans effugere, citus bigas impellit. Insistit vir armatus clypeo & hasta propulsaturus proxime accedentes. Huius typi tres diuersas antiquariorum explicationes inuenimus; quibus quartam annectit HAVERCAMPVS. VALENS tom. I. pag. 497. stantem figuram regem ipsum esse autumat. Rex armatus, l. c. vir clar. inquit, in hostes telum vibraturus, tanquam victor in curru depingitur. Adiicit deinde coniecturam amici, qui credidit Horatium esse, regem vero Hostilium in curru sedentem exhiberi. Cl. *Laur.* BEGERVS in *thes. Brand.* tom. II. pag. 557. hic Martis retro pugnantis bigas agnoscit. Tandem cel. HAVERCAMPVS allatis in medium argumentis adductas eruditorum coniecturas reiicit, & simpliciter hostium fugam hic exprimi adfirmat. Hunc vero & sequentem numum signauit L. Hostilius Saserna, qui Iulii Caesaris temporibus

vixit

vixit, & vna cum fratre partibus eius in bello ciuili adhaesit; vid. *Hirtius* in *lib. de bell. Afric.* cap. X. *Itaque, relicto ibi* (scil. Ruspinae) *P. Saserna*, reliqua. Publius iste Lucii Sasernae, de quo nobis h. l. sermo est, frater fuit; conf. *Hirtius de bell. Afric.* cap. XXVIIII. Plura huc spectantia eruditissimo in *thesaurum Morellianum commentario* inserta deprehendes.

256. Caput dei Palloris, prolixis capillis, pone quod est lituus militaris.

Lucius HOSTILIVS SASERNA. Diana, corona radiata redimita, stans d. ceruam cornibus tenet, s. venabulum.

Affabre signatus. De aduersae paginae typis antea egimus. Cernitur in auersa *Diana* peculiari ritu vestita, dextra tenens *ceruam* cornibus, laeua sceptrum siue *venabulum.* Quod quidem ceruae symbolum ad Palloris Pauorisque, deorum, effecta referri potest, sed potius ad Dianam venatricem reuocatur, vt quae crebro cum ceruis pingi solet. Quoniamque hic denarius aliquid Leptianis peculiare habet, numen videlicet Dianae, prout ibi colebatur: hinc Lepti ab eodem illo L. Saserna, ad quem antecedens denarius pertinet, hunc itidem signatum esse VAILLANTIVS existimat; vid. *eiusd. famil. Rom. num.* tom. I. pag. 496. conf. *thes. Morell. loc. cit.*

IVLIA.

257. Caput Romae galeatum, pone quod frumenti spica est.

Lucius IVLIVS. Victoria in citis bigis.

Asper. Illustrissima gens Iulia patricia olim maiorum gentium fuit familia, quae ab Iulo, Aeneae filio, trahebat originem. Hinc *Virgil. Aeneid. lib.* I. ita canit.

Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperium oceano, famam qui terminet astris
Iulius, a magno deductum nomen Iulo.

Fulu. VRSINVS ex *spicae* symbolo bigatum hunc ad L. Iulii Caesaris

ris aedilatum pertinere autumat. Cl. VAILLANTIVS dubitat, vtrum idem ille ſpicae typus ad aedilitatem, an potius ad quaeſturam eiuſdem L. Iulii reſpiciat. Aedilis curulis, vir cl. ait, L. Iulius fuit A. V. C. IↃCXXVIII. quo denarium cudiſſe videtur, vt indicat ſpica, pone caput Romae, ob frumenti copiam in vrbe procuratam; quo ſymbolo in denariis propterea vtebantur Aediles: niſi quis dixerit, mox VAILLANTIVS addit, illum in Sicilia cuſum. L. Caeſar in hac prouincia potuit eſſe quaeſtor, & ſpica etiam ſymbolum eſt, praeſertim cum vox ROMA in denario ſolita Vrbis nota deſit. Hactenus ille. Cel. HAVERCAMPVS, VALENTIS veſtigia premit, dum: Videtur, inquit, cuſus hic denarius in quaeſtura prouinciali L. Iulii Caeſaris, ſiue in Sardinia illa fuerit, ſiue in Sicilia. Alteram enim ex inſulis iſtis frugiferis addita ad caput Romae ſpica deſignare videtur. Incertum vero eſt, paullo poſt ſubiungit, ad quem ex tot Luciis Iuliis denarius hic pertineat; reliqua; vid. *Fulu.* VRSINVS *e lit. Patin.* pag. 124. VAILL. tom. I. pag. 501. *Theſ. Morell.* tom. II. pag. 202. De *bigis*, denariorum ſolito ſymbolo, vid. p. 156. num. 238.

258. CAESAR. Caput Romae galeatum, deſuper litt. L. inuerſa. *Lucius* IVL*ius* L*ucii* F*ilius*. Venus in bigis Amorum, ſub quibus lyra eſt, in area eadem inuerſa littera L.

Bene conſeruatus. Cl. *Laur.* BEGERVS in *obſeruation. ſuis & coniecturis in numiſm.* pag. 46. Caeſaris iuuenis adhuc ſucculentam faciem, quae ſeni poſtea in laxas conceſſit rugas, in aduerſa expreſſam exiſtimat; conf. *theſ. Brand.* tom. II. pag. 601. Eruditiſſimus theſauri Morelliani interpres: Aures, inquit, Begerianae coniecturae praebebo & aduertere animum incipiam, ſi quis mihi deſignet iſtum L. Iulium L. F. qui ſignauerit numum, quis & qualis fuerit. L. Caeſar filius, inimicus Caeſaris, & ab illo in Africa occiſus eſſe nequit. L. Caeſar pater, conſularis iam & ante legatus Caeſaris, nullum cudendae monetae munus obire potuit. In Galliis ſignaſſe legatum per quaeſtores, quis dicere auſit, Caeſare tum adhuc priuato, quum viuentis imaginem nequaquam mone-

tae im-

tae imprimere liceret. Caput Romae eſt, etſi cum aliis eiuſdem artificii denariis comparetur, cuiuis adparebit, eſſe muliebre, ipſius ſcil. deae Romae, non vero Iulii Caeſaris. Haec HAVERCAMPVS. Mihi haec itidem arridet ſententia, ne vero fallam fallarque, iudicium penes peritiores eſſe volo. *Litterae alphabeticae* matricum diſtinctionem indicant. Auerſa pagina *currum Veneris* exhibet, ex qua L. Iulius, qui denarium ſignauit, originem ſe trahere gloriabatur; illa per aëra vehitur a duobus alatis Cupidinibus tracta, de quibus ita canunt poetae. *Ouid Faſt.* IIII. 1.

Alma, faue vati, geminorum mater Amorum.

Valer. Flacc VII. 171.

Tum Venus aligerum mater ſic fatur Amorum.

Vtrum *lyra* Apollinis ſit ſignum, nihil enim fruſtra in denariis ſignatur, an ad Apollinares ludos pertineat, quos in praetura forſan Iulius iſte ediderit, VAILLANTIVS dubitat. Cel. HAVERCAMPVS *lyram* hanc concordiam indicare, numumque in Galliis ſignatum eſſe exiſtimat. Verum ego, vir ſummus inquit, puto hos denarios in Galliis per quaeſtorem prouincialem, adeoque iuſſu legati Caeſaris, Lucii Iulii cuſos eſſe; qui quum per eandem cognationem ad Venerem & Aeneam atque Iulum, cum cognato ſuo C. Iulio Caeſare, qui Gallias regebat, pertineret, pulcherrimo hoc typo vſus eſt, vt vtriuſque nobilitatem & concordiam indicaret. Etſi, ignoto huius numi auctore, tempus, quo ſignatus ſit, definiri haud poſſit: tamen non tam antiquum hunc eſſe denarium, quam quem iam in hac gente deſcripſimus, patet ex typo quaeſitae a Veneris progenie nobilitatis, adeoque nequaquam ſimplici, adſcripto praeterea patris nomine, quo prior caret; vid. *theſ. Morell* tom. II. pag. 202. ſq. VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. I. p. 502. VRSINVS *loc. cit.*

259. Caput Veneris.

CAESAR. Aeneas nudus gradiens, d. Pallium praefert, ſiniſtro humero ſenem Anchiſen geſtans.

Aſper.

Asper. Haud dubie & hic denarius Iuliae gentis originem celebrat; siquidem in aduersa *caput Veneris* exhibetur, de qua Caesar ipse gloriatur in oratione, quam habuit pro rostris in funere Iuliae. *Amitae*, inquit, *meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra;* vid. *Suet. in vita Iul. Caes.* cap. VI. *edit. Graeu.* pag. 11. sq. Ἐκ γὰρ Αἰνείου, inquit Appianus, καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος; caet.

Iulius a magno deductum nomen Iulo,

inquit *Virgilius*. Huc igitur sine dubio respiciens is, qui denarium cusit, *Veneris caput* in altera parte, in altera *Aeneam sublato humeris Anchise manu Palladium* gestantem signauit. Quod quidem tanquam perfidiae & proditae patriae pretium, vt liceret illi per Agamemnonem permissum fuerat, vt humeris auferret quod potissimum putaret: quoniam autem concessam licentiam non ad diuitias retinendas, sed ad parentis senio confecti & filii & Penatium salutem converterat, hac pietate permoti principes Achiuorum remisere, vt reuerteretur domum atque inde omnia secum quae vellet auferret. Troia diruta, quo se reciperet diu quaesiuit Aeneas, tandem in Italiam peruenit, secum Penates afferens. Aeneas autem ex Creusa Iulum genuit, vnde nomen & originem se trahere iactabant Iulii: illi reges Albae regnarunt, ex qua ciuitate per Tullum Hostilium regem Iulii Romam sunt translati, & a rege in patres cooptati. *Herodianus* lib. I. *Palladium*, i. e. Mineruae signum, Romae in fano Vestae adseruatum narrat, id fuit e ligno compactum, mouens oculos atque hastam, quam manu ferebat, vt scribit *Seruius;* vid. VAILL. tom. I. pag. 504. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 125. sq. conf. *Florus* BEGERI pag. 37. *Const.* LANDI *select. numism.* pag. 7. sqq. *Iac.* OISELII *thes. antiqu. numism.* pag. 406.

260. CONS*ul* TERT*ium* DICT*ator* ITER*um*. Caput Cereris spicis exornatum.

AVGVR.

AVGVR PONT*ifex* MAX*imus*. Inſtrumenta pontificalia, capeduncula, adſpergillum, praefericulum, lituus, ad cuius litui latus litt. D. conſpicitur.

Integerrimus, qui conſulatum tertium Caeſaris coniungit cum eius dictatura ſecunda. Conſulatum tertium A.V.C. IↃCCVIII. calendis Ianuariis vna cum Man. Aemilio Lepido iniit, ſed iam ante, priori anno dictaturam ſuſceperat ſecundam; itaque initio anni conſul III. dictator II. vel iterum dicebatur. Verum poſt aliquot eiuſdem anni menſes, deuictis in Africa Pompeianis, ſenatus dictatorem eum in decennium deinceps conſtituit, & tertium dictator adpellatus fuit Caeſar, ſicque in eodem anno poſtea dictaturam conſulatumque tertio, ſecundum *Dionem*, lib. XXXXIII, geſſit. His ita praemiſſis facile patet numos haud *Dionis* teſtimonio repugnare; vid. VAILLANTIVS in *fam. Rom. num.* tom. I. pag. 508. ſq. Caeſar autem, *peracto triumpho magnificum populo dedit epulum, addito extra ordinem frumento oleoque;* vid. *Dio lib. cit.* pag. 254. Hanc donationem confirmat hic denarius, in quo *caput deae* frugiferae ſiue *Cereris ſpicis coronatum* cernitur: quare (his cel. HAVERCAMPVS addit,) littera D. quae abeſt a picturis VRSINI & VAILLANTII forſan *Dedit* vel *Diuiſit* vel *Diſtribuit*, in hoc denario deſignat, vt ita dicatur Caeſar (cuius nomen ſubintelligitur) in hoc conſulatu ſuo tertio, quum tertiam inſuper dictaturam, praeter alios auguratus & pontificatus maximi honores, iniret, Cererem (cuius deae caput in numo eſt) id eſt frumentum populo Romano dediſſe, diuiſiſſe, vel diſtribuiſſe. Vel potius ad litteras alphabeticas, vt matricum notas, ſpectat. Ex *theſ. Merell.* tom. II. pag. 206. Inſtrumenta Pontificalia illuſtrant *Henr.* KIPPINGIVS in *antiq Rom. edit. Batau.* pag. 252. NIEVPOORTIVS de *ritib. Rom.* ſect. IIII. cap. III. §. X. p. m. 296. conf. ea, quae ſupra pag. 88. num. 159. prolata ſunt.

261. Caput Veneris cum Cupidine ad collum, qui monile collo deae adaptat.

CAESAR. Tropaeum cum clypeis & lituis militaribus,

 ad

ad inferiorem partem adſident figurae lugentes, vir & mulier, tanquam captiui.

Caeſar, antequam ipſi conceſſum fuiſſet numos cum imagine ſua ſignare, *Veneris caput*, vt originem ex illa ſe ducere perſuaderet, in iis cudere ſolebat. *Victoriam de Gallis* & *Germanis* auerſae paginae typis innui eruditi autumant, vt Gallia quidem muliere moeſta paſſis atque ſolutis capillis exprimatur, Germania habitu barbari iſtius, qui manibus poſt terga reuinctis ferociter ad erecta ſpolia & ſua quondam arma reſpicit. De Ariouiſto Germanorum rege profligato & de ampliſſima hac Caeſaris victoria *Plutarchus* p. 717. *Fuſos*, inquit, *ingenti ſtrage triginta ſeptem millia quingentos paſſus vſque ad Rhenum inſequutus, campum hunc cadaueribus & ſpoliis totum compleuit. Ariouiſtus praerepta fuga Rhenum cum paucis traiecit. Cecidiſſe dicuntur octoginta millia.* Quo in loco videtur erectum tropaeum; vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* p. 129. VAILL. in *fam. Rom. numis* tom. I. pag. 505. ſq. *Theſ. Morell. numiſm.* tom. II. pag. 207.

262. CAESAR. Elephas draconem calcans.
Capeduncula, adſpergillum, ſecuris & apex.

Sacrificiorum inſtrumenta, quae auerſa denarii pagina exhibet, ad pontificatum maximum Iulii Caeſaris ſpectant. Africanam de Iuba rege victoriam aduerſae paginae typis innui plerique crediderunt antiquarii; quia ſerpentum & elephantorum magnam Africa aluit copiam; prout canit *Manilius Aſtron. lib.* IIII. p. m. 100.

Horrendos angueis, habitataque membra veneno,
Et vaſtos elephantos habet, ſaeuoſque leones.

Et *elephas* quidem *ſerpentem* vel draconem *calcat*, quia Plinio & Aeliano teſtibus iis cum draconibus perpetua eſt diſcordia. Elephantem in Caeſaris numis quidam ſignari putarunt, quod auus Caeſaris, occiſo in Africa elephante, qui *Caeſar* ibidem appellabatur, Caeſaris cognomen acceperit. Verum diu ante auum Iulii, cognomen illud familiae iſti haeſiſſe probarunt viri doctiſſimi. Errarunt

&

& alii, qui ad certamen elephantorum ab illo vt dictatore, Romam reuerso, exhibitum, referunt. In memoriam potius, vt iam diximus, victi Scipionis & Iubae denarii isti signati esse videntur; vid. VAILLANT. *famil. Rom.* tom. I. pag. 503. *Thes. Morell.* tom. II. pag. 209. conf. *Gisberti* CVPERI *exercitt. de elephant. in numis obuiis* p. 163. & passim, *Const.* LANDI *select. numism. antiqu.* pag. 24. sq. *Iac.* OVZELII *thes. antiqu. numismat.* tab. I. pag. 5.

263. CAESAR DIC*tator* TER*tium*. Caput Victoriae humeris alatis. *Caius* CLOVI*us* PRAEF*ectus*. Minerua tropaeophora gradiens, cum serpente ad pedes, d. tropaeum super humeros adtollit, l. clypeum tenet, in quo Medusae caput est, prominent a tergo tria gaesa Hispanica, dependente sub clypeo lacinia vestis.

Integerrimum sec. magn. numisma, quod curatius aeri incisum tab. III. num. VIII. conspiciendum sistimus. Insigne hoc νόμισμα Romae signatum videtur, ab vno ex praefectis vrbi Caio Clouio. Victoriarum omnium Caesaris breue continet compendium. Nam postquam rediisset in vrbem Caesar, magnificentissimos illos triumphos, quatuor quidem antea eodem mense, nouissimum vero quintum de Pompeii liberis & Hispania Romae egit. Plura in Clouia gente supra pag. 117. num. 202. ad hoc ipsum numisma prolata sunt, vnde pleniorem haurire notitiam eruditum lectorem iubemus.

264. Caput Casaris laureatum.
Quintus VOCONIVS VITVLVS *Quaestor* DESIGN*atus*. *Senatus Consulto.* Vitulus stans.

Serratus, cui trium thalerorum pretium constituunt. Non additur in aduersa epigraphe, quia cusus est a quaestore designato temporibus Octauiani Caesaris, non indigebat adponi nomen diui, quod pro lubitu in aliis adponebatur, vt ex similibus numis patet, vel omittebatur, vt ex hoc liquet. Post mortem Iulii Caesaris argen-

teum hunc denarium ſignatum fuiſſe DIVI IVLII inſcriptio, quam ſimiles quidam denarii exhibent, docet. De Voconio Vitulo, qui ad nomen ſuum adludens vitulum expreſſit, viſuri ſumus in gente Voconia.

265. DIVOS IVLIVS. Caput Iulii Caeſaris laureatum.
CAESAR DIVI F*ilius*. Caput Caeſaris Octauiani nudum.

Aereum primi mod. numiſma. Quum omnes Auguſti numi ſine exceptione rari ſint; patet hinc vnius thaleri pretium, quod huic metallioni MORELLIVS *conſtituit, omnino viliſſimum eſſe;* vid. *Euchar. Gottl.* RINCKII *de veteris numiſmatis potentia & qualitate lucubratio* pag. 182. Antequam Caeſar Octauianus Auguſti nomen adſumeret, hoc & ſimilia ſignari curauit numiſmata. In pleriſque illorum DIVI F*ilium* ſeſe vocat, quod fecit praecipue, vt oſtenderet ius ſuum haereditarium ad omnia Caeſaris, ipſumque imperium, & gratus prae caeteris, potentiam ambientibus, eſſet apud omnes, quibus grata Caeſaris erat memoria. Ex *theſ. Morell.* tom. II. pag. 216.

266. AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Auguſti nudum.
DIVVS IVLIVS. Stella crinita ſiue Iulium ſidus.

Aſper, inauratus, quem, quia tum a typis Morellianis, tum a vulgatis adhuc imperatorum Romanorum numis differt, rarioribus adnumeramus. Auguſtus, victo ad Actium Antonio, & ſolus rerum potitus, oſtendere hoc & pluribus eiuſdem generis numiſmatis voluit, mortem patris ſui Caeſaris iam omnibus modis eſſe vindicatam, ſeruatorem ſeſe ciuium merito eſſe adpellatum, adeoque patri quidem in caelis inter aſtra honorem, ſibi in terris obtingere, vt qui diuiſum imperium cum Ioue haberet, poſt fata inter ſidera quoque recipiendus. Haec HAVERCAMPVS *in comment. ad theſ. Morell.* pag. 217. conf. VAILL. in *fam. Rom. num* tom. I. pag. 529. *Sueton. in vita Iul. Caeſ.* cap. 88. *edit. Graeu.* pag. 111.

267. Caput Apollinis laureatum.

IMP*erator* CAESAR. Colonus boues agens.

Asper, subaeratus, elegans, quem primum vulgauit MORELLIVS. Respicit, eruditissimus thesauri Morelliani interpres inquit, hic denarius ad coloniam a Caesare Octauiano Carthaginem in Africam deductam. Acta videlicet omnia patris sui Iulii confirmare factaque eius imitari Octauianus studuit. Colonias vero Corinthum & Carthaginem, nobilissimas olim vrbes & vetustissimas fecerat Iulius Caesar A.V.C. IƆCCX. vti ex *Dione* lib. XXXXIII. & numis eiusdem Caesaris aereis constat. Verum Lepidus triumuir in ciuilibus discordiis, vt militarem suam potentiam firmaret, magna coloniarum parte orbauerat Carthaginem. Denuo itaque colonis frequentauit Augustus, teste eodem *Dione* lib. LII. pag. 494. Καὶ Καρχηδόνα ἐπαπῴκισεν, ὅτι ὁ Λέπιδος κ.τ.λ. Contigit haec Carthaginis instauratio altera A.V.C. IƆCCXXV. vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 219.

268. Caput dei Triumphi alatum & laureatum cum cincinnis crinium contortis, pone tridens & nauis prora.

L*ucius* IVLI*us* BVRSIO. Victoria in citis quadrigis, d. corollam praeferens, l. equorum tenet habenas.

Is qui hunc cudit denarium, L. Iulius Bursio vocatur. Ingentis vero victoriae hunc numum testem esse patet non tantum ex *deae Victoriae quadrigis*, verum etiam *dei Triumphi* capite. Imperium maris eadem victoria adsertum populo Romano fuisse per *nauis proram* & *tridentem* exprimi credimus. Cel. HAVERCAMPVS Syracusis hunc signatum esse existimat, tum quoniam vox ROMA non adscribitur, tum quia in aliis huic denario paene per omnia simillimis numis saepe minores typi, tantum in Syracusanorum numis obuii, adeoque eius vrbis officinis proprii, inueniantur. Vnde vir doctissimus suspicatur omnes hosce denarios Syracusis cusos esse a prouinciali quodam in Sicilia quaestore, vel vno ex Scipionis imperatoris quaestoribus, eo tempore, quo diruta Carthago, maris im-

perium (quod hactenus ambiguum inter duas illas vrbes fuerat) perpetuum vrbi Romae cessit. Euersa vero fuit illa vrbs A.V.C. IↃCVII. atque desiit aemula imperii orbis terrarum existere. Ex Sicilia vero in Africam traiecit Scipio, &, Romam rediens, per Siciliam itidem profectus est, quae quasi praesidiaria Romanorum erat prouincia. In ea igitur ad triumphi Africani vsum tam immensa denariorum vis cusa fuisse videtur, curante L. Iulio Bursione, qui cognomen illud nactus forsan est ab oppugnatione arcis Byrsae, munitissimi totius Carthaginis loci, atque illo cognomine, dato forsan, quod inter primos in munitionem illam irruperit, in denariis hisce superbire voluit. Familiam eius numerosam haud fuisse patet, quod nusquam in veteri historia cognominis eius mentio occurrat. Ex *thes. Morell numism.* tom. II. pag. 219. sq. conf. VAILL. *fam. Rom.* tom I. pag. 535.

IVNIA.

269. AHALA. Caput Seruilii Ahalae nudum.
BRVTVS. Caput L. Iunii Bruti nudum.

Integerrimus, longe elegantissimus, cui periti vnius thaleri pretium constituunt. Iunia gens patricia fuit temporibus regum, eos tamen, qui supersunt in numis, plebeiae fuisse familiae tribunatus plebis testantur. Ad antiquum tamen illum L. Brutum, qui quondam Tarquinios eiecerat, suam gens Iunia referebat originem. M. Iunius Brutus, Caesaris percussor & liberandae patriae auctor, Brutum & Ahalam (barbatos, iuxta antiqui temporis morem) in denariis suis signauit, quoniam per matrem Seruiliam rei publicae tutatorem, & Spurii Melii, regnum adfectantis, occisorem, Seruilium Ahalam attingebat, paternum vero genus ad Brutum, qui reges expulit, referebat, cuius aenea statua in Copitolio inter reges stricto ense posita erat, vt tradit *Plutarchus.* Ad hanc cognationem adludit *Cicero, Philipp. II. cap. 11.* his verbis: *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur ills auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum vterque L. Bruti imaginem quotidie videret,*

ret, alter etiam Abalae? Haec illum exempla ad caedem Caesaris, alia de ipso & meliora meriti, impulerunt. Lucii enim Bruti istius veteris in omnium Romanorum ore laus erat. *Tullius ad Herenn. lib.* IIII. cap. 53. p. m. 43. *Quod si nunc L. ille Brutus reuiuiscat, & hic ante pedes vestros adsit, non hac vtatur oratione? Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quae non erat, peperi: vos partam seruare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui, vos liberi sine periculo esse non curatis.* Et de *Oratore lib.* II. quamuis ibi de alio Bruto, I. Cti filio, agatur, *cap. 55. edit. Gronou.* pag. 120. *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo?* reliqua. Quare ad omnes Brutos studium & ardorem patriae liberandae tyrannorumque odium transfert idem *Cicero Philipp.* III. cap. 4. p. m. 669. *Hoc vero recens edictum D Bruti, quod paullo ante propositum est, - - - - - - regnare patietur Antonium?* Et inter praecipua coniurationis capita M. & Decimus Bruti, ad hanc ipsam pristinam gentis gloriam excitati leguntur apud *Suetonium in Iulio* cap. LXXVIIII. *edit. Graeu* pag. 98. sq. *Subscripsere quidam L. Bruti statuae, Vtinam viueres. Item ipsius Caesaris statuae, Brutus quia reges eiecit consul primus factus est, hic quia consules eiecit rex postremo factus est. Conspiratum est in eum a LX. amplius, C. Cassio, Marcoque, & D. Bruto principibus conspirationis.* Bruti vero cognomen antiquiori illi Iunio adhaesit ex simulata & salutari ipsi stultitia, quem minime Brutum fuisse, & facta eius declarant & illud *Ciceronis in Bruto* cap. XIIII. *Quis enim putet aut celeritatem ingenii - - - - oratione persuasum.* Quamuis autem ad inuidiam Brutorum, post caedem Caesaris, opprobrium eorundem nobilitati inurere voluerint Caesariani, stant tamen pro eadem *Cicero & Plutarchus.* Ille *Philipp.* I. cap. 6. p. m. 653. *Fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio dominatu rem publicam liberauit, & ad similem virtutem, & simile factum stirpem in prope quingentesimum annum propagauit.* Hic in *vita ipsius Bruti* edit. optimae pag. 984. *Paternum genus nonnulli, Bruto ob interemptum Caesarem haud obscure infensi, negant ad eum Brutum pertinere, qui reges eiecerit,*

rit, - - - - - facie sua retulisse. Seruilii Ahalae, vt diximus, caput ab altera denarii parte cernitur, quoniam M. Iunii Bruti mater ex Seruilii Ahalae posteris erat, teste ibidem *Plutarcho. Mater Bruti Seruilia ad Seruilium Ahalam genus refert;* reliqua. *Macrobius, Saturn. lib.* I. narrat Iunium mensem dictum esse a Iunio Bruto, propterea quod eo mense cal. Ian. pulso Tarquinio sacrum Carnae deae in Coelio monte voti reus fecerit; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 220. sq. conf. VAILL. *numi antiqui familiar.* tom. II. p. 1. sq. *Fulu.* VRSINVS *per* PATIN. *auctus* pag. 139.

270. LIBERTAS. Caput deae Libertatis.
BRVTVS. Consulis processus inter duos lictores cum fascibus & securibus, praeeunte accenso.

Eleganter signatus, quem tab. IIII. num. V. accurate delineatum sistimus. Idem ille M. Iunius Brutus, Caesaris parricida, etiam hunc percussit denarium. Et quemadmodum in praecedenti principis familiae suae vultum expressit; ita in hoc honorem eiusdem, vt qui primus post expulsos reges consul factus est, exhibet. Hinc *subscriptum Bruti nomen*, & *accensus consulem* atque *lictores* praeiens. Perillustr. *Ezech.* SPANHEMIVS tom. II. pag. 93. BEGERI errorem, qui duos consules Brutum & Poplicolam exprimi credidit, iam pridem refutauit. Accensus, ab *acciendo* ita dictus, minister erat consulis, qui priuatos vrbis Romae ciues ad consulem acciebat, quique ad nutum consulis praesens, vbi procederet, adesse semper debebat. *Tullius lib.* II. *de legib.* cap. 24. *Vtatur accenso*, inquit, *& lictoribus.* Maximus in re publica honos consulatus, maxima laus L. Bruti; non potuit typus magnificentior in denariis Brutorum imprimi. *Cicero* in *orat.* pro *Plancio* cap. 25 p. m. 552. *Honorum populi finis est, consulatus: quam magistratum iam octingenti fere consecuti sunt. Horum, si diligenter quaeras, vix decimam partem reperias gloria dignam. Sed nemo vnquam sic egit, vt tu. Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui ciuitatem dominatu regio liberauit? Honore nihil amplius, laude*

de multum. Traianus imperator inter pleroſque, quos reſtituit, conſulares denarios, hunc quoque reſtitutione digniſſimum iudicauit. Ex *theſ. Morell. loc. cit.* Brutus *Libertatem* procul dubio ad incitandos pro illius conſeruatione Romanos expreſſit; vid. VAILL. tom. II. pag. 4. ſq. *Fulu.* VRSINVS *loc. cit.* conf. *Florus* BEGERI pag. 59. & p. 85.

271. Caput Romae alatum, pone quod caput aſini.

Marcus IVNI*us*. ROMA. Dioſcuri haſtati in equis.

Familiarum Romanarum denariis antiquitatem Dioſcurorum typus conciliare ſolet, vnde ad altiora rei publicae tempore argenteus iſte merito refertur. *Fulu.* VRSINVS M. Iunium Silanum eum hic deſignari autumat, qui Auguſti collega A.V.C. IↃCCXXVIII. in nono conſulatu fuit. Errat autem vir clariſſimus. Auguſti enim tempore non Dioſcurorum typis, verum bigis atque quadrigis inſigniebantur denarii. Fuere olim complures ex familia Iunia Brutorum, qui Marci praenomen habuerunt; & hinc non conueniunt eruditi, cuinam M. Iunio Bruto iure hic denarius tribuendus ſit. Addita vox ROMA Romae, & quidem in quaeſtura vrbana, eundem cuſum eſſe denotat. Cl. HAVERCAMPVS ad Brutorum cognomen *caput aſini* refert, quod, vt indecorum, in numis expreſſum, nemo cauilletur, quum Furii Craſſipedes pedem tumeſcentem, (vt ſupra pag. 166. ad num. 247. vidimus) alii aliud, quod ſimiliter in dedecore poni poſſet, ſignauerint ad nominis ſui originem indicandam. M. Iunius Brutus id fecit, vt ab aliis Iuniis, qui Libonis, Perae, & ſimilia gerebant cognomina, diſcerneretur. De *Caſtore* & *Polluce*, frequenti antiquiorum denariorum typo, ſupra pag. 83. ad num. 153. dictum eſt; vid. HAVERCAMPVS *loc. cit.* VAILLANTIVS tom. II. pag. 6. *Fulu.* VRSINVS *edit. Rom.* pag. 126. conf. *Florus* BEGERI pag. 102. ſq.

272. Caput Fauni laureatum & acutis auribus praeditum, ſub quo eſt aratrum, in ambitu torquens cernitur.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* Victoria in citis bigis,

d. flagellum, l. palmam tenens & equorum habenas; sub equis est lituus militaris.

Longe elegantissimus. Praeclare docuit *Fulu.* VRSINVS, quem PATINVS, VAILLANTIVS & ipse cel. HAVERCAMPVS sequuntur, D. Silanum ex Manlia gente ad Iunios Silanos transiisse, adeoque ex prosapia Manlii, qui filium ob prouinciam male administratam abdicauit, hunc vero ipsum, vt antiquam & gentilitiam nobilitatis suae notam, *torquem*, typum Fauni, bene auriti numinis, ambientem, in denariis suis addidisse; idem enim ille torquens, a quo Torquati nomen habuerunt, in Manlia gente obseruatur. Infelix quidam D. Iunius Silanus a patre Manlio Torquato abdicatus vitam suspendio finiuit, ex istius posteris fuit D. Silanus, qui hunc signauit numum. *Valerius Maximus* lib. V. cap. VIII. ex. 3. p. m. 195. tragice casum illum exposuit. *Cum ad senatum Macedonia de filio Manlii Torquati D. Silano, qui eam prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset, a patribus conscriptis petiit, ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum, filiique sui, caussam inspexisset. Summo deinde cum amplissimi ordinis, tum etiam eorum qui questum venerant, consensu cognitione suscepta, domi consedit: solusque vtrique parti per totum biduum vacauit, ac tertio plenissime die, diligentissimeque auditis testibus, ita pronunciauit: Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & re publica eum & domo mea indignum iudico, protinusque a conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia perculsus Silanus, lucem vlterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumsit.* Vid. *Cicero* lib. I. *de finibus* cap. 7. p. m. 1086. *Quid? L. Torquatus, is, qui consul - - - - - - venire vetuit. Fauni effigies* antiquitatem Iuniae gentis denotat; refertur enim ad vocem illam, Fauni creditam, quae e propinquiore silua in castris audita est, acri pugna inter Romanos & Hetruscos ob pulsos Tarquinios commissa, quaeque iusserat Romanos bono animo esse, eos enim victoriam esse deportaturos. Haec ex *Dionysio Halicarn.* VAILLANTII est sententia; vid. *eiusd. fam. Rom. num.* tom. II. pag. 20. sq.

20. ſq. Contigit haec pugna A.V.C. CCXXXXV. Faunus vero inter deos agriculturae praeſides olim ponebatur, vnde quoque filium eius faciebant Sterculium, qui primus agrorum ſtercorationem inuenerit, eaque de ratione *aratrum* capiti Fauni ſubiungitur. Auerſae typus vel priſcam illam, de qua iam dictum eſt, populi Romani victoriam renouat, vel aliam quandam, quae D. Silano quaeſtore obtigerit, ſignificat; vid. HAVERCAMPI *comment. in theſ. Morell.* pag. 222. conf. VRSINVS *edit. Patin.* pag. 141.

273. Caput Romae galea alata tectum, retro illud litt. A.
D*ecimus* SILANVS L*ucii* F*ilius*. ROMA. Victoria in citis bigis vtraque manu equorum habenas tenens; deſuper eſt nota numeralis VIII.

Littera A. in aduerſo huius bigati typo, quum in ſimilibus denariis aliae inueniantur litterae, matricum nota fuiſſe videtur: notas autem numerales alii ad monetarios, alii ad argenti numerum referunt; vid. VAILL. *loc. cit.* Nihil noui vel ſingulare continet iſte denarius, ſimplicem enim bigatorum typum exhibet. Quoniam in hoc numo Manliae gentis, & ex illa Torquatorum familiae, inſignia abſunt; hinc VAILLANTIVS D. Silanum hunc recte diſtinguit ab illo, qui per adoptionem Iuniae familiae inſertus erat; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 234.

274. Q*uintus* CVRT*ius*. Caput Romae galeatum.
M*arcus* SILA*nus*. ROMA. Iupiter in citis quadrigis, d. fulmen tenet, l. ſceptrum & equorum habenas, deſuper caput elephantis cum proboſcide.

PIGHIVS, VAILLANTIVS & ipſe cel. HAVERCAMPVS Marcum Iunium Silanum cum Quinto Curtio, in quaeſtura vrbana hunc denarium cudiſſe autumant; nos vero eoſdem ſimul triumuiros monetales fuiſſe exiſtimamus: rationes, quibus haec noſtra coniectura innititur, ſupra pag. 139. eidem huic numo in gente Curtia ſubiunximus.

275. BRVT*us* IMP*erator*. L*ucius* PLAET*orius* CEST*ianus*. Caput Bruti percuſſoris Caeſaris, nudum.

EID*us* MAR*tiae*. Pileus inter duos pugiones.

Subaeratus, aſper, rariſſimus, quem ſumma periti artificis induſtria aeri inciſum tab. IIII. *num.* V. *exhibet. Huic denario quinquaginta thalerorum pretium ipſi conſtituunt antiquarii: interdum autem amor numi omni ratione valentior eſt, ita vt numerum huncce definitum ad decuplum augeat; tanta eſt interdum ementium temeritas. Ne vero mendacii me arguant imperiti, prodeat teſtis celeb. Euerbar. Gottl.* RINCKIVS, *ex cuius elegantiſſimo de veteris numiſmatis potentia & qualitate libello haec depromta ſunt.* Eximius iſte denarius multa nobis in hiſtoria Romana memorabilia ante oculos ponit. En illius Bruti effigiem, qui Caeſarem interfecit, titulum imperatoris, quem adfectauit & adeptus eſt, gloriam cum Caſſio communicatam in caede Caeſaris & reſtituenda libertate; quae omnia mirifice *Dionis* verba illuſtrant, & ab illo viciſſim lucem accipiunt. Vbi enim narrauit, quomodo, victis Beſſis, imperatoris titulum adeptus fuerit, addit, numiſma quoque ab eo percuſſum fuiſſe, in quo imaginem ſuam ſignauerit & typum patriae a ſe atque Caſſio in libertatem vindicatae. *Dionis Caſſii* verba audienda ſunt. Scribit is lib. XXXXVII. in hunc modum: Βροῦτος μὲν ταῦτά τε ἔπρασσε, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πῖλιον, ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου· δηλῶν ἔκ τε τούτου καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ Κασσίου ἠλευθερωκὼς εἴη. id eſt. *Haec Brutus egit: qui etiam numiſmati quod cudebat, ſuam imaginem cum pileo ac duobus pugionibus impreſſit, eo & inſcriptione declarans, patriam a ſe & Caſſio eſſe in libertatem vindicatam.* Hinc in auerſa numi pagina *pileus* ille *libertatis*, quo, qui libertatem accipiebat, donabatur, expreſſus eſt. Vtriuſque praeterea & Bruti & Caſſii in caede Caeſaris & reſtituenda patriae libertate gloria in eadem numi parte cernitur; ideo enim medius pileus inter *duos* ponitur *pugiones*, vt manu Caſſii aeque ac Bruti

creda-

credamus libertatem populo Romano caede tyranni restitutam fuisse. *Facies Bruti* in hoc denario cernitur, vtpote cuso a legato Bruti Plaetorio, cernitur autem iuxta Plutarchi descriptionem macilenta; a pallidis enim & macilentis, altaque eorum cogitatione cauendum sibi Caesar dixit apud *Plutarchum in vita Caesaris* pag. 737. *Iterumque delatis apud eum Dolabella & Antonio, quasi ii res nouas machinarentur, dixisse fertur, se sibi haud magnopere a crassis istis crinitisque metuere, sed a pallidis istis atque macilentis: Cassium & Brutum notans.* Vid. *thes. Morell* tom. II. pag. 225. sq. VAILL. *in fam. Rom. num.* tom. II. pag 8. conf. OISELII *thes. antiqu. numism.* p. 438. Cl. RINCKIVS in *laud. opusc.* pag. 178. sq.

276. *Aulus* POSTVMIVS CO*nsul.* Caput nudum A. Postumii consulis & dictatoris.
ALBINVS BRVTI F*ilius.* in corona spicea.

Asper, qui iudice MORELLIO *thalerum valet* Cl. HAVERCAMPVS Brutum hunc D Bruti, A.V.C. IↃCLXXVI. consulis, filium fuisse existimat, qui quum sese & Aulo Postumio Albino adoptandum dedisset, & Iunius & Albinus passim vocatur, atque nunc D. Brutus, nunc Brutus Albinus apud scriptores dicitur, in denariis vero seipsum scripsit Albinum Bruti filium. Hic quoque Brutus inter hostes Caesaris fuerat, atque partium Pompeianarum. Vita tamen donatus, & muneribus auctus, non modo inter praecipuos Caesaris amicos locum tenuit, sed & inter secundos eius haeredes est scriptus & consul in annum sequentem designatus. Nihilominus coniuratis sese adiunxit, atque inter percussores exstitit. Vnde lege Pedia damnatus consulatum non iniit, verum hostis iudicatus bello ab Antonio petitus est, atque post toleratam fortiter Mutinae obsidionem, quum clam in Macedoniam ad M. Brutum fugere vellet, agnitus in fuga atque interfectus fuit. Expressit in hoc denario *nobilitatem gentis Postumiae*, cui per adoptionem insertus erat; eius vero praeclarum decus erat Postumius dictator, cuius pugna ad lacum Regillensem memorabilis, in Postumiorum quo-

que denariis celebratur. Ab altera numi parte exhibuit *coronam ſpiceam*, quae itidem ad Poſtumium ſpectat, votumque eius, quod illo in proelio fecit, de aede Cereri Libero Liberaeque dedicanda, ſi per victoriam rerum vbertas Romanis redderetur; quam dedicatam a conſule Caſſio fuiſſe ſcribit *Dionyſius Halicarnaſſaeus* in fine lib. VI. pag. 414. Κάσσιος δὲ ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων, κ.τ.λ. Videntur vero omnes hi numi cuſi fuiſſe eo tempore, quo iam bellum ciuile contra Antonium adminiſtrabat D. Brutus, qui tanto lubentius dictatoris conſuliſque A Poſtumii facie denarios ſuos decorauit, quod ſicut ille contra Tarquinios exſules regnum repetentes, Latinoſque in auxilium vocantes, bellum geſſerat, ſic ipſe, pro exſtirpanda tyrannide, reliquias Caeſareanae dominationis proſequeretur; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 231. conf. VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. II. pag. 15. VRSINVS *edit. Patin.* p. 144. ſqq.

277. PIETAS. Caput deae Pietatis.

ALBINVS BRVTI *Filius.* Duae dextrae iunctae caduceum alatum tenent.

Duae dextrae caduceum, felicitatis ſymbolum, tenentes Bruti & Panſae militum concordiam denotant. Eo enim tempore cuſus eſt iſte denarius, quo Mutinae per Antonium obſidione cinctus Decimus Brutus, victoria, quam conſules Hirtius & Panſa de Antonio retulerant, fuit liberatus. Id dextrae iunctae indicant, quae mutuam fidem deſignant, ex qua nata felicitas, quae caduceo ſignificatur; totum vero illud imputabant pietati in patriam & ciues, vnde *deae Pietatis imago* in parte anteriore; vid. VAILL. in *fam. Rom. num.* tom. II. pag. 16. conf. cel. HAVERCAMPI *comment. in theſ. Morell.* pag. 232. *Fulu.* VRSINVS *loc. cit.*

LICINIA.

278. *Lucius* COSC*onius* M*arci* F*ilius.* Caput Romae galeatum.

L*ucius* LIC*inius.* CN*eus* DOM*itius.* Mars in citis bigis, d. haſtam protendens, l. parmam tenet & lituum militarem.

Lici-

Licinia gens *plebeia* quidem fuit, illuſtres tamen familiae, virique conſulatu & pontificatu maximo clariſſimi ex ea orti ſunt. Supra pag. 136. in Coſconia gente, & pag. 141. in gente Domitia tum de huius denarii pretio, tum etiam de typis & illis, quorum nomina in denario exprimuntur, vberius egimus.

279. *senatus consulto.* Caput Veneris Victricis laureatum.
publius CRASSVS *marci filius* Figura militaris, veſte ſuccincta, d. equum gradientem capiſtro ducens, ſiniſtra, qua haſtam tenet, clypeo innititur, ante pedes modius cernitur.

MORELLIVS in *epiſt. ad cl.* PERIZONIVM ita de auerſae paginae typis ſcribit: Quid ſeptimus Liciniorum numus ſibi velit, cum primis ſcire deſidero. Nam figura muliebris equum ducens galeata eſt, habetque ad pedes modium; vix ergo ad cenſorem referri poterit, prout viri peritiſſimi iam ſcripſerunt; vid. *Chriſtoph.* WOLTERECKII *electa rei numariae* pag. 65. Reſpondit PERIZONIVS: Numum ſeptimum Liciniae gentis habeo, ſed obſcuriorem, quam vt figurae in auerſa parte exhibitae liquido cognoſci poſſint. Magis tamen, vt ingenue agam, figura equum ducens videtur virilis, expeditis quippe pedibus, quam muliebris; ſed & ſub equo quod conſpicitur, propius mihi ad clypeum videtur accedere, quam ad modium. Sed & videtur clypeus pedibus hominis adpoſitus congruere cum haſta, quam idem ſolo infixam ſiniſtra manu tenet. Quocirca prorſus putem hoc numo deſignari equitum tranſuectionem & probationem. Vide *Valerium Maxim.* II. 2. 9. & illuſtrem SPANHEMIVM pag. 550. 551. Haec PERIZONIVS, cui, quoad tranſuectionem & probationem equitum adſtipulantur VAILLANTIVS aliique meliores antiquarii, prout in hac ſententia ipſe illuſt. SCHVLZIVS, cuius tranquillos manes veneror, adquieuit. Cenſorum inter alia quondam erat dignitas, ſenatorem mouere loco, & equiti adimere equum & annulum, ſi quis ſcilicet improbis moribus eſſet. Etiam equites ante eos tranſmittebant

equos,

equos, & si quis equum habere gracilentum, aut parum nitidum, visus erat, impolitiae, id est, incuriae notabatur. Ideo denarius nobis exhibet equitem stantem, capistro equum tenentem, & laeua hastam; in cuius imo clypeus cernitur. Consulendus est cl. NIEVPOORTIVS in *succincta rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, explicatione* sect. II. cap. VIIII. p. m. 118. sqq. De *modio*, qui praeter clypeum in auersa numi parte exprimitur, a cl. PERIZONIO itidem doceri volebat MORELLIVS, de illo autem silet vir doctissimus. Quod, si HAVERCAMPO credimus, accidit, quoniam modium in suo non inuenerat PERIZONIVS; sine modio enim FVLVIVS quoque, PATINVS, & VAILLANTIVS depinxerunt. Vnde thes. Morelliani interpres autumat, & modium & clauam, quae in similibus denariis aliquando cernitur, ad monetariorum officinas, siue signa monetariorum referri debere. In cusi denarii tempus inquiramus. P. Crassus M. F. P. N. A. V. C. IↃCC fortissime contra Parthos dimicans cecidit. Hic vna cum Iulio Caesare fuerat in Gallia. Namque nominatim, vt adolescentis, mentionem facit ipse *Caesar de bello Gallico* in fine lib. I. *Id quum animaduertisset P. Crassus adolescens, qui equitatui praeerat*, & lib. III. cap. 7. *P. Crassus adolescens cum legione VII.* caet. Eiusdem Crassi res gestae in Galliis percensentur eodem *lib.* III. cap. 20. Videtur itaque, vt quaestor, eo tempore Caesari adfuisse, atque in Galliis hunc denarium cudisse, in quo ab altera parte *Veneris Victricis* caput in honorem Caesaris expressit, ab altera vero parte *symbolum censurae*, quam dignitatem & pater & auus gesserant. Ad caput Veneris Victricis *litterae* S. C. leguntur, inde vt opinamur, quod Caesari in Galliis magnas res gerenti procurantibus Pompeio & Crasso ex senatusconsulto in quinquennium prorogatum fuerit imperium. Ex *thes. Morell. numism.* tom. II. pag. 238. conf. VAILL. tom. II. pag. 31. VRSINVS *edit. Paris.* p. 149.

279. ROMA. Bustum Romae, capite galeato, ante quod iuxta frontem luna crescens, d. spiculum super humeros tenet,

net, ad humerum laeuum clypeus, cui eques insculptus est, cernitur; adest solita denarii nota.

Publius NERVA. Cancelli comitiorum cum ponte, in quo vir togatus cernitur a diribitore tabellam accipiens, itemque alius vir togatus tabellam similem post inscriptum suffragium deiiciens in cistam.

Integerrimus, *quem*, *quia in comitiis rationem ferendi suffragia ante oculos depingit*, tab. IIII. num. VII. *odumbratum sistimus*. Dubitat VRSINVS, vtrum ad gentem Liciniam ad Siliam hic denarius referendus sit; vtrique enim Neruae cognomen fuit. In Silia vero eundem reposuit VAILLANTIVS, quod nullus praenomine Publius inter Licinios Neruas inueniatur. Antiquior vero, HAVERCAMPO iudice, hic denarius est, quam vt ad P. Silium Neruam, qui A. V. C. IↃCCXXXIIII. cum M. Appuleio consulatum gessit, referri possit. Cl. VAILLANTIVS e PIGHIO obseruat, latam a duobus tribunis plebis P. & M. Silio Nerua de ponderibns coaequandis, cuius *Festus* meminerit, legem: a quo proinde P. Silio, aut ab eius filio, lata sit forte lex de comitis aut suffragiis ferendis, ad quam hic numus respiciat. Nam in parte auersa expressa sunt *septa* siue *cancelli* comitiorum, quibus populus suffragium laturus includebatur: *pontes*, quos C. Marius lege sua angustiores fecit, ne quis illic praeter eum, qui suffragium ferret, consistere posset ad adpellandum rogandumque: *cista* praeterea, in quam suffragia coniiciebantur, & *diribitor*, seu tabellarum custos, a quo Romanus senator vnam accipit, & alter tabulam in cistam demitit, pro magistratibus creandis. Et forsitan circa tempus comitiorum habendorum, quo illud mense oportunius fieri posset, aliquid ex rogatione Silii Neruae statutum fuit, quod indicare *luna* crescens videtur, quae in priore denarii parte supra frontem Romae cernitur; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 239. VAILLANTII *fam. Rom.* tom. II. pag. 423. *Fulu.* VRSINVS *per* PATIN. *auctus* pag. 150. conf. *Ezech.* SPANHEMIVS *de praest. & vsu numism.* tom. II. p. 192 sq.

Iac. OISELII *thes. antiqu. numism.* pag. 548. NIEVPOORTIVS sect. I. cap. VII. §. VIIII. p. m. 59.

281. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* PO-T*estate*. Caput Augusti nudum.

AVLVS LICINIVS NERVA SILIAN*us* III. VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. In area numi S. C.

Aereum sec. mod. numismo. Ex gente Silia in Liciniam transiit iste Nerua. A. Licinius Nerua, quum prolem non haberet, sibi adoptauit P. Silii Neruae filium, vt innuit *Paterculus*, lib. II. cap. 116. Hinc Auli praenomen accepit, & Silii nomen produxit in Silianum. Hic triumuir monetalis senatus est factus, & Augusti effigiem, vt moris erat, percussit; vid. ea, quae supra pag. 168. ad num. 250. de aerea Augusti temporibus senatus Romani moneta prolata sunt.

282. Caput Veiouis, fulmen trisulcum vibrantis, cum humeris.

C*aius* LICINIVS *Lucii Filius* MACER. Pallas in quadrigis d. hastam vibrat, s. scutum & habenas tenet.

Licinius iste procul dubio in quaestura prouinciali hunc percussit denarium, in cuius anteriore parte *Veiouis* ad nocendum paratus exhibetur, ideo *fulmen vibraturus*: in auersa *Pallas galeata* in *quadrigis* pro Victoria quadrigatorum symbolo. Nam temporis successu variarunt denariorum typi: vnusquisque magistratuum ex arbitrio, deam vel deum, quem peculiari honore coleret, aut quauis alia de caussa, exhibuit. Praeturam postea gessit, praetorius enim repetundarum fuit accusatus Cicerone praetore, & damnatus. *Plutarchus in vita Ciceronis* pag. 865. commemorat, Macrum hunc, cum de pecuniis repetundis apud Ciceronem accusatus esset, & iudices sententias ferrent, fretum sua potentia & studio amicorum domum abiisse & caput statim totondisse, sumtaque veste pura tanquam victorem in forum reuertisse, sed cum Crassus in vestibulo occurrens, eum omnibus sententiis damnatum esse dixisset,

reuer-

reuerſum accubuiſſe, & viuendi finem feciſſe. Paullo aliter hanc rem narrat *Valer. Maximus*, lib. VIIII. cap. XII. exempl. 7. p. m. 344. *Cicero, ep. 4. lib.* I. *ad Attic. edit. Gronou.* pag. 857. *Nos*, inquit, *incredibili ac ſingulari populi voluntate de C. Macro tranſegimus, cui cum aequi fuiſſemus, tamen multo maiorem fructum ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepimus; quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus;* conf. *Cicero in Bruto* cap. LXVII. p. m. 164. vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 154.

LIVINEIA.

283. Caput Liuineii Reguli nudum.

LUCIUS LIVINEIVS REGVLVS. Modius frumento plenus inter duas ſpicas hinc inde erectas.

Liuineia gens *plebeia* fuit, cuius vna tantum Regulorum familia apud ſcriptores reperitur. Nam L. Liuineius Trypho, cuius *Cicero* in *epiſt. fam. lib.* XIII. *ep.* 60. p. m. 830. meminit, libertus fuit L. Reguli huius, quem in denariis habemus. Non licebat olim vllius niſi iam demortui vultum in denariis exhibere; hinc illuſtris cuiuſdam Liuineii Reguli imaginem, quam in hoc & ſequentibus denariis cernimus, expreſſit forte filius. Regulum, qui ſignauit numum, praefectum vrbi ſub Caeſaris dictatura fuiſſe hic & ſequentes denarii oſtendunt. *Modius* enim *frumento plenus* atque *ſpicae* curam annonae denotant, quam hi praefecti geſſerunt, ſicuti infra in priori gentis Norbanae denario ob eandem rationem ſpica adponitur; vid. VAILL. *fam. Rom. num.* tom. II. p. 56. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 245. ſq. conf. cel. HAVERCAMPI *praefatio ad* MORELLII *theſ. numiſmatic.* NIEVPOORT. ſect. II. cap. XI. §. II. p. m. 128.

284. Caput idem L. Liuineii Reguli, ſine inſcriptione.

LUCIUS REGVLVS. Pugna ferarum, in qua varii generis ferae dignoſcuntur, taurus, tigris, & leo; leonem, longo armatus venabulo, exceptum conficit venator, contra tigridem, clypeo & venabulo armatus alter, inſurgit.

Varia Circensium ludorum olim erant genera: cursus nempe, lucta, pugna equestris, venatio, caet. Venatio, quam auersa huius numi pagina adumbratam sistit, erat pugna ferarum inter se, vel cum hominibus sponte pugnantibus. Aliquando bestiae pugnabant cum bestiariis ad hanc poenam damnatis, quod in christianos, persequutionum tempore, frequentissimum erat. Leones, vrsos, elephantos, imo & alias rariores feras incredibili multitudine ex Africa aliisque dissitis regionibus extrahebant, quae, donec ludorum tempus appeteret, in viuario seruabantur & saginabantur. Cura solemnium horum ludorum, qui immani sumtu ad insaniam vsque fiebant, ad aediles pertinebat; vid. NIEVPOORTIVS *in succincta Romanorum rituum explicatione* sect. IIII. cap. V. & sect. II. cap. V. §. II. pag. 96. sq. & p. 312. sq. Ex *Dione Cassio* HAVERCAMPVS obseruat praefectos vrbis, quos constituit Caesar sub Lepido, quum anno IↃCCVIII. in Hispaniam abiret, omnia magistratum iura habuisse; vnde nihil mirum si venationes populo dederint & in numis expresserint; vid. HAVERCAMPI *comment. in thes. Morell.* p. 246.

285. L*ucius* REGVLVS P*ater* R*eguli.* Caput L. Liuineii Reguli patris nudum.

REGVLVS F*ilius* PRAEF*ectus* VR*bi.* Sella curulis, hinc & inde consulares fasces eriguntur.

Paullulum detritus. Quum Caesar A. V. C. IↃCCVIII. in Hispaniam cum exercitu proficisceretur, Vrbis custodiam M. Aemilio Lepido commisit, cui sex, vel (vt alii volunt) octo praefectos adiunxit. Eodem fere iure, quo praetores vrbani, hi praefecti Caesaris gauisi fuisse videntur. Symbolum eius dignitatis erat *sella culis*, & *fasces*, quae potestatis summae signa concessa a Caesare hisce praefectis vrbi fuisse disertis verbis docet *Dio Cassius* in fine lib. XXXXIII. vid. *thes. Morell. loc. cit.*

LOLLIA.

286. LIBERTATIS. Caput deae Libertatis.

PALI-

PALIKANVS. Vetera roſtra, cum adfixis ad columnas nauium roſtris; ſupra roſtra menſa cernitur.

Aſper, ſubaeratus, cui Morelliana numorum conſularium aeſtimatio vnius Ioachimici pretium conſtituit. Lolliam gentem *plebeiam* fuiſſe conſtat; ex ea enim ortus eſt M. Lollius Palicanus tr. pl. quem hominem ſeditioſum appellat *Valer. Maximus*, lib. VIII. cap. I. Ad hunc ſpectat argenteus iſte denarius; in cuius altera parte *roſtra* populi Romani, in altera *Libertatis caput* expreſſum eſt. De roſtris ita ſcribit *Liuius: Naues Antiatium paſſim in naualia Romae ſubductae, partimque incenſas, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit;* caetera. *Ante curiam Hoſtiliam*, inquit *Varro*, *ex hoſtibus capta fixa ſunt roſtra. Cicero in orat. pro lege Manil. Et his temporibus*, inquit, *non pudebat magiſtratus populi Romani in hunc ipſum locum aſcendere, cum eum vobis maiores veſtri exuuiis nauticis & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent.* Quia vero in roſtris habebantur conciones a tribunis plebis, vt ſcribit idem *Cicero in Piſonem*, & tribunicia poteſtas a Sulla tribunis adempta, Palicano auctore, populo fuerat a Pompeio reſtituta, ob eam cauſſam Palicanus, qui A.V.C. IↃCLXXXI. tr. pl. fuit, in hoc denario *roſtra* ſignauit. *Libertatis imago* in antica ideo impreſſa eſt, quod roſtra eſſent Libertati ſacra, vel potius quod libertatis reſtitutor videretur tr. pl. Palicanus, reddito iure tribunicio plebi Romanae, quae iſto potiſſimum tueri ſe contra optimatum potentiam poſſe credebat. *Menſam*, quae roſtris impoſita cernitur, temere plerique neglexerunt antiquarii. Audiamus de eadem cl. HAVERCAMPVM. Menſa ipſa, vir ſummus inquit, ad roſtra quidem nihil pertinet, ſed ex ſculptoris licentia illi ſuperponitur, dum plures ſimul patris ſui dignitates filius Palicanus in vno denario exprimi, pro temporum illorum luxuria, voluit. Menſa & praetorum erat & quaeſtorum, quaeſtura itaque hic M. Lollii Palicani patris innuitur. Hactenus cel. HAVERCAMPVS; vid. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 158. *Theſ. Morell.* tom. II. pag. 248. OISELII *theſ. antiqu. numiſm.* p. 527.

LVCILIA.

287. PV*blicum.* Caput Romae altatum, in corona laurea.
Marcus LVCILI*us* RVF*us.* Victoria celeres agens bigas.

Asper. VRSINVS, VAILLANTIVS & ipſe cl. MORELLIVS in aduerſa huius denarii pagina legunt *Argentum* PV*blicum;* nos vero priorem litteram A. in integerrimo hoc denario non offendimus. Lucilia gens *plebeia* fuit. *Bigatum* hunc ex argento publico ſignatum eſſe aduerſae litterae indicant. *Laurea* Romam victricem & ſemper triumphalem deſignat.

LVRIA.

288. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus.* Caput Auguſti nudum.
Publius LVRIVS AGRIPPA. III.VIR A. A. A. F. F. in area S. C.

Aereus ſec. mod. numus. Luria gens ante tempora Auguſti non noſcitur, vnde patet ignobilem fuiſſe. Hoc numiſma nihil peculiare exhibet.

LVTATIA.

289. CERCO. ROMA. Caput Romae galeatum, galeam palmae ramus inter duas ſtellas exornat.
Quintus LVTATI*us Quaeſtor.* Triremis praetoria, quam in puppi acroſtolium, in prora caput Romae Victricis galeatum, velut tutela nauis, exornat; typus includitur corona quernea.

Lutatia gens *plebeia* fuit, ſed conſularis. Adſcripta vox ROMA Romae numum prodiiſſe denotat; & hinc denarium hunc in vrbana Lutatii quaeſtura ſignatum eſſe exiſtimamus. Si vero VAILLANTIVM ſequamur, cuſum dicemus a Lutatio quaeſtore prouinciali, quum A.V.C. Iↄ. cum conſulibus Seruilio Caepione & Sempronio Blaeſo, in Siciliam & Africam proficiſceretur. Conſules enim illos cum claſſe CCLX. nauium in Africam profectos fuiſſe docet *Eutropius lib.* I. Putat itaque VAILLANTIVS a quaeſtore illo prouinciali Romae fuiſſe cuſos, ad impenſas tantae claſſis, & coro-

nam

nam querneam, vt felix omen, in numo depingi, quamuis ſatis infelix fuerit expeditio, & ex tempeſtatibus tanta clades illata, vt CL. nauibus cum omni praeda amiſſis, decretum Romani fecerint, maris fortunam non amplius tanto adparatu eſſe tentandam, ſed ſexaginta tantum naues ad praeſidium orae Italiae maritimae eſſe retinendas. Verum ego, cel. HAVERCAMPVS addit, non video cauſſam, cur ſtatuatur hoſce denarios potius in quaeſtura prouinciali quam vrbana cudiſſe Lutatius. Certum enim eſt fuiſſe vrbanum quaeſtorem antequam obtineret quaeſturam prouincialem; & ſolebat quaeſtura vrbana plerumque vnius anni ſpatio praecedere prouincialem. Cui eius quaeſturae vrbanae fauere videtur VOX ROMA, neque minor apparatus belli maritimi, feliciorque ſucceſſus fuit anno ante quaeſturam Lutatii prouincialem, videlicet A.V. CCCCLXXXXVIIII. coſſ. Cornelio Scipione Aſina & Atilio Calatino, quibus illo anno claſſis & prouincia Sicilia decreta fuit. Tanto tum ſtudio in belli Punici vſum fabricata claſſis fuit, vt trium menſium ſpatio CCXX. naues exſtructae fuerint atque in mare deductae; qua diligentia & clades, quas anno ante paſſi fuerant, reparauerunt, & Panormum in poteſtatem ſuam redegerunt; quo etiam anno conſules anni praecedentis Fuluius & Aemilius XIII. cal. Febr. triumphos nauales de Poenis egerunt, quamuis saeuienti tempeſtate naufragii damna experti fuiſſent. Hinc putat vir cl. per *praetoriam* illam *nauem* exprimi naualem illam Romanorum potentiam, & tantam claſſem tam breui tempore ornatam; per *coronam querneam*, victoriam ſiue illius anni ſiue prioris, qua ſeruatum quaſi Romanum erat imperium, & quam reſpicit quoque *galeae ornatus* in capite ipſius Romae, a parte numi priore, ad aurem enim eſt *palmae ramus*, victoriae ſignum cum *duobus aſtris*, quod in Africano orbe tantas victorias conſules Romani retuliſſent, ſic vt vbique fulgerent victricia Romanorum arma; vid. *theſ. Morell. numiſm.* tom. II. pag. 254. Cl. *Laur.* BEGERVS iuxta mentem VRSINI credidit duplicem Lutatiorum victoriam hoc denario exprimi, terreſtrem de Faliſcis, & naualem de Poenis; conf. *theſ. Brand.* tom. II. pag. 562.

MAECI-

MAECILIA.

290. CAESAR AVGVSTVS *us* PONT*ifex* MAXI*mus* TRIBVNICI*a* POTE*state*. Caput Caesaris Augusti nudum.

Marcus MAECILIVS TVLLVS III. VIR A. A. A. F. F. in area S. C.

Aereum sec. mod. numisma, quod quinque thalerorum aestimant. Maecilia gens plebeia, nec factis clara fuit. Augusti effigies, & solita senatusconsulti nota M. Maecilium hunc, sub Augusto, senatus triumuirum monetalem fuisse demonstrant. Supra p. 168. sq. vberius de aerea senatus Romani moneta actum est.

MAMILIA.

291. Caput Mercurii cum petaso & caduceo.

I. C*aius* MAMIL*ius* LIMETAN*us*. Vlysses redux & a cane agnitus.

Serratus, asper. Littera I. in illis, quos vulgauit HAVERCAMPVS, *haud comparet. Ab iis igitur nostrum diuersum esse coniicimus.* Mamilia gens, etsi vetustissima, tamen *plebeia* fuit; a Mamilia filia Telegoni, Vlyssis & deae Circes filii oriunda. Ad indicandam generis sui nobilitatem, & ex Vlysse originem, C. Mamilius Mercurium, & Vlyssem, post vigesimum annum ab Homerico cane agnitum, expressit. *Mercurius* ex anteriore parte signatus est, ad designandam Vlyssis per matrem ab eo originem. Vlyssem enim ab vtroque parente Iouem & Mercurium proauos habuisse fabulosa narrat antiquitas. Auersa *Vlyssem* exhibet, qui post longos errores & pericula naufragiaque, mendicus in Ithacam appulsus, domum petens, nemini in patria notus, quam Argo cani suo, qui ideo illi adblandiens adumbratur. Telegonus Vlyssis & deae Circes filius, quum esset adolescens, ad Ithacam insulam inuisurus patrem aduenit, & quum ex naui descendere vellet, eius famuli cum regiis contenderunt & aliquot ex iis occiderunt, ad suorum auxilium senex Vlysses accurrens a Telegono piscis osse interemptus est. Quod quum se patrem occidisse Telegonus accepisset, in Ita-

liam

liam nauigauit & Tibur condidit, vbi Mamiliam genuit, a qua gens Mamilia propagata eſt; vid. *Fulu.* VRSINVS, & VAILLANTIVS in gente Mamilia.

292. L*ucius* CENSORIN*us*. Caput Iunonis Monetae velatum.
C*aius* LIMETA*nus*. P*ublius* CREPVSI*us*. Eadem dea in citis bigis, vtraque manu equorum habenas regit; adſcribitur numerus ⊥XVI.

Nomina tria, quae in hoc denario occurrunt, triumuirorum ſunt monetalium, vnde *Iunonis Monetae caput* & *bigae* in eodem apparent. Iam ante in gente Crepuſia p. 137. denarii huius interpretationem dedimus.

MANLIA.

293. L*ucius* MANLI*us* PRO Q*uaeſtore*. Roma galeata.
L*ucius* SVLLA IMP*erator*. Dictator L. Sulla in quadrigis triumphalibus ſtans, d. caduceum, l. equorum habenas tenet; Victoria aduolans corollam ipſi porrigit.

Aſper. Manlia gens, nobiliſſima & patricia, in plures familias & cognomina diſtincta fuit. In numis Torquati ſuperſunt. De Sulla & alterius partis typo, iam ſupra pag. 134. num. 218. egimus. Manlius Torquatus, qui quaeſtor Sullae in bello Mithridatico adfuerat, vna cum illo in Italia contra Marianam factionem proquaeſtore pugnauit, vt in *vita Sullae* pag. 471. docet *Plutarchus*, vbi narrat Dolabellam & Torquatum multis oraſſe Sullam, ne, laſſis militibus ſuis & defatigatis, de ſumma rerum cum Samnitibus & Lucanis decerneret; ſed illum auerſatum eoſdem, ſtatim claſſicnm canere iuſſiſſe iam ſub decimam horam die inclinante, atque egregie viciſſe; vid. *comment. in theſ. Morell.* pag. 259.

294. Caput Romae galeatum.
AP*pius* CL*audius* T*itus* MANL*ius* Q*uaeſtores* VR*bani*. Victoria in trigis.

Alter horum quaestorum ex Claudia gente fuit, alter T. Manlius ex Manlia, propterea que hic numus, quem iam in Claudia gente descripsimu, ob Manlium ad hanc pertinet familiam. Vberius supra pag. 113. num. 197. de eodem hoc denario actum est.

MARCIA.

295. Caput Philippi, regis Macedonum penultimi, galeatum & diadematum, ad frontem duo cornua hircina prominent; littera sub mento initialis Graeci nominis Philippi est, ad occiput monogramma vrbis Romae cernitur.
Lucius PHILIPPVS. Eques, d. laureum ramum tenens; sub equi ventre frutex aculeatus conspicitur, in imo denarii nota.

Integerrimus, longe elegantissimus, quem tab. IIII. *num.* VIII. *delineatum damus*, quemque facies Philippi, Persei, vltimi Macedonum regis, patris, conspicuum facit. Praeter hircina cornua, in insigni hoc denario notari debet galeae noua figura, quae non totum caput tegit, sed tempora tantum, & malas, atque loro sub mento colligatur, ita vt capilli nudi per totum occiput cernantur, id enim plane in denariis ita se habet, & gestamen huius Philippi fuisse videtur. Graues caussae fuere, cur a Marcia gente, & praesertim Philippo, Macedoniae rex Philippus in denariis signaretur, licet enim Macedonici regni destructio L. Aemilio Paullo debeatur, multum tamen ad illam contulit auus huius L. Marcii Philippi, cui ad hoc bellum misso, graui iam senio & corpore successerat ille L. Aemilius Paullus. In legatione ad Perseum callide rei publicae Romanae commoda promouerat, maxime aptus ad circumueniendum regem, magnam in illo spem habentem propter ius hospitii patris sui regis Philippi cum gente Marcia. *Liuii* verba, quae hanc rem plurimum illustrant, digna sunt, quae allegantur; scribit is de hac legatione lib. XXXXII. cap. 38 & 39. p. m. 1133. seqq. *Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt*, - - - - *Facile persuasum id regi est.* Huius

ius congressus caussa & spei pacis datae illa erat ratio, vt interea vrbes Graeciae a Philippo alienarent Romani, praesidiisque firmarent, quod strenue cum reliquis legatis fecit Marcius; praeterea, vt tutum vbique in rem suam legatis iter esset; quod docet *Liuius lib. eod* cap. 43. *Reliqua consultatio erat, - - - - comparati sunt.* Deceptus ita Perseus, quum a colloquio Romanorum sese in Macedoniam recipisset, legatos Romam, de inchoatis cum Marcio pacis conditionibus misit, *Liuio* teste cap. 46 & 47. *Marcius & Attilius Romam quum venissent, - - - - Macedonibus possent.* Ipse deinde Q. Marcius Philippus, iterum consul, A. V. C. IↃLXXXIIII. quamvis sexagenario maior & gravis corpore, in illud bellum profectus fuit, atque per inuios saltus in Macedoniam penetrauit, atque complures occupauit vrbes, donec successorem accepit L. Aemilium Paullum, qui victoriam consummavit, vti copiose docet *Liuius* lib. XXXXIIII. Copiosius haec aliquanto ex Liuio deducere voluimus, vt adpareret cur *Philippi Macedoniae regis* penultimi *caput* in numo Marciae gentis Romano sit; & cur idem *eques*, qui in priori huius familiae denario cernitur, hic *laureum* manu *ramum* teneat. Tenet vero, propter parta populo Romano commoda de Perseo rege & formidando Macedonum nomine, legatione & expeditione istius Q. Marcii Philippi, qui, vbi consul cum exercitu profectus fuit, maiore incertum audacia an felicitate, incredibili labore per montes, per inuia & saltus densissimos & asperimos in mediam penetrauit Macedoniam, & regem Perseum, circumuentum sese credentem, trepide ex tutissiimo, vbi consederat loco, recipere sese in alia coegit. Describit *Liuius* pluribus verbis asperum illud & maxime vel pacato agmini nedum infesto iter, quod ingressus consul fuit, lib. XXXXIIII. cap. 3. 4. 5. 6. Unde suspicamur, *asperum illud*, quod sub equi ventre vepreti vel fruticeti figuram habet, & pessime a quibusdam canis adsilientis figura depingitur, nihil aliud designare, quam asperrimam & periculosissimam illam viam, quam felici temeritate ingressus fuit con-

ſul Marcius. *Caput Philippi* Macedoniae regis, cum quo vetus ius hoſpitii genti Marciae erat, in denario, licet Romano, exprimi, mirum non eſt, nam & Bocchi regis Mauritaniae caput in numis gentis Corneliae occurrit tab. IIII. num. V. Haec ſunt illa, quibus cel. HAVERCAMPVS denarii huius imagines illuſtrat; vid. *eiusd comment. in theſ. Morell.* pag. 262. ſq. conf. cl. *Io. Georgii* WACHTERI *archaeol. numaria* pag. 70.

296. Caput Romae galea alata ornatum, cum denarii nota.
Quintus PILIPUS. ROMA. Eques haſtatus & armatus feroci equo inſidet, quem veſpa inſequitur.

Auerſae paginae typus non convenit cum pictura Morelliana. MORELLIUS enim equitis huius caput eadem galea exornat, qua Philippi penultimi Macedonum regis effigiem in priori praecedentis denarii pagina exornatam vidimus; non talem cornibus hircinis conſpicuam galeam in hoc denario offendimus, verum ſolitam caſſidem egregie tamen pennis criſtatam. Quum haec ita ſe habeant, coniicimus Q. Marcium Philippum, qui Romae hunc ſignavit denarium, in Marcii illius, qui in bello Macedonico contra Perſeum ſucceſſorem L. Paullum Aemilium accepit, memoriam, equitem hunc expreſſiſſe. Retro equum vepris vel fruticis genus eſſe cel. HAVERCAMPVS autumat. Quum autem clare volatile quoddam animalculum in noſtro denario conſpiciatur; neminem me reprehenſurum arbitror, ſi dixero inſectorum quandam ſpeciem, ad deſignandam aſperrimam illam viam, de qua antea egimus, hoc typo denotari. Quoniamque in primis veſpae aeſtiua itinera conficientium equos maxime infeſtant; hinc veſpam in denario exprimi nobis quidem videtur, cuius explicatio, vt iam diximus, itidem ex moleſto illo conſulis & exercitus Romani itinere petenda eſt. Omittit praeterea vir clar. generoſi iſtius equi ornamenta, quae, niſi me omnia fallunt, phaleras adumbrant, quibus quondam Romanorum duces donabantur.

297. Caput Apollinis laureatum.

Lucius

Lucius CENSOR*inus*. Silenus ſtans ſeminudus, caudatus, dextram verſus caelum eleuat, laeua hircinum vtrem ſuper humeros tenet, retro illum ſtatua longiori columnae inſiſtit.

Cur L. Marcius Cenſorinus, VAILLANTIVS inquit, in quaeſtura denarium hunc, in quo Silenus caudatus & nudus, humeris vtrem hircinum ferens, & pone columnam ſupra quam icuncula, expreſſus eſt, ſignavit, diu haeſimus in hoc typo enucleando. Ad Bacchanalia, paullo poſt addit vir cl. hunc typum ſpectare ſuſpicamur, ſed haec Romae non celebrabantur; hinc potius ad eorum haereſim exſtirparam ſub Q. Marcio Philippo & Poſtumio Albino, vt late videre eſt apud *Liuium*, *dec* IIII. lib. 9. Lucius autem Marcius, quum ex hac eſſet gente, eius ſenatuſconſulti memoriam, quo abolita ſunt Liberalia renovare voluit: Silenus, vt Bacchi nutricis magiſter & ſacerdos in denario expreſſus eſt, nudus quidem ad ludorum laſciuiam denotandam, & vtrem hircinum gerit, vt vlulatus per vinolentiam excitatos arguat; columna vero pone eum videtur eſſe Maenia, in VIII. regione fori Romani poſita, ad quam triumuiri capitales de maleficiis & eorum ſceleribus cognoſcebant, teſte Cicerone. Haec VAILLANTIVS; vid. *eiusd. famil. Rom.* tom II. pag. 100. ſeq. Has viri cl. coniecturas ad examen reuocatas HAVERCAMPVS refutavit, aliamque probabiliorem huic denario ſubiunxit ſententiam, quam mox adiiciemus. *Columna* non alia eſt, vir ſummus inquit, quam illa, quae in aereis Caii Cenſorini numis cernitur, *cum Victoriae illi inſiſtentis* pariter *ſigno*; quam ad Anci Marcii victorias pertinere clariſſimum eſt ex regis glorioſiſſimi capite in priore iſtorum numorum parte, quod etiam ibi vidit VRSINVS. Vide ipſos numos tab. II. num. I. & II. De *Sileno* grauior quaeſtio eſt. Quum autem moris haud fuerit Romanis res turpes & rerum turpium memoriam, atque earundem poenam & ſupplicium, in publica monera exprimere: hinc nihil minus, quam nefanda iſta Bacchanalia prouide a coſſ. detecta atque exſtirpata innocens iſte ſenex de-

 notat.

notat. *Dextram* enim *ad caelum eleuat*, adeoque non ſolum innuit, quod ipſe inter ſemideos Bacchi nutritii opera relatus ſit; ſed etiam quod deorum donum vini doceat eſſe inuentum & laetitiam. Diſtinguere vero debemus inter Bacchanalia illa impura & priuata, & Liberalia, quod honeſtum Romanae religionis erat feſtum. De iſtis Bacchanalibus loquitur *Liuius* lib. XXXVIIII. cap. 8. p. m. 1026. *Conſulibus ambobus quaeſtio de clandeſtinis - - - - - Poſtumium conſulem peruenit.* Ex allegato hoc *Liuii* loco patet occulta fuiſſe ſacra non publica, neque quae Liberala vocari poſſunt, ut fecit VAILLANTIVS. Liberalia enim in honorem Liberi innocuis iocis & caſta religione tranſacta fuerunt, atque inſtituta ad feliciorem vinearum prouentum, vti docet *Virgilius*, qvi poſtquam feſtiuitatem illam deſcripſit, addit *lib.* II. *Georg.* verſu 390.

Hinc omnis largo pubeſcit vinea foetu:
Complentur valleſque cauae ſaltuſque profundi,
Et quocunque deus circum caput egit honeſtum.

Colligit hinc cel. HAVERCAMPVS Lucio Marcio Cenſorino quaeſtore, vel circa dei Liberi cultum aliquid memorabile contigiſſe, vel annum prouentu vini feracem & notabilem in primis fuiſſe; quod confirmare videtur *Apollinis caput.* Sole enim benigno opus eſt, vt ad maturitatem vuae perueniant. Nullus vero annus vini prouentu nobilior fuit apud veteres, quam coſſ. Opimio & Fabio A. V. C. IↃCXXXIII. de quo *Plinius* lib. H. N. XIIII. cap. 4. *Anno fuit omnium generum bonitas, - - - - carie indomita;* vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 264. ſq.

298. *Lucius* CENSORIN*us.* Caput Iunonis Monetae velatum.
Caius LIMETAN*us Publius* CREPUSI*us.* Dea Moneta in citis bigis, vtraque manu habenas regens; deſuper. ⊥ X V I.

Quoniam hic denarius tria diuerſarum familiarum nomina continet, iam ſupra pag 137. in Crepuſia & antea in Mamilia gente prodiit, vbi & de pretio, quod huic numo periti conſtituere ſolent,

lent, & de vtriusque paginae typis fusius egimus. L. Marcium Censorinum hic triumuirum monetalem cum collegis suis cernimus, qui primus illi gradus ad honores fuit; vid. NIEVPOORTII *antiq. Rom. comp.* sect. II. cap. VII. §. V. p. m. 111. conf. *Henr.* KIPPINGII *antiquit. Roman. edit. Batau.* pag. 348. & 600.

299. Capita Numae Pompilii & Anci Marcii iugata, diademata. *c o i u s* CENSO*rinus.* Eques desultor pileolo tectus, scutica equos duos propellit, alteri ex iisdem insidens.

Paullulum curtus. Praeclarum hoc antiquitatis monumentum nos docet Marcios ad vtrumque regem Romanorum Numam & Ancum originem suam retulisse; id enim *coniunctae* aduersae paginae *imagines* denotant. In altera denarii parte Apollinarium ludorum typum, nempe *desultorem* in *equis* decurrentem cernis, ex quo VAILLANTIVS probare sese C. Marcii Censorini praeturam posse existimat, quod ludorum Apollinarium cura ad praetores vrbanos spectaret; vid. NIEVPOORTIVS sect. IIII. cap. V. §. VIII. Verum ego, cel. HAVERCAMPVS inquit, aliam rationem fuisse existimo, cur illos signauerit C. Marcius Censorinus; & pariter, vt priores numos, in quaestura eiusdem (sed prouinciali forsan, non vrbana, quoniam in nullis ex hisce denariis VOX ROMA adscribitur) signatos fuisse. *Liuius* & *Macrobius* me mouent. *Liuii* tantum adducam testimonium, ex quo *Macrobius* lib. I. *Saturn.* cap. 17. sua hausit & repetiuit. Originem ludorum Apollinarium, qui in initio votiui fuerunt & incerto anni tempore, postea perpetui & stato anni tempore, describens *Liuius*, docet nos quid Marciae genti proprium cum hisce ludis fuerit, lib. XXV. cap. 12. postquam de Tarentinorum defectione mentionem fecit. *Religio deinde noua obiecta est ex carminibus Marcianis. - - - - - qui ius populo plebique dabit summum.* Quibus omnibus, & senatusconsulto, quod eam in rem factum est, memoratis, addit *Liuius: Haec est origo ludorum Apollinarium: victoriae, non valetudinis ergo, vt plerique rentur veterum.* Accidit vero insignis hic casus

A.V.

A. V. C. IↃXXXXI. coſſ. Q. Fuluio Flacco & Appio Claudio Pulchro, quo primum hi ludi Apollinares celebrati fuere. Marcius itaque is, quem illuſtrem vocat vatem *Liuius*, procul dubio inter maiores noſtri C. Marcii Cenſorini fuit, qui his denariis illud quoque decus nobilitati ſuae adſerere voluit. Deſultoris tandem habitus & actus in hoc denario adumbratur; *binos* habet *equos* iuxta *Liuii* deſcriptionem lib. XXIII. cap. 29. *Nec omnes Numidae in dextro - - - - - equorum genus eſt. Pileos* in capite habuiſſe notat *Hyginus fab.* LXXX. *Vnde etiam Romani ſeruant inſtitutum, cum deſultorem mittunt, vnus duos equos habet, pileum in capite, equo in equum tranſilit.* Vſum docet *Caſſiodorus* lib. III. ep. 51. quae Theodorici regis eſt ad Fauſtum praefectum praetorio: *Biga quaſi lunae, quadriga ſolis imitatione reperta eſt. Equi deſultorii, per quos Circenſium miniſtri miſſos denunciant exituros, luciferi praecurſorias velocitates imitantur;* vid. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. II. pag. 104. *theſ. Morell. numiſm.* tom. II. pag. 266. ſq.

300. LIBO. Romae galeatum caput, cum denarii nota.

Quintus MARC*ius*. ROMA. Dioſcuri haſtati in equis.

Aſper. Typi ſimplicitas antiqua rei publicae tempora nos reſpicere iubet. Quumque denarii argentei tantum ab anno CCCC LXXXIIII. ſignari coepti ſint; circa illa tempora Q. iſte Marcius Libo videtur quaeſturam iniiſſe, in qua argenteum hunc ſignauit, cum ſolito eius aetatis typo, nempe *Romae capite*, & *Caſtore* cum *Polluce in equis* decurrentibus. Marci Libonis in hiſtoria Romana nulla fit mentio, quoniam iſta pars *Liuii*, quae hiſtoriam ab A. V. C. CCCCLXI. ad annum IↃXXXV, quo bellum Punicum ſecundum exarſit, complectebatur, deperdita eſt.

MARIA.

301. C*aius* MARI*us* C*aii* F*ilius* CAPITO. XX. Caput Cereris ſpicis exornatum.

Colonus, bobus ad aratrum iunctis, arans; deſuper numerus XX. *Aſper,*

Asper, ſerratus, quem inter Morellianos fruſtra quaeres. Marii plebeii fuerunt, quod tribunatus plebis, ab iiſdem geſti, oſtendunt. C. Mario tamen VII. conſule admodum clari. C. Marius ſepties conſul, nullo vſus eſt cognomine vt gentis auctor, ſed quum habuerit duos filios, illius nepotes quaedam accepiſſe videntur, & inter eos hic in denario deſcriptus, qui Capito appellatur, cuius mentionem facit *Cicero*, lib. XII. *ad Atticum*, ep. 49. *Ad me mandata & litteras attulerunt a C. Mario C. F. C. N.* Hunc Caeſaris dictatoris adpellat propinquum, quia Marius conſul Iuliam Iulii amitam duxerat vxorem. Is videtur denarium in quaeſtura ſua, quam in Gallia Ciſalpina gerebat, cudiſſe ad renouandam aui ſui memoriam, ſub cuius ſexto conſulatu Eporediam in Gallico agro colonia deducta erat; hinc *deductae coloniae typus* auerſam denarii partem occupat. *Cereris caput* in aduerſa, ad indicandum fertile regionis illius ſolum, expreſſit: nam Ceres frumentum ſerere docuit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 269. VAILL. in *famil. Rom. num.* tom. II. pag. 116. VRSINVS pag. 171.

MEMMIA.

302. *caius* MEMMI*us caii* F*ilius*. Caput Romuli laureatum, cum longis capillis & barba calamiſtrata, adſcribitur retro caput eius inter caelites recepti appellatio QVIRINVS.

MEMMIVS AED*ilis* CERIALIA PREIMVS FECIT. Ceres ſellae inſidens, l. manu ſpicas, d. colum tenet, ante pedes ſerpens egregie criſtatus cernitur.

Integerrimus, quem in tab. IIII. *num.* VIIII. *accuratius delineatum damus. Rarum & inſignem hunc denarium* TRAIANI *optimi principis reſtitutio facit rariſſimum.* Pro face, quam MORELLIVS in auerſa denarii parte expreſſit, VRSINVS, PATINVS & cl. VAILLANTIVS rectius colum depingunt. HAVERCAMPVS circa eundem hunc typum *Laur.* BEGERO quaedam iniquiſſime adfinxit, quae viro celeberrimo forte vix vnquam, dum viueret, in mentem venerunt. Peiore intuitu, HAVERCAMPVS inquit, colum pro

decempeda accepit BEGERVS *thes. Brand.* tom. II. pag. 565. quamuis sculptor eius facem delineauerit. Quam falsa haec de decempeda sint, allegatum BEGERI locum conferentibus facile apparebit. Ceres est, vir doctissimus l. c. inquit, cum dracone, face & spicis. Accedimus iam ad singulas insignis huius denarii partes ordine explicandas. *Spicae Cereri* propter terrae vbertatem adduntur, & *serpens* in memoriam peragratae terrae, tunc enim vecta fuit curru a draconibus tracto. *Colus* domesticam matronarum curam docere videtur. Vt antiquum familiae Memmiae decus adseratur, inscribitur auersae parti ad Cereris effigiem Memmius aedilis Cerealia primus fecisse; veluti ex numo gentis Seruiliae (vt infra visuri sumus) Floralia primus fecisse colligitur quidam Seruilius, propter Florae adpictum caput & litteras FLORALIA PRIMVS scil. *fecit*. Duo diuersa doctorum virorum de hac inscriptione cel. *Sigeb.* HAVERCAMPVS excitat iudicia. Quidam, vir doctissimus ait, respici ad Cereales aediles existimant tempore Iulii Caesaris creatos, & C. Memmium vnum ex illis credunt fuisse. Alii autumant respici instaurationem ludorum Cerealium, qui celebrari solebant XIII. Kal. Maii, siue die Aprilis XVIIII. quique post Cannensem cladem fuerunt intermissi, atque tredecim post annis mense Aprili A. V. C. IↃLI. rursus fuerunt instaurati, atque Memmii illius hic renouari memoriam, qui primus Cerealia post cladem Cannensem fecerit. Vtramque hanc eruditorum coniecturam maximis laborare difficultatibus idem HAVERCAMPVS fusius demonstrat, suamque multo probabiliorem subiungit sententiam, & Memmiam gentem ex *Virgilii lib* V. *vers.* 117. a Troianis temporibus deducit. Credibile itaque est, vir cl. inquit, etiam ante tempora belli Punici secundi magistratus & aedilitatem plebis a Memmiis gestam fuisse. Vnde existimo illud MEMMIVS AED*ilis* CERIALIA PREIMVS FECIT antiquissima respicere tempora, quibus primus ex plebe Memmius quidam, vt aedilis, sacra ista fecerit. Instituti autem fuerunt aediles plebis primi A. V. C. CCLX. vti ex *Dionysio Halicarn.* & *Zonara* docet PIGHIVS tom. I.

pag.

pag. 94 crevitque processu temporum onus eorundem, quum & curatio sacrorum & ludorum quorundam accederent. Vnde apud *Cic. in Verr.* lib. V. cap. 14. *Nunc sum designatus aedilis; habeo rationem, quid a populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberaeque faciundos.* Quum itaque inter illa onera Cerealium quoque curam aedilitas ista accepisset, Memmium quendam primum fuisse, qui onus illud subierit, tacentibus libris, hi denarii nos docent. Annus vero, quo illud factum fuerit, & Memmius, qui fecerit, in tanta veterum historiarum caligine penitus ignoti nobis sunt. In ipsa interim inscriptione vetustatis quoque adfectatio notanda venit, quod CERIALIA & PREIMVS pro CEREALIA & PRIMVS scribatur. *Romuli*, inter diuos iam relati, & propterea nouo nomine *Quirini* dicti, habitu augustiore, *facies* verenda in parte denarii anteriore occurrit, illaque propter perpetuam victoriarum gloriam, securarumque deinceps omen, *lauro coronatur*, non diademate, vt successorum Numae & Anci Marcii. Cur caput illius in numo adpareat, duplex ratio dari potest; vel quod, pro insania illius temporis, falsos etiam nobilitatis titulos adfectantis, ad Romuli cognationem genus suum extenderint Memmii, vnde an Quirini quoque cognomen ab eodem Memmio adsumtum sit, adfirmare non ausim; vel quod, vt existimo, ad noscendam faciem cuius sit, adponatur, sicuti nomen Numae & Anci in Calpurniae gentis numis. Forsitan, mox idem antiquarius addit, quoniam Quirinus hic adpellatur Romulus, C. Memmius iactauit gentem suam olim quidem fuisse patriciam, atque lectam inter flamines Quirinales a Numa institutos, quorum flaminum & Quirini nominis originem nos docet *Dionys. Halicornass.* lib. II. pag. 124. *Ipsum quoque Romulum, vt qui mortali homine factus esset augustior, templo & alternis annis sacrificio sub Quirini cognomento coli voluit. nam cum adhuc non satis constaret, a diisne raptus esset, an interceptus insidiis hominum, prodiit in forum Iulius quidam, oriundus ab Ascanio, agriculturae studiosus, vitaeque inculpatae, & in quem*

 nullo

nulla corruptelae suspicio caderet: is dixit, se, cum rure domum rediret, Romulum cum armis suis ex Vrbe abeuntem vidisse: cumque propius accessisset, haec ex ipso audiisse: Nuntia meo nomine Romanis, Iuli, in deorum coetum me duci a meo genio, qui mihi nascenti contigit. iam enim mortale aeuum expleui, ac sum Quirinus; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 275. sqq. VAILL. tom. II. pag. 123. sq. OISELII *thes. antiqu. numism.* 487. & 551.

303. C*aius* MEMMI*us* C*aii* F*ilius*. Caput Cereris spicis exornatum. C*aius* MEMMIVS IMPERATOR. Tropaeum, ad cuius imum captiuus ingeniculatus, manibus post tergum reuinctis.

Optime conservatus. Propter Memmii ipsius, qui denarium signavit, aedilitatem, & patris in Ponto victorias, *caput Cereris* & *tropaeum* cum *captivo* exprimi VAILLANTIVS existimat; vid. *eiusd. famil. Rom. loc. cit.* At vero, passim laudatus HAVERCAMPVS inquit, aediles pecuniam non signabant, sed triumuiri monetales vel quaestores; filius itaque C. Memmius, quaestoris obiens munus, adfuisse videtur patri C. Memmio, viro in historiis Romanis notissimo, atque ex inimicitia atque amicitia cum Caesare, Catulli carminibus, defensione Ciceronis, & dedicatione operum Lucretii celeberrimo. In illa quaestura militari hunc denarium in honorem victoriae paternae signauit, & praecedentem ad nobilitatem Memmiae gentis indicandam; in quo sicuti Cereris effigies in posteriori parte est ad Cerealia designanda, ita in hisce caput eiusdem deae, spicis ornatum, depingitur in parte priore, eodem plane sensu, neque cum aedilitate Memmii quidquam commune habet, qui tunc quaesturam tantum gerebat. Ex *thes. Morell. tom.* II. pag. 277.

304. ROMA. Caput Saturni laureatum inter falcem dentatam, & primam alphabeti litteram.

L*ucius* MEMMI*us* GAL. Figura muliebris in lentis bigis,

gis, dextra ſceptrum, vtraque habenas tenet; Victoria aduolat cum corolla.

Serratus, integerrimus. Caput Saturni denotat *falx*, eius insigne; vid. *Franciſci* POMEY *Pantheum mythic.* pag. 114. NIEVPOORTIVS *ſect.* IIII. cap. I. §. XV. KIPPINGII *antiqu. Rom.* pag. 65. ſq. 141. & paſſim. In templo Saturni Romae erat aerarium, in quo praeter pecuniam publicam, etiam monumenta publica, & ſigna militaria adſeruabantur; hinc Saturnus, vt aerarii praeſes, in hoc denario ſignatur. Cum illo deo optime conuenit *Iuno Moneta*, quae in auerſa *bigis inſiſtit*, & ad quam *Victoria* aduolans denotat auctas plurimum aerarii Romani opes ex victoriarum prouentu fuiſſe. Ex litteris GAL. in denario adſcriptis PIGHIVS, VAILLANTIVS, & alii, Memmios GAL*los* nobis dederunt. Quum autem dimidiata illa vox etiam GAL*bius* legi poſſit, & praeterea antiqua marmora Lucium Galbium L. F. exhibeant; non temere illorum amplectendam eſſe ſententiam praeclare monet HAVERCAMPVS; vid. *eiusd. comment. in theſ. Morell.* pag. 278. conf. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. II. pag. 122.

METTIA.

305. CAESAR IMPER*ator*. Caput Caeſaris laureatum.

Marcus METTIVS. Venus Victrix ſtans, d. tenet Victoriolam, l. haſtam tranſuerſam, laeuo quoque cubito clypeo innititur, qui globo terreſtri imponitur; in area litt. A.

Aſper, qui vix pro duobus thaleris comparatur. Venus Victrix in Iulii Caeſaris gratiam, atque originis eiusdem diuinae argumentum ſignata eſt. Caeſar enim, vt in Iulia gente plus ſemel monuimus, ab Iulo Aeneae filio, qui Anchiſis & Veneris filius credebatur, ſeſe oriundum eſſe iactabat. Venus *Victoriam praefert*, vnde *Victrix* adpellata eſt, *clypeo, terreſtri globo impoſito, innixa*, quaſi eius ope & auxilio Iulius Romanum & orbis terrarum imperium ſubegerit. *Caeſar imperator* ſine adiecto numero adpellatur. Imperatoris nomen Caeſari non antiqua tantum pro conſuetudine,

 qua

qua id tum alii, tum ipſe quoque ſaepius, ex bello reportauerant; neque ea ratione, quod ei merum imperium abſolutamque poteſtatem deferrent, Caeſari tribuerunt: ſed eo modo, quo nunc iis, qui ſummum imperium obtinent, tum primo Caeſari primum impoſuerunt, tanquam ipſi proprium. M. Mettius haud dubie ſub Iulio quatuoruir fuit, quippe qui eius effigiem in denario expreſſit; nam illi ſoli, vt eius imagine numi cuderentur, ſenatus decreuit, & quum magiſtratuum minorum numerum auxiſſet, triumuiri dicti ſunt quatuoruiri. Quidam autem non hunc inſcripſerunt titulum, & Iulii tantum exhibuerunt imaginem; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 131. PATINI *fam. Rom.* pag. 176.

MINVCIA.

306. RVF*us*. Caput Romae galea alata decorum, cum denarii nota.

Quintus MINV*cius*. ROMA. Dioſcuri, more ſolito, in equis.

Minucia gens *patricia* primum, poſtea *plebeia* fuit. In gentis Minuciae Ruforum familia plures in hiſtoria occurrunt cum Quinti praenomine; hinc incerti ſunt antiquarii cuinam ex illis tribuant denarium. Typi ſimplicitas ad vnum ex vetuſtioribus hunc numum reuocat, vel cum VRSINO ad illum, qui vna cum C. Cornelio Cethego conſul fuit A. V. C. IↃLVI, vel cum VAILLANTIO ad tribunum plebis A. V. IↃXXXV, quem legatum Appii Claudii in obſidione & expugnatione Capuae rebus omnibus gerendis interfuiſſe ſcribit *Liuius*, dec. III. lib. V. Vter ex illis duobus ſignauerit, illud certum eſt, factum id in quaeſtura vrbana, vel triumuiratu monetali fuiſſe, vox ROMA, quae adſcribitur, indicat. Supra in Anteſtia gente pag. 83. num. 153. Dioſcurorum typum interpretati ſumus; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 286. VAILL. *famil. Rom. num.* tom. II. pag. 140. *Ful.* VRSINVS *edit. Patin* pag. 179. ſq. conf. NIEVPOORT. ſect. IIII. cap. I. §. XXV. p. 230. *Franc.* POMEY *Pantheum mythic.* p. m. 258. *Henr.* KIPPINGII *antiqu. Rom.* p. 599. & paſſim.

307. Caput Romae Victricis galeatum; Victricem designat lauri ramus ad tempora in casside effictus.

Quintus THERM*us Marci Filius*. Duo viri, gladiis & clypeis instructi, dimicant, tertius, veluti saucius, in genua inter vtrumque est prolapsus.

Prostratum ciuem miles, qui Caesarem respicit, ab hoste defendit. Seruati ciuis Romani decus in elegantissimo hoc denario exprimi omnes profitentur; iidem passim rudimenta militiae Iulii Caesaris sub M. Minucio Thermo expressa consentiunt. VAILLANTIVS vero statuit, non ad singularem Iulii Caesaris honorem, sed in genere ad M. Thermi inter milites suos praemiorum distributionem spectare. Credidit itaque, illum in illa patris sui M. Thermi expeditione in Asiam, ipsi tanquam quaestorem adfuisse, atque in quaestura sua hunc denarium signasse; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 143. sq. Hanc VALENTIS explicationem haud paucis laborare difficultatibus HAVERCAMPVS obseruat, dum: At haec obseruari volo, inquit, nullam vnquam exstitisse Romanorum expeditionem, cum aliqua victoriae felicitate coniunctam, in qua non praemiorum distributionem duces fecerint, & fortibus viris honores adsignauerint; sed nunquam res tam vsitatas a quaestore ducis expressas in denariis fuisse. Deinde Q. Minucium Thermum M. F. si, tanquam quaestor illo bello, denarium hunc signauit, nequaquam respicere ad honorem illum Iulio tributum potuisse, quum illo tunc tantum annorum nouendecim, prima stipendia faceret, quod faciebant & alii plures, & Iulio haud ignobiliores. Credo itaque, mox HAVERCAMPVS subiungit, hunc denarium cusum fuisse a Q. Minucio Thermo M. F. vt refert inscriptio, non quidem quaestore in expeditione illa patris sui, sed triumuiro forte, vel quatuorviro monetali, sub Iulio Caesare iam rerum potito; atque hunc potissimum typum elegisse, in quo virtus Caesaris primaeua eniteret, vt simul & Caesari blandiretur, & paternae expeditionis reuocaret memoriam. Testatur enim *Suetonius, in vita Caesaris*, Caesarem stipendia prima in Asia fecisse in M. Ther-

Thermi contubernio, atque ab eodem Thermo in expugnatione Mitylenarum corona ciuica donatum fuiſſe. M. Minucius Thermus in Aſiam miſſus fuit praetor extra ordinem a L. Cornel. Sulla dictatore, vt L. Murenae, quem reuocauerat, ſuccederet, A.V.C. IↃCLXXII. Si tamen vt triumuir monetalis illum denarium cudit Thermus, aetatis annum trigeſimum ſupergreſſus fuiſſe videtur, hoc primum honorum ſuorum incrementum nactus; vnde forſitan ſuſpicari licet, comitatum eundem Iulium Caeſarem fuiſſe in Gallias, quod bellum per plures annos fuit tractum, atque ibi hunc numum, vt quaeſtorem, ſignaſſe. Quam prae priore ſententiam amplector, quoniam Romae caput in anteriore parte expreſſum eſt, non Iulii Caeſaris, vt paſſim a triumuiris vel quatuoruiris monetalibus factum cernimus. Iuuenile caput Caeſaris in aduerſa denarii pagina depingi BEGERVS exiſtimat; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 286. ſq. Cl. *Laur.* BEGERI *theſ. Brand.* tom. II. pag. 601. *Eiuſdem obſeruat. & coniecturae in antiqua quaedam numiſm.* pag. 46. *Suetonius* GRAEVII pag. 5. conf. ea, quae p. 174. num. 258. adiecta ſunt.

308. Caput Romae galeatum.

caius MIN*ucius*. Victoria in citis bigis, d. palmam tenet, ſ. equorum regit habenas.

Bigatus iſte in theſauro Morelliano haud obuius eſt, hinc rarus.

M V C I A.

309. HON*os*. VIRT*us*. KALENI. Capita iuncta Honoris & Virtutis, illud laureatum, hoc galeatum.

CORDI. Duae figurae muliebres, ſtantes ex aduerſo, dextras iungunt: figurae ex adſcriptis litteris RO*ma* & ITAL*ia* eſſe agnoſcuntur, Italia ſtolata, tranquillo pacis habitu, laeua cornu copiae gerit; Roma, veſte ſuccincta & militari, dextro pede globum orbis terrarum premit, laeua manu ſceptrum tenet, caput, vt regina orbis, diademate cinctum habet; pone Italiam caduceus, ſymbolum pacis, cernitur.

Serra-

Serratus, asper. Quum duo cognomina denario inſcripta ſint, ad duas familias haud dubie pertinet. Caleni vox nulli data eſt quam Fufiae, ideo iam ſupra pag. 163. de eodem hoc numo egimus; Cordi vero cognomen Muciae, vt elegantiſſimum hunc denarium iterum adpellemus, poſtulat. Mucia gens Cordi cognomen gerebat antequam. C. Mucius, qui Porſennam regem occidere volens, dextram igni impoſuit, quod a propoſito aberraſſet, & inde Scaeuula poſtea dictus eſt. Hic periculoſae audaciae cognomen poſteris ſuis reliquit. Ex iis, qui Cordi cognomen retinuerant, ortus hic Mucius Cordus triumuir cum Fufio & Fonteio fuiſſe videtur, atque redintegratam vniuerſae Italiae pacem in hoc denario expreſſiſſe; vid. HAVERC. & VAILL. in Mucia gente.

MVSSIDIA.

310. CONCORDIA. Caput Concordiae velatum; ante ſolis aſtrum.
Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Comitium cum ſeptis, gradibus, diribitoriis, & ciuibus togatis ſuffragia ferentibus: adſcribitur CLOACIN*a.*

Affabre ſignatus. Cl. *Goth. Guil.* MVLLERVS, *celebris Francofurti ad Moenum medicus & antiquarius, octo thalerorum numum hunc aeſtimat.* Muſſidia gens, nullis dignitatibus apud antiquos clara, vix, praeterquam ex numis, agnoſcitur. Hanc e Sabinis ortam ſuſpicatur VRSINVS. E Sabinis, vir cl. inquit, veniſſe Muſſidios coniicere poſſumus ex iis, quae in hoc denario expreſſa ſunt cum inſcriptione CLOACIN. Id enim Veneris cognomen eſt in cloaca repertae, & a T. Tatio Sabino conſecratae. Dedicatam autem Venerem Cloacinam a Tatio in comitio fuiſſe (quae pars erat fori Romani concionibus & comitiis populi deſtinata) ſatis conſtat cum ex *comitiorum cancellis*, qui in denario ſignati ſunt, tum ex *togatorum imaginibus*, qui *ſuffragia* in *vrnas* coniiciunt. Hactenus VRSINVS, qui plura ad hunc numum erudite obſeruat, de comitiis, ſuffragiis & Venere Cloacina, quae, quoniam in foro eſſet comitium, ipſa vero poſita in comitio, hinc loco nomen dediſſe

videtur. Ad indicandam itaque Mussidii ex Sabinis originem, atque Sabinorum & Romanorum sub Tatio & Romulo regibus concordiam, denarium hunc signatum esse VRSINVS autumat. VAILLANTIVS, cuius vestigia ipse premit HAVERCAMPVS, his typis potius comitia inter populum & Caesarem diuisa respici existimat. *Comitia*, *Suetonius* in *vita Iulii* cap. XXXXI. p. m. 55. inquit, *cum populo partitus est: vt exceptis consulatus competitoribus, de caetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur: pro parte altera, quos ipse edidisset.* Hoc itaque beneficium populo a Caesare collatum exprimere vrbi praefectus L. Mussidius voluisse videtur, animumque Caesaris ita clementem & popularem, vt quamuis ipse pro lubitu summa rerum potiri potuisset, voluerit tamen in partem iuris sui & imperii populum vocare, vnde *deae Concordiae caput* in anteriore denarii parte signatur. Haec cl. HAVERCAMPVS. Idem eruditus antiquarius opinatur Mussidium hunc vnum ex octo praefectis vrbi fuisse, a Caesare sub Lepido relictis, quum ipse in Hispaniam proficisceretur. *Solis astrum* respicit ad annum a Iulio emendatum. Prouocamus ad *Suetonium*, qui *in vita Iulii* cap. XXXX. *edit. Graeu.* pag. 54. *Conuersus hinc*, inquit, *ad ordinandum rei publicae statum, fastos correxit, iam pridem vitio pontificum - - - - - annum inciderat;* vid. *Fulu.* VRSINVS *edit Patin.* pag. 182. sqq. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 158. sq. HAVERC. *comment. in thes Morell.* pag. 289. sq. HARDVINVS *ad Plin.* tom. I. pag. 753. longissime abest ab hac eruditorum sententia, qui vocem CLOACIN. per litteras singulares explicans sequentem exsculpit sententiam. *Cymbam Lubentes Obtulerunt Augusto Caesari Imperatori Narbonenses.* Et ita passim ingenio & litteris ludit HARDVINVS.

NAEVIA.

311. *senatus consulto.* Caput Veneris, ante quod littera B.
caius NAE*uius* BALB*us*. Victoria in trigis, ambabus tenet habenas.

Serra-

Serratus. Ex plebis tribunis, qui hanc illustrarunt gentem, *plebeiam* eandem fuisse patet. Inter Naeuios, qui Balbi cognomen habuerunt, nullus apud scriptores praenomine Caius occurrit. Lucii vel Sexti passim appellantur. Quis vero hic C. Naeuius Balbus fuerit, & quo tempore denarios cum *capite Veneris* atque trigis signauerit, & quidem ex senatusconsulto, valde incertum est. Ex *thes. Morell.* tom. II. pag. 291.

NASIDIA.

312. NEPTVNI. Caput Cnei Pompeii Magni, ante cuius vultum tridens, in imo delphinus.

Quintus NASIDIVS. Triremis praetoria, cum nauigantibus, velo, & astro.

Asper, rarior. Insignem hunc denarium, cui periti duorum thalerorum constituunt pretium, tab. IIII. num. X. contemplandum sistit. Nassidia gens Ciceronis & Pompeiorum demum temporibus floruit. In antiquioribus monumentis Nassidii non cognoscuntur; & hinc incertum vtrum patricii an plebeii fuerint. *Caput Pompeii M.* iussu filii Sexti expressum est, respectu huius Sexti in secundo casu vox NEPTVNI, subintellige *filius*, scribitur. Neptuni enim filium sese Sextus vocauit, patremque vt Neptunum expressit in hisce denariis rarioribus, vnde dei eius symbola *tridens* & *delphinus* adponuntur. *Astrum* ad Syracusas, vbi denarii cusi sunt, spectare videtur, in cuius vrbis numis frequens Apollinis est astrum; ducem classis Q. Nasidium triremis praetoria cum velo designat. Hic Q. Nasidius, bello ciuili, Pompeianas Sexti partes secutus est, atque in Siciliam delatus, ab eodem classi praefectus fuit. Fidus Sexto mansit ad illud vsque tempus, quo desperatis rebus suis remedia inania & vesana quaesiuit Sextus. Tunc enim, quum classem suam incendisset Pompeius, remiges armasset, aliaque id genus, amici eius, Cassius Parmensis, Saturninus, alii, & cum socero Sexti Libone Nasidius, pacta salute, ad Antonium transierunt. Antonio postea contra Caesarem adfuit idem Nasi-

dius, a quo ob militiae naualis ſcientiam claſſi quoque praepoſitus fuit, atque nauali pugna victus ab Agrippa, vti docet *Dio* lib. L. Ex *theſ Morell.* pag. 293. conf. VAILL. tom. II. pag. 168. ſq. VRSINVS *edit. Patin.* pag. 187.

NONIA.

213. SVFENAS. S*enatus* C*onſulto.* Caput Plutonis ſiue Ditis Patris, cum vnco.

SEX*tus* NONI*us* PR*imus* L*udos* V*otiuos* P*ublicos* F*ecit.* Figura muliebris ſpoliis inſidet, d. haſtam tenens, l. parozonium; poſt illam ſtat Victoria eandem coronans dextra, laeua palmam tenens.

Nonia gens *plebeia* fuiſſe colligitur ex Noniis tribunis plebis. Varie antiquarii auerſam huius numi paginam deſcripſerunt. *Fulu.* VRSINVS coronatam Victoriae imaginem hic exprimi exiſtimat. VAILLANTIVS Sullam armorum ſpoliis inſidentem a Victoria coronari autumat. Tandemque *Io.* HARDVINVS omnem mouet lapidem; Antoninum enim imperatorem hic agnoſcit, certe nihil inſulſius dici poteſt; vid. *eiuſd Plin* tom. II. pag. 777. Ex denario, ſimili typo in auerſa conſpicuo, quem ſupra pag. 95. num. 176. in Caecilia gente exhibuimus, cel. HAVERCAMPVS docet Romam ſpoliis inſidentem in hoc denario adumbrari. De *ludis publicis votiuis*, quorum poſticae inſcriptio mentionem facit, conſulendus eſt *Fulu.* VRSINVS, *edit. Patin.* pag. 189. VAILLANTIVS: Ludos victoriae publicos, inquit, quos vouerat Sulla pro bello Mithridatico, poſt eius triumphum biduo actum, ſplendidiſſimos edidit: in cuius rei memoriam denarios, in quibus Sullam armorum ſpoliis inſidentem coronat Victoria, exhibuit, cum lemmate SEX*tus* NONI*us* PR*aetor* L*udos* V*otiuos* P*ublicos* F*ecit* Haec VAILLANTIVS. Hanc VALENTIS ſententiam haud procedere poſſe HAVERCAMPVS monet, ſi litterae PR. quae ambiguae ſunt, non legi debeant PR*aetor* ſed PR*imus.* Ludos enim, cl. antiquarius ait, votiuos publicos, nullus ſub Sulla vel Auguſto Nonius dici

poteſt

poteſt primus feciſſe, iam antiquiſſimis rei publicae temporibus edi coeptos. Antiquitatem itaque generis ſui hoc typo iactat Nonius ille Sufenas, ſi PR. ſignificat PR*imus*. Quod videlicet vnus ex maioribus ſuis, Sextus Nonius, primus (ex plebe ſcil.) fuerit, qui ludos votiuos publicos ex ſenatuſconſulto fecerit. Hoc enim dignum erat publicis monumentis ad familiae ſuae nobilitatem a Nonio ſignari. Sicuti factum eſt a Seruilio, reſpectu Floralium, tab. ſecunda num III. gentis Seruiliae C*aius* SERVEIL*ius* FLORAL*ia* PRIMVS ſcil. *fecit*. Puto tamen, mox cl. HAVERCAMPVS addit, PR. ſignificare praetorem, ſed denarium ipſum, non a patre Sexto Nonio in praetura ſua, ſed a filio in quaeſtura cuſum fuiſſe. *Ditis Patris caput* recte a quaeſtore vel triumuiro monetali ſignatur, vt dei diuitiarum; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 294. ſq. conf. VAILL. tom. II. pag. 172. ſq.

314. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTE*ſtate*. Caput Auguſti nudum.

SEX*tus* NONIVS QVINCTILIAN*us* III. VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. Nota ſenatuſconſulti in area.

Aereus ſec. mod. numus, qui in aduerſa notam TI*berius* IMP*erator* impreſſam exhibet. Hoc numiſma Quinctilianum ſenatus triumvirum monetalem fuiſſe nos edocet, & quidem poſt A. V. C. IↃCCXXXX. quo ad d. prid. non. Mart. Aemilius Lepidus obiit, & Auguſtus pontificatum maximum ſuſcepit, quem viuo auferri nunquam voluerat, teſte *Suetonio, in Auguſto cap* 31 *edit. Graeu* p. 167. nam in numo Auguſtus pontifex maximus renunciatur. Sext. Nonium Quinctilianum A.V.C. IↃCCLX. cum M. Furio Camillo conſulatum geſſiſſe faſti conſulares docent; vid. VRSINVS, VAILL. & HAVERC. *loc. cit.*

NORBANA.

315. C*aius* NORBANVS. Caput Vener. pone quod nota num. CXIII.

Sine epigraphe. Faſces cum ſecuribus inter ſpicam & caduceum; inimo, vt mihi videtur, lituus.

Asper, subaeratus, quem inter Morellianos haud offendes. Norbana gens *plebeia* fuit, sed consularis. Ex *Carol.* SIGONIO intelligitur Norbanos proprium gentis nomen amisisse. Elegantem hunc denarium a C. Norbano praefecto vrbis, quamuis praefecti titulus haud appareat, signatum esse vtriusque paginae typi innuunt. *Caput* enim *Veneris* Caesaris respicit originem, *fasces, caduceus*, & *spica* summam designant potestatem, quam Iulius Caesar in Hispaniam proficiscens Lepido & praefectis illis dederat, vt pacis atque tranquillitatis & annonae curam gererent. Caii Norbani huius Liuineius Regulus collega fuit, vt supra p. 195. num. 283. monuimus. *Nota numeralis*, quam antica exhibet, ad discernendas matrices additur; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 296.

OGVLNIA.

316. Caput Iani laureatum & barbatum, cum assis nota.

CAR*uilius*. OGVL*nius*. VER*gilius*. Prora nauis.

Aereum sec. magn. numisma, quod iam in Caruilia gente pag. 103. vidimus. Post A.V.C. IↃLXXV. quo pondus assis, qui quadraginta proximis annis ad vnciam fuerat redactus, nouam lege Papiria subiit mutationem, atque ad semiunciae pondus redactus fuit, procul dubio Ogulnius iste aereus signatus est. Vix etenim hoc νόμισμα quatuor appendit drachmas. In simili numo, quem cl. *Laur.* BEGERVS ex SERENISSIMI BORVSSORVM REGIS thesauro vulgauit, recte pro CAR. legitur GAR. In nostro enim itidem prior inscriptionis littera litterae G. simillima est; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 301. conf. *thes. Brand.* tom. II. pag. 567.

OPEIMIA.

317. Caput Romae galeatum inter tripodis & denarii notas.

M*arcus* OPEIMI*us*. ROMA. Apollo in citis bigis, arcum tendens, dependente ab humeris pharetra.

Opimia, siue, vt in numis scribitur, Opeimia gens *plebeia* sed pluribus tamen consulatibus clara fuit, praecipue L. Opimii, qui

in

in conſulatu ſuo, caeſo C. Graccho tribunitio, & Fuluio Flacco conſulari viro, patrum vindictam egregie in plebem exercuit, & legis Maniliae vi poſtea exſulare coactus, in Dyrrachino litore ſepultus fuit. Marcum Opimium, qui hunc ſignauit denarium, Lucii Opimii conſulis fratrem fuiſſe VRSINVS exiſtimat. VAILLANTIVS numum hunc reuocat ad M. Opimium, quem *Caeſar* de B. C. lib. III. cap. 38. a ſuis captum memorat. Hunc M. Opimium praetorem vrbanum fuiſſe autumat, dum: illum, vir clar. inquit, qui denarium cudit, praetorem vrbanum fuiſſe demonſtrant, & *tripus pone caput Romae*, & *Apollo telum eiaculaturus in bigis;* nam ſparſim ludos Apollinares a praetoribus urbanis celebrari; caetera. Hanc VALENTIS opinionem cel. HAVERCAMPVS emendat, eiusque coniecturae coniecturam opponit. Primum enim vir erud. monet, praetorum non fuiſſe monetam ſignare, ſed quaeſtorum vel triumuirorum monetalium; deinde, M. Opimium praetorem vrbanum fuiſſe ſola coniectura VAILLANTII niti; tertio, ludos Apollinares nunquam exprimi Apolline, velut irato, vt in hoc denario eſt, arcum tendente, atque telum eiaculaturo, ſed habitu longe alio. Innumera Romanorum nomina, HAVERCAMPVS addit, ſuppeditant numi, & eorum virorum, quorum, ob hiſtoriae defectum, nulla alia ad nos peruenit notitia. Adſignandus itaque aliquis M. Opimius venit illi rei publicae tempori, cui & typus ille Apollinis telum iaculantis conuenit, & aetas cuſi denarii. Apollinem tela ſua iaculantem dirae peſtilentiae tempora reſpicere ex *Homeri*, poetarum & ſapientiae parentis, *Iliad.* lib. I. verſu 44. ſqq. praeclare idem HAVERC. docet. Romam autem & Italiam ad A. V. C. IↃLXXIII. dira vaſtauit peſtilentia, *Liuio* teſte lib. XXXX. cap. 38. Quumque in hoc denario *Apollinem*, *tripodem*, eius dei ſymbolum, & *irati* atque ἑκατηβόλȣ *ſigna* habeamus, certum praeterea ſit eundem hunc M. Opimium circa illa tempora, quibus Italia tam graui peſtilentia conflictabatur, numos ſignaſſe; facile patet HAVERCAMPI ſententiam, qui illis annis M. Opimium, hiſtoriarum

monu-

monumentis incognitum, quaestorem vrbanum fuisse existimat, haud vllis laborare difficultatibus; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 302. VAILL. tom. II. pag. 192. VRSINVS pag. 194.

PAPIA.

318. Caput Iunonis Sospitae, siue Lanuuinae, caprina pelle tectum, retro quod pes humanus cernitur; numum ambit corolla.

Lucius PAPIus. Gryphus, cum impetu latus; sub quo item pes humanus est.

Serratus, qui a Morellianis differt. Omnes hos Papiae gentis denarios serratos esse HAVERCAMPVS *obseruauit.* Ex Papiis, tribunis plebis, qui leges de Vestalibus & peregrinis tulerunt, Papia gens *plebeia* esse cognoscitur. *Caput Iunonis Sospitae pelle caprina* amictum Papiorum ex Lanuuio vrbe originem respicit, in qua haec dea summo colebatur honore, cuius meminit *Liuius*, lib. XXXII. L. Papium, qui hunc signauit denarium, C. Papii, tr. pl. A. V. C. IↃCLXXXXVIII. filium fuisse eruditi statuunt. Per *gryphum* Papium hunc vrbanam patris praeturam designare voluisse VAILLANTIVS credidit. Perill. SPANHEMIVS & cel. HAVERCAMPVS hanc VALENTIS reiiciunt sententiam; vid. SPANH. *de praest. & vsu numism.* tom. II. pag. 134. Ego per gryphum, eximius HAVERC. inquit, curam monetae & aerarii exprimi posse puto, & aptissime a triumuiro monetali, vt symbolum dignitatis suae, signari gryphum, cuius monstri famosa apud scriptores & poëtas in primis auri atque argenti est custodia. *Pompon. Mela* lib. II. cap. I. *Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen: quia gryphi, saeuum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum, mire amant mireque custodiunt, & sunt infesti adtingentibus.* Idem lib III. cap. 7. *Alit formicas non minus maximas canibus: quas, more gryphorum, aurum penitus egestum, cum summa pernicie adtingentium custodire commemorant.* De gryphibus in numis obuiis vberius egit, summum illud elegantiorum litterarum

rarum decus, perill. *Ezech.* SPANHEMIVS, *de vſu & praeſt. numiſm.* tom. I. pag. 270. ſqq. Cel. HAVERCAMPVS ex tot monetariorum ſignis, quae in his denariis occurrunt, concludit, eaſdem notas a capite & parte illa, vbi gryphus eſt, poſitas fuiſſe, vt ſibi inuicem quadrarent matrices; id vero in pluribus neglectum eſſe idem celebris antiquarius obſeruat. Elegans iſte denarius viri cl. coniecturam confirmat; eadem enim *pedis humani figura*, quam aduerſa exhibet, etiam in auerſa cernitur; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 307. ſqq. conf. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. p. 198. ſq.

PAPIRIA.

319. Caput Romae galeatum, cum denarii nota..

CARB*O.* ROMA. Iupiter in citis quadrigis, dextra tenens fulmen, laeua ſceptrum & equorum habenas.

Papiriam gentem geminam fuiſſe, alteram *patriciam minorum gentium* alteram *plebeiam*, diſerte teſtatur *Cicero*, *epiſt. fam. lib.* VIIII. ep. 21. *edit. Gronou.* pag. 792. Ad M. Carbonem, quem in epiſtola modo adducta Cicero ſugillat, *quadrigatus* iſte pertinet, quem in quaeſtura vrbana, vel triumuiratu monetali ſignauit.

PINARIA.

320. M*arcus* ANT*onius* CO*nsul* III. IMP*erator* IIII. Caput Iouis Ammonis cornutum.

ANTONIVS AVG*ur.* SCARPVS IMP*erator.* Victoria gradiens cum palma & corolla.

Antiquiſſimam hanc gentem a Pino Numae Pompilii filio duxiſſe originem *Plutarchus* in *Numa* ſcribit. De Antonio & parte denarii priore, quae ad illum ſpectat, ſupra p. 86. & 87. num. 157. diximus. De Pinario Scarpo, qui ad hanc gentem nos reuocat, haec notauit HAVERCAMPVS. Geſta eius, vir doct. inquit, in obſcuro ſunt. Praefuiſſe tamen Africae parti ſub Antonio ex *Dione* & *Plutarcho* VRSINVS atque VAILLANTIVS docuerunt, & denarii typus, qui Iouis Ammonis caput exhibet, adſtipulatur. Imperatoris

ratoris ibi titulum, ex pugna aliqua contra barbaros, meruisse videtur. Pinarii huius malam erga Antonium fidem *Dio* lib. LI. notat. *Caeterum Antonius in Africam quosdam misit ad Pinarium Scarpum, & exercitum, quem is iam ante ibi conscriptum ad tuendam Aegyptum habebat: verum quum neque reciperetur ab eo, & missos quoque ad se is occidisset, nonnullosque milites id moleste ferentes necasset, infecta re Antonius ipse quoque Alexandriam se contulit.* Cornelio Gallo, quem Aegypto postea praefecit Augustus, exercitum suum perfide tradiderat Scarpus, vt notat idem *Dio* lib. eod. *Verum antequam haec acta sunt, Antonius, cognito, Cornelium Gallum, accepto Scarpi exercitu, subito Paraetonium occupasse, etsi in Syriam proficisci euocatus a gladiatoribus in animo habebat: tamen eo omisso, ad Paraetonium contendit.* Quantopere haec Scarpi perfidia Antonium perculerit, docet in vita eius *Plutarchus* p. 948. *Postquam vero praefectus copiis Africanis in Libya ab illo descivit occidendi semetipsum cepit impetum, sed probibitus ab amicis;* caet. Et haec de Scarpo; vid. *thes. Morell.* tom. II. p. 322.

PLAETORIA.

321. Caput muliebre, Graeco more comtum, pone quod delphinus.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus*. EX S. C. Caduceus alatus.

Denarius nec a MORELLIO, *nec cel.* HAVERCAMPO *obseruatus.* Plaetoriam seu Laetoriam gentem *plebeiam* fuisse patet ex duobus Plaetoriis, qui Romae tribunatum pl. gesserunt. Aduersae paginae *caput muliebre* Sortis esse VAILLANTIVS existimat, idque, vt volunt, restaurati a M. Plaetorio in aedilitate sua ex senatusconsulto Sortium Praenestinarum templi memoriam exhibet. At quum omnes Romani de antiquitate maiorum gloriabantur, M. Plaetorius in altera denarii parte, vt suam significaret, *caduceum*, Mercurii insigne, expressit, nempe a M. Plaetorio, qui, cum tantum esset primi pili centurio, tam magnae apud plebem auctoritatis fuit, quod, spretis Claudio & Seruilio coss. illi populus

dedi-

dedicationem aedis Mercurii dederit, teste *Liuio*, lib. II. cap. 21. & 27. *Delphinus* haud dubie ad monetariorum signa pertinet; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 240.

322. L*ucius* PLAET*orius* CEST*ianus*. Caput nudum M. Iunii Bruti, percussoris Caesaris, cum adscriptis litteris BRVT*us* IMP*erator*.

EIDV*s* MAR*tiae*. Pileus inter duos pugiones.

Subaeratus, integerrimus, & *rarissimus*. De perinsignis huius denarii pretio, M. Iunio Bruto, atque pugionibus, & libertatis symbolo pileo, actum iam est in gente Iunia, pag. 188. num. 275. Nunc de L. Plaetorio Bruti quaestore dicendum. In tertio tab. II. Plaetoriae gentis denario idem iste L. Plaetorius Lucii filium se appellat, patrem itaque habuit Lucium Plaetorium. Hic L. Plaetorius forsitan fuit ille, cuius *Cicero* meminit, in *orat. pro Cluentio* cap. LX. *Opportune adest homo summa fide, & omni virtute praeditus, L. Plaetorius, senator;* caet.

PLANCIA.

323. CN*eus* PLANCIVS AED*ilis*. CVR*ulis*. *senatus consulto*. Caput muliebre pileo tectum, auris inauri ornatur, collum monili, quod pendulas habet gemmas.

Auersa pars inscriptione caret, rupicapram, siue capram siluestrem, & post illam arcum cum pharetra exhibet.

Planciam gentem *plebeiam* fuisse ex tribunatu plebis constat, quem Plancius iste, qui hunc signauit numum, A. V. C. IↃCLXXXXVI. gessit. Quae cel. HAVERCAMPVS huic denario subiunxit, ea ad hanc pagellam transscribere libuit. Ita autem ipsa doctissimi antiquarii verba sonant. Magno consensu hunc denarium antiquarii ad notissimi illius Cn. Planci, Ciceronis amici, quem exsulem in Macedonia recepit, & a quo, quum in petitione aedilitatis ambitus accusaretur, defensus fuit, aedilitatem curulem referunt, vt in qua ludos & venationes ediderit. Vellem exstaret auctoritas

veterum, quae me doceret ius cudendae monetae penes aediles fuiſſe; illa deficiente aliam amplector ſententiam. De capite item non conſentiunt eruditi, omnesque, excepto MORELLIO, caecutiunt. Libertatis caput ſomniat BEGERVS *theſ. Brand.* tom. II. p. 570. Veneris, VAILLANTIVS tom. II. pag. 244. Eſt enim *caput Macedoniae*, plane, vt in ſimili pictura numi fam. Antoniae tab. prima num. V. quos numos conferentem & egregie explicantem MORELLIVM noſtrum hic audire operae pretium eſt. Verba MORELLII, quae commentario ſuo inſeruit HAVERCAMPVS, tantum allegabimus, exſtant illa in WOLTERECKII *electis rei numariae* pag. 54. quo lectorem remittimus. Nullum itaque, Morellianae ſententiae cel. HAVERCAMPVS ſubiungit, mihi dubium eſt, quin, non ad venationes, quas ſcilicet aedilis curulis dederit Cn. Plancius, reſpiciat huius denarii typus, ſed plane ad Macedoniam. *Caput* enim *muliebre ipſius eſt Macedoniae*, *capra ſilueſtris* Macedoniae quoque eſt ſymbolum, & in Philippi Macedonis, atque Aegeatarum numis reperitur. *Arcus & pharetra* Macedoniae itidem ſymbolum eſt, propter vrbem Teſſalonicam, quae eandem arcus & pharetrae delineationem & poſituram in numis ſuis exhibet, immo ſaepiſſime quoque capram ſilueſtrem. Sicuti itaque quaeſtores Bruti fuerunt M. Plaetorius Ceſtianus & L. Plaetorius Ceſtianus, de quo antea egimus, ſic quoque inter Bruti quaeſtores credo fuiſſe hunc Cneum Plancium, qui in ipſa Macedonia, in qua quaeſtor Bruti fuit, hunc numum ex ſanatuſconſulto ſignauerit; quem Cn. Plancium praeterea credo fuiſſe filium illius Cn. Planci, qui in Macedonia primum tribunus militum fuit, deinde quaeſtor in eadem prouincia, ſub Apuleio praetore, Ciceronem, in exſilium profectum, comiter excepit, & liberaliter habuit, qui deinde, poſt tribunatum plebis, aedilitatem curulem geſſit cum A. Plancio, A. V. C. IↃCLXXXXVIIII. quum defenſus a Cicerone, dignitatem iſtam contra aduerſariorum calumnias obtinuiſſet. Rei publicae partes fouit, vnde ſub Caeſare in exſilio viuere coactus, conſolari a *Cicerone* meruit in fine *libri*

IIII.

IIII. *epist. fam.* Huius Cn. Planci, quaestoris olim in eadem Macedonia, filius, itidem patris & aui praenomine Cneus dictus, atque libertatis amorem hereditarium retinens, Bruti partes secutus fuit, interque quaestores eius adlectus hunc cudit numum, cuius typo dupliciter patris sui memoriam commendauit, a gratia apud Macedonas, quam obtinuerat in quaestura sua, typo & symbolis Macedoniae; & a dignitate, quam adscripto patris honore expressit, dum ponit patris nomen, cum dignitate, quam supergressus non fuerat, *aedilitate curuli.* Dignitates parentum, aeque ac vultus maiorum, recenseri in filiorum & nepotum numis, iam, exemplo Pompeii Rufi, supra pag. 131. ad num. 216. docuimus; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 327. sq. conf. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 243. sq. *Const.* LANDI *select. numism.* pag. 128. sqq.

PLAVTIA.

324. *Lucius* PLAVTIVS. Caput Solis aduersum.
PLAVCVS. Aurora alata Solis equos frenans.

Eleganter signatus. Ex Plautiis tribunis plebis Plautiam plebeiam fuisse gentem colligitur. L. Plautius, siue Plotius, Plancus, frater fuit L. Munatii Planci bis consulis, triumphalis, & censorii, testibus *Plinio* & *Val. Maximo. Plin.* lib. XIII. cap 3. *L. Plotium, L. Planci bis consulis censorisque fratrem, proscriptum a triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore proditum constat.* Val. Maxim. lib. VI. cap. VIII. ex. 5. *Adiunxit se iis cladibus C. Plotius Plancus, Munatii Planci consularis & censorii frater, qui cum a triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitae genere, & odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit. Istis enim vestigiis, eorum qui miseros persequebantur, sagax inducta cura, abditum fugae illius cubile odorata est. A quibus comprehensi serui, multumque ac diu torti, negabant se scire vbi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli seruos vlterius cruciari: sed processit in medium, iugulumque gladiis militum obiecit.* Adoptatus est in gentem Plautiam, a L. Hypsaeo, vt

VAILLANTIO videtur, praetore. Nam duo fratres non idem praenomen gerere ſolebant, & pro familiae Munatiae nomine, quod producere debebat in Munatianum, illius tantum Planci cognomen retinuit; vt L. Aemilius Paullus adoptatus a M. Lepido, Paullus Lepidus dictus. Idem VAILLANT. L. Plancum denarium hunc in praetura ſignaſſe autumat. In cuius memoriam, vir. cl. ait, pars anterior *Solem*, ſeu Apollinem, cui Apollinares ludi dicati erant, exhibet, & poſterior *Auroram* Solis ipſius nuntiam. Cel. HAVERCAMPVS hanc itidem emendat denarii explicationem, dum: At, quamvis, inquit, honos praetorius in hoc denario exprimi videatur (ad praeturam enim peruenit, & in illa ludos edidiſſe videtur) non tamen ab ipſo L. Plautio Planco cuſum hunc denarium fuiſſe arbitror, quod praetoribus pecuniam ſignare non fuerit licitum, ſed a filio eius; qui, poſt patris interitum, caſtra Caſſii & Bruti ſecutus fuiſſe videtur, & in illis quaeſturae munere functus fuiſſe; vnde in Oriente ſignari haec moneta potuit & per Auroram illa pars orbis deſignari; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 329. conf. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 247. ſq.

325. M*arcus* SCAVR*us* AED*ilis* CVR*ulis*. Figura genuflexa, laeua ſtantem camelum, coronam radiatam in gibbo portantem, capiſtro retinet, dextra ramum oleae cum vittis more ſupplicis praefert; infra ſcribitur REX ARETAS. ad latera EX. *ſenatus. conſulto.*

P*ublius* HYPSAE*us* AED*ilis* CVR*ulis*. *caius* HYPSAE*us* CON*ſul*. PREIVER*num* CAPT*um*. Iupiter in quadrigis, d. tenens fulmen, l. equorum habenas; ſub equis ſcorpio, nota monetarii, cernitur.

Eximiae raritatis denarius. Cel. *Euchar. Gottl.* RINCKIVS, cuius egregium *de veteris numiſmatis potentia & qualitate* opuſculum eminentiſſimus *Anſelmus* BANDVRVS ſummis effert laudibus, equidem perinſignis huius argentei, quem cl. GALLANDVS apud WOLTERECKIVM rariſſimum adpellat, prorſus nullam fecit mentionem;

tionem; innuit tamen vir doctiſſimus, quanti circiter numus iſte aeſtimandus ſit. *Putant enim*, in lib. laud. pag. 176. vir cl. inquit, *antiquarii aequitate niſi, rariſſimi numi, cuiuſcunque ſit aeſtimationis, pretium iuſtum eſſe* 50. *thalerorum.* Supra in gente Aemilia pag. 75. eundem hunc denarium probe delineatum exhibuimus, ibique de aduerſae paginae typis iam actum eſt. Duarum familiarum decora in elegantiſſimo hoc denario recenſentur, Aemiliae & Plautiae. Aemiliae peculiaris gloria erat rex Arabum Aretas ſupplex factus; priuata Plautiae laus Priuernum Latii oppidum, olim a conſule C. Plautio Hypſaeo captum A.V.C. CCCCXII. P. Hypſaeus A.V. IↃCLXXXXV. cum M. Aemilio Scauro aedilitatem curulem geſſit, vtriuſque nomina & magiſtratus numus exhibet. Celeberrima Scauri fuit aedilitas, ob raram ludorum & muneris magnificentiam: primus enim hippopotamos Romae exhibuit; vid. *Val. Maxim.* lib. II. cap. 4. *Plin. H. N. lib.* XXXVI. *cap.* 15. Quamuis autem ob impenſas abſumſerit opes ſuas, & magnum aes alienum contraxerit; nullam tamen ludorum memoriam in denario expreſſit. Haud ab ipſis illis aedilibus curulibus, ſed a filiis eorundem hos numos cuſos eſſe HAVERCAMPVS credidit. Iſti enim rei publicae partes contra triumuiros, libertatis oppreſſores, ſecuti, ſimul forte quaeſturam ſub Bruto vel Caſſio geſſerunt, adeoque EX *senatus conſulto*, vt in omnium fere eorum quaeſtorum numis additur, hanc pecuniam, magna vi, in vſum belli ciuilis ſignarunt; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 329. ſq. conf. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 247.

326. Idem fere, in quo haud radiatam coronam offendes.

Denarii huius typum itidem ſupra p.75. Aemiliae genti praemiſimus.

327. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.

caius PLVT*ius.* ROMA. Dioſcuri in equis.

C. Plutius iſte, qui ex eadem Plautia gente fuit, VAILLANTIO is fuiſſe videtur, qui vir primarius adpellatur a *Cicerone* in *orat. pro L. Flacco.* In illa quaeſtura prouinciali, quam C. Plutius A.V.C. IↃCLXXVII. geſſit, denarium hunc ſignatum eſſe idem cele-

bris

bris antiquarius ſtatuit. Cel. HAVERCAMPVS cum ex typi ſimplicitate & antiquitate, tum ex vetere ſcriptura Plutius, pro Plotio vel Plautio, quae omnia ad antiquiora tempora reſpicere nos iubent, iudicat ad C. Plautium Hypſaeum, cuius quaeſturam vrbanam ponit PIGHIVS A. V. C. IↃLXXXXIIII. hunc reſpicere denarium, atque in illa quaeſtura eundem cuſum fuiſſe exiſtimat; vid. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. p. 250. *Theſ. Morell.* tom. II. p. 331.

PLOTIA.

328. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

caius PLOTIVS RVFVS III. VIR A. A. A. F. F. In numi area S. C.

Aereus, *ſec. magn. numus*, cui a parte capitis haec nota impreſſa eſt: TIB*erius*; ab altera parte: IMP*erator* AVG*uſtus*. Tiberii Caeſaris temporibus notis illis aerea numiſmata (pro monetariorum libidine) inſignita eſſe viri docti exiſtimant. Gens Plotia, Plautia, & Plutia, eadem olim fuit. Caium Plotium Rufum, qui in hoc aereo triumuir monetalis ſenatus fuiſſe agnoſcitur, eundem Plotium eſſe VAILLANTIVS & cl. HAVERCAMPVS putant, quem apud *Suetonium* in Auguſtum conſpiraſſe legimus; vid. *Suet. in vita Auguſti* cap. XVIIII. *edit. Graeu.* pag. 143. Tres fuerunt quondam Auguſti monetales, qui auream & argenteam ſignarunt monetam, tres pariter ſenatus, qui aeream cuderunt, ſed ſemper cum effigie aut nomine Auguſti, quod toto eius imperio obſeruatum fuiſſe videtur. In ſucceſſorum Auguſti numis triumuiri monetales non recitantur amplius, in lapidibus tantum illorum fit mentio, notam S. C. ad Gallienum vſque expreſſerunt; vid. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 251. *Theſ. Morell.* loc. cit.

POBLICIA.

329. *Lucius* METEL*lus*. *Aulus* ALB*inus* *ſpurii* F*ilius*. Caput Apollinis laureatum.

caius MALL*eolus*. ROMA. Roma tribus clypeis inſidens, d. ha-

d. haſtam tenens, l. parazonium, coronatur a Victoria poſt tergum adſtante.

Elegans. Publiciam gentem ſiue Publiciam (vtroque enim modo in antiquis monumentis reperitur) *plebeiam* fuiſſe ex *Liuio* conſtat, qui C. Poblicii meminit, qui tr. pl. fuit anno IↃXXXXV. In denariis vnum Malleoli cognomen ſupereſt. Numum hunc, & diuerſas eruditorum de eodem ſententias, iam ſupra pag. 95. num. 176. in gente Caecilia vidimus. Inquiramus nunc, quis ille fuerit C. Malleolus, qui cum duobus collegis in hoc denario nomen ſuum ſignauit. Triumuiros monetales vna fuiſſe non dubitamus amplius. Tempus, quo vixerint, atque honorum illud primum incrementum geſſerint, HAVERCAMPVS ex VI. numo primae Publiciae gentis tabulae docet. In illo enim denario cenſura L. Licinii & Cn. Domitii determinatur, qui hunc magiſtratum, ut in Coſconia gente monuimus, adepti fuerunt A. V. C IↃCLXI. atque vſque ad luſtrum factum geſſerunt. Vnde plures triumuiri monetales, inter quos & C. Malleolum fuiſſe denarii docent, nomina horum cenſorum in numis ſuis expreſſerunt. Hinc facile colligitur circa illa tempora Malleolum noſtrum cum collegis ſuis monetae cudendae triumuirum fuiſſe; vid. VAILL. tom. II. pag. 255. *Theſ. Morell.* tom. II. pag. 331.

POMPEIA.

330. MAGN*us*. Caput Iani bifrontis imberbe.
PIVS IMP*erator*. Nauis prora.

Aereum, nobili aerugine obtectum, primae magn. numiſma. Cl. Andr. MORELLIVS *hoc νόμισμα thalerum valere indicat.* Gens Pompeia *plebeia* quidem fuit, ſed illuſtres in re publica viros protulit & conſulares, quos longe poſt ſe reliquit Cn. Pompeius Magnus ex Strabonum familia. Pompeiorum enim cognomina fuerunt Strabo & Rufus, ſed Magni deinceps a Cn. Pompeio Strabonis filio propagati ſunt. Fauſtuli quoque in denariis inueniuntur. Aſſem hunc a Sexto Pompeio Cn. F. ſignatum fuiſſe docet inſcriptio.

Ille enim PIVS dicitur in numis, quod, receptis ciuibus triumuirorum proscriptiones effugientibus, patris fratrisque caedem vellet vindicare; MAGN*us*, quod agnomen illud patris hereditario iure ad ipsum transiisset; IMP*erator*, quod hunc meruisset titulum, victo in Hispania praelio insigni Asinio Pollione, atque magna Hispaniae parte recepta. Pugnam & faedum eius exitum propter errorem exercitus Asinii, qui ducem suum periisse credebat, describit *Dio* libro XXXXV. *Sed iam res ipsius quoque Sexti exponendae sunt. - - - - Sextus ea victoria potitus, totam fere eam regionem obtinuit.* Illud praeterea in hoc asse HAVERCAMPVS obseruat, quod Iani facies, quae hactenus in omnibus numis siue barbatam siue imberbem dei eius exhibentibus imaginem, vniformis occurrit, in hoc delineatus sit ad ipsius Cn. Pompeii Magni oris habitum. Quod quidem, vir clar. addit, nemo arbitretur fortuito sculptoris Morelliani, vel ipsius MORELLII artificiosa delineatione factum fuisse; sed reuera ita sese res in numis habet, praesertim in illis, qui maiorem sculptoris artem produnt. Habeo ipse duos, idem HAVERCAMPVS subiungit, horum alter inscribitur MAG*nus*, alter integre MAGNVS. Vterque lauream habet coronam, non spiceam, vt credidit VAILLANTIVS. Posterior ex illis, viridi aerugine praeclarus, vtramque Iani bifrontis faciem plane ad habitum oris Cn. Pompeii Magni exhibet, & quidem magis senilem, quam exstat in Morelliana pictura. Facile vero Pompeii facies ex ore, naso, fronte, coma & reliquis notis in numis dignosci potest. Haec HAVERCAMPVS; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 334. sq. conf. VAILL. tom. II. pag. 273. *Christoph.* WOLTERECK in *elect. rei numar.* pag. 12.

331. MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Caput Cn. Pompeii Magni nudum; ante lituus, pone guttus.

PRAEF*ectus* CLAS*sis* ET ORAE MARIT*imae* EX *senatus consulto.* Tres personae, quarum media aliquantum inclinata d. tenet acrostolium, & dextrum pedem prorae

prorae nauis imponit; vtrinque persona, quae humeris impositum gestat.

Insignem hunc denarium, quem periti magni aestimant, quemque celebris Lipsiensium antiquarius Io. Georg. WACHTERVS *non ita pridem ex refertissimo* SENATVS *Lipsiensis thesauro probe delineatum exhibuit, in scenam produco, eundemque tab.* V. *num.* I. *conspiciendum sisto. Guttus* & *lituus* ad auguratum & sacerdotium eiusdem Cnei, vel filii Sexti Magni Pii spectant. Anapi & Amphinomi, fratrum Catanensium, erga parentes pietas in auersa numi pagina adumbratur. Hi enim, monitu Neptuni, quem Sextus Pompeius ideo inter eos collocat, *parentes humeris sublatos* e periculo eximunt, Aetnaeisque incendiis eripiunt, vt *Strabo* lib. VI. edit. opt. pag. 412. commemorat. *Magnus*, paterno nomine, vocatur Sextus; quod illi datum fuisse patet ex honorifica in Sextum Popeium clausula, qua *orationem* suam *Philippicam* XIII. finit *Cicero*, cap. XXI. *edit. Gronou.* pag. 705. *Quae cum ita sint, de mandatis, litterisque - - - - collaudatus esse videatur.* Magni cognomen in gente Pompeia superfuisse tempore Caesarum Caligulae & Claudii, ostendit *Suetonius*, qui in *Caligula* cap. XXXV. *edit. Graeu.* pag. 428. notat, eundem *Cn. Pompeio, stirpis antiquae, Magni cognomen abstulisse.* Et in *Claudio* cap. XXVII. p. m. 501. eundem, vt nobilissimum iuuenem, generum ab imperatore delectum fuisse. *Imperator iterum* insuper Sextus Pompeius inscribitur, primum quod Asinium Pollionem, vt antea monuimus, in Hispania vicerit, vt scribit *Dio* lib. XXXXV. *edit. Henr. Steph.* pag. 312. *Quumque Asinius - - - - terruit ac vicit.* Iterum vero imperator adpellatur ob victoriam de Octauiano Caesare in Sicilia relatam, *Dio.* lib. XXXXVIIII. p. m. 451. *Caesar*, inquit, *contra pedestres Sexti copias pugnandum sibi non ratus, nauibus hostium contemptis, quia & paucae erant, & iam ante victae, prouectus contra eas, maiorem suae classis partem amisit: ipse propemodum vna quum periisset, ad suos, qui in Sicilia erant, perfugere non potuit: sed euasisse in continentem optime contentus fuit.* Conf. *Appianus*

pianus lib. V. p. 720. ſq. *Praefectus* denique *claſſis & orae maritimae* Sextus Pompeius ſcribitur, ex antiquo ſenatus decreto, in eius gratiam lato, quum Hiſpania diſceſſiſſet, omneſque honores Antonii inimicis largiretur ſenatus, Τῷ τε γὰρ Πομπηΐῳ τῷ Σέξτῳ τὸ ναυτικὸν ἐνεχείρισαν. *Re nauali Sexto Pompeio commiſſa.* inquit *Dio* lib. XXXXVI. p. m. 361. Et licet a Caeſare dignitate iſta eſſet ſpoliatus, ius & titulum tamen retinebat, teſte eodem *Dione* lib. XXXXVII. & lib. XXXXVIII. *Neptunum* vero ſignauit vt fauentem ſibi, cuius & filius videri voluit, praeſertim quum aliquanto poſt, ſine vlla pugna, vniuerſa fere claſſis Caeſaris naufragio & vi tempeſtatis periiſſet, vti teſtatur *Appianus* lib. V. pag. 729. Teſtatur idem *Dio* lib. XXXXVIII. p. m. 442. ad A. V. C. IↃCCXVI. Sextus Pompeius, procul dubio, *patris imaginem*, & *pietatis typum*, cum *propriae dignitatis titulis* ideo in hoc denario coniunxit, vt nempe adluderet ad cognomen Pii; adeoque tum erga patrem ſuum, tum ſymbolice erga Sicilienſes ſuam pietatem vtraque huius numi pagina indicare ſtuduit Sextus Cn. Pomp. F.; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 337. conf. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 269. cl. WACHTERI *archaeol. numaria* pag. 91. ſq. OISELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 406.

332. NEPTVNI ſcilicet *filius.* Caput Cn. Pompeii Magni, qui hic tanquam Neptunus depingitur, addito delphino & tridente.

Quintus NASIDIVS. Triremis praetoria cum velo, remigantibus, & aſtro.

Optime conſervatus, rarior. Eundem hunc denarium in Naſidia gente pag. 219. num. 312. iam deſcripſimus, ibique vberiorem illi interpretationem ſubiunximus. Inſigne illud quondam FRIDERICIANAE decus, cel. noſter SCHVLZIVS pereruditas de Pompeii denariis, aliiſque rarioribus numis, conſcripſit obſeruationes, quae, ſi deus volet, vna cum aliis clar. viri ineditis opuſculis, propediem iunctim in publicum prodibunt.

333. RVFVS CO*nsul.* *Quintus* POM*peius* RVF*i* F*ilius.* Caput Quinti Pompeii Rufi conſulis.

SVLLA

SVLLA CO*nsul.* Caput Sullae consulis & dictatoris. *Rarioribus numum hunc antiquarii adnumerant, eumque carius aestimant. Accuratiori caelo aeri incisas Sullae & Q. Pompeii, clarissimorum olim in re publica Romana virorum, imagines tab. V. num. II. oculis subiicimus.* Ob Sullam ad gentem Corneliam numus pertinet; duo autem Pompeii, quorum nomina aduersa exhibet, ad Pompeiam elegantem hunc denarium reuocant; vid. pag. 131. num. 216. Q. Pompeius, qui A. V. C. IↃCLXV. cum Cornelio Sulla consulatum gessit, vir fuit clarus in historia Romana. Praetor, Q. Fabii Maximi filio, propter prodigam eius vitam, bonis paternis interdixit, vt testatur *Val. Maxim. lib.* III. *cap.* V. *edit. Vorst.* pag. 103. *Age Q. Fabii Max. Allobrogici, & ciuis & imperatoris clarissimi, filius Q. Fab. Maximus, quam perditam luxuria vitam egit? cuius vt caetera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompeius praetor vrbanus paternis bonis interdixit;* caet. Consul postea cum Corn. Sulla magnas res gessit, eiusque filio Q. Pompeio Rufo filiam Faustam vxorem dedit Sulla. Filius vero ille Q. Pompeius, patre adhuc superstite, qui aegre cum collega Sulla discrimen euaserat, in seditione Sulpiciana periit, teste *Appiano* lib. I. *bel. ciu.* pag. 384. Non diu post pater ipse similiter, sed fraude Cn. Pompeii Strabonis (qui Magni pater fuit) interiit; vid. *Appian.* ibid. pag. 388. Testatur idem *Liuius in epitome* lib. LXXVII. *edit. Gruter.* p. 1245. Denarius hic a nepote consulis cusus est; ex Fausta Sullae filia & Q. Pompeio Rufo nati sunt Q. Pompeius Rufus Q. F. Q. N. tribunus plebis seditiosis temporibus Clodianis, & Pompeia, quam Caesar, corruptam a Clodio suspicatus, dimisit. Litteram P. quae post Quinti Pompeii Rufi nomen cernitur, VAILLANTII pictor probe obseruauit, eadem illa littera P. ipsi cl. antiquario F. visa fuit. Verum non errabimus forsan, HAVERCAMPVS inquit, si legamus Q. POM*peius* RVF*us* P*ater.* atque ita statuamus Q. Pompeium nepotem vniuersum familiae suae decus hoc denario expressisse, & auorum quidem, vt in consulatu, honore

 maximo,

maximo, collegarum, facies & nomina; patris vero duntaxat nomen, vt qui, maturo fato interceptus, ad dignitatem istam peruenire non potuerat. Vel simpliciter legendum est, RVFVS *consul Quinti* POM*pei* RVF*i* P*ater*. Quod praefero. Haec HAVERCAMPVS; vid, *thes. Morell.* tom. II. pag. 342. conf. VAILL. tom. II. pag. 260. *Fulu.* VRSINVS *edit. Paris.* pag. 222.

334. Roma galeata, cum nota denarii, pone olla ansata.
SEX*tus* POM*peius* FOSTVLVS. ROMA. Lupa cum gemellis Romulo & Remo, sub ficu arbore, cui tres insident auiculae; adstat pastor Faustulus dextram extendens, laeua baculo innixus.

Elegans, cuius ἔκτυπον tab. V. num. III. contemplandum sistimus. Quoniam saepius apud veteres cognomen omittitur, hinc difficulter adseri potest, ad quem Sextum Pompeium Fostuli siue Faustuli cognomen spectauerit. VRSINVS, quem VAILLANTIVS & ipse cel. HAVERCAMPVS secuti sunt, ad Sextum Pompeium, qui consul fuit cum L. Cornuficio, eodem anno, quo interiit Pompeii Magni alter filius, item Sextus Pompeius dictus, siue A. V. C. IↃCCXVII. denarium hunc spectare suspicatur. Quisquis vero fuerit hic Sextus Pompeius, propter cognomen Faustuli, adlusit ad notissimam illam Romuli & Remi historiam, inuentorum atque nutritorum a pastore Faustulo. *Aues ficui Ruminali insidentes* de pico explicant antiquarii, iuxta *Ouid. lib.* III. *Fast.* vs. 37. & vs. 53.

Martia, picus, auis gemino pro stipite pugnant,
Et lupa; caet.
Lacte quis infantes nescit creuisse ferino,
Et picum expositis saepe tulisse cibos?

VRSINVS, PATINVS, VAILLANTIVS & ipse MORELLIVS vnam tantum in auersa huius numi pagina auiculam exhibent: cel. HAVERCAMPVS autem & erud. *Iul. Carol.* SCHLAEGERVS tres picos obseruant. In meo denario, cl. thes. Morelliani interpres inquit, clare

clare tres pici apparent, praeter enim illam mediam, duobus exterioribus ramis totidem auiculae insident. Poëta vero, vir summus addit, synecdoche numeri vsus est, vel sculptor aues ad ramorum numerum multiplicauit. Totidem, doctiss. SCHLAEGER subiungit, in nostro quoque fuisse videntur; qui vero nunc, quoad oram, paullulum est detritus; vid. *thes. Morell.* tom. II. p. 342. sq. VAILL. *fam Rom.* tom. II. pag. 262. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 222. *Numophyl. Burckhardianum* p. I. pag. 49. Cel. SCHVLZIVS noster, haud pridem, proh dolor! humanis rebus ereptus vir eruditissimus, quum in antiquissimorum rituum Romanorum interpretatione de prima vrbis Romae origine praeclare multis disseruisset, illustrationis caussa hunc producebat denarium; conf. *Henr.* KIPPINGII *antiqu. Rom.* pag. 322. sq. NIEVPOORT. sect. I. cap. I. §. I. p. m. 3. BEGERI *Florus* pag. 14.

POMPONIA.

335. L*ucius* POMPON*ius* MOLO. Caput Apollinis laureatum.
NVMA POMPIL*ius*. Rex Numa stans habitu augurali ante aram Iunonis αἰγοφάγου ignitam, ad quam victimarius caprum mactandum adducit.

Pomponiam gentem equestrem fuisse ab vltima origine stirpis Romanae *Cornelius Nepos in Attico* commemorat. A Pompone Numae Pompilii regis filio duxisse originem, & *Plutarchus* scribit *in Numa*, & is, qui denarium hunc signauit L. Pomponius, auersae paginae typis indicat. Hanc itaque nobilitatem vt in primis familiae suae vindicaret L. Pomponius Molo, *ritum sacrificiorum*, quae Numa instituisse fertur, ab altera denarii parte expressit. *Apollo* cur ab altera parte expressus sit, duplicem HAVERCAMPVS noster caussam protulit; vel, enim inquit, peculiaris quaedam alicuius ex Pomponia familia esse potest, vel ipsius Numae respectu, qui quum Musas coluisse legatur, Apollinem negligere non potuit. De Musis siue Camoenis testis est *Plutarchus in Numa* pag. 65. Inter Pomponios Romanos, qui Molonis habuerit cognomen,

men, apud ſcriptores haud invenitur. PIGHIVM, qui ex *Cic. epiſt.* lib. II. *ad Q. Fratrem* ep. 6. Pomponium hunc aedilem plebis cum C. Coſconio fuiſſe aſſerit, VAILLANTIVS ſequitur. Verum apud Tullium, vt recte HAVERCAMPVS monuit, ſimpliciter Pomponius appellatur, non addito Molonis cognomine. Cum eodem illo Coſconio inſuper praetorem fuiſſe idem VAILLANTIVS affirmat. Scilicet, vt ludos Apollinares ab illo praetore editos, atque a praetore eodem cuſum hunc denarium fuiſſe, nobis perſuadeat. Tutius ignorabimus hunc L. Pomponium Molonem, quouſque clarior lux ex ſententia magis veroſimili adfulgeat. Haec cel. *Sigeb.* HAVERC. vid. *eiuſd. comment. in theſ. Morell. ianum* p. 343. ſq. conf. VAILL. tom. II. pag. 278. *Fulu.* VRSINVS pag. 223. *Iac.* OISELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 543.

PORCIA.

336. LAECA. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.
Marcus PORC*ius*. ROMA. Libertas, quadrigis vecta, d. pileum tenet, l. haſtam & equorum habenas; illam a fronte Victoria aduolans coronat.

Porciae gentis *plebeiae* M. Catonem, qui Cenſorius adpellatus eſt, Tuſculo municipio oriundum, auctorem exſtitiſſe, inter ſcriptores ſatis conſtat: de eo enim ita ſcribit *Cicero* de *legib.* lib. II. *edit. Gronou.* pag. 1293. *Vt ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaque, cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris;* caet. Fragmentum, quod ex *Corn. Nepotis* libro poſteriore ſupereſt, de vita Catonis agit, cuius initium eſt. *Cato ortus municipio Tuſculo, adoleſcentulus, priuſquam honoribus operam daret, verſatus eſt in Sabinis;* caet. Huius gentis nomen a *porcis* deriuatum eſſe *Varro lib.* II. *cap.* I. innuit. *Nomina multa*, inquit, *habemus ab vtroque pecore, a maiore & a minore. A minore Porcius, Ouinius, Caprilius*, reliqua. Reperiuntur in numis Licini, Laecae, & Catones. Praeclarum denarius iſte Porciae legis eſt monumentum,

mentum, quae lex, teste *Cicerone orat. pro C. Rabirio* cap. IIII. *virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit.* Vnde indignatio eiusdem contra Verrem, qui Messanae ciuem Romanum, virgis caesum, insuper in crucem egerat. Historia exstat lib. V. *in Verr.* cap. LXII. *edit. Gronou.* 378. *Caedebatur virgis in medio foro Messanae ciuis Romanus, iudices; cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec*, CIVIS ROMANVS SVM. - - - - *plebi Romanae tribunicia potestas!* Huc etiam spectant verba illa declamatoris incerti, ex oratiuncula, quae *Sallustii* nomen praefert contra Ciceronem. *Te consule, fortunatam, Cicero? immo vero infelicem & miseram,* - - - - - *te vnum reuocaueras.* A quo autem Porcio, tribuno plebis, haec lex lata fuerit, incertum est, neque certo liquet, ad quem M. Porcium Laecam hic denarius referendus sit. Tribunus pl. A. V. C. IↃLIIII. M. Porcius Laeca quidam intercessione sua prohibuit, teste *Liuio* lib. XXXII. cap. 7. p. m. 806. ne L. Manlius Acidinus proconsule ex Hispania decedens, Vrbem ouans introiret, quum a senatu Manlius illud impetrasset. Inter coniuratos, qui cum Catilina erant, commemoratur quoque quidam Laeca, qui Marci praenomen habuit, a *Cicerone* in *orat. pro P. Sulla* cap. II. Vtrum ad priorem an ad posteriorem hic denarius spectet, incertum est. *Fulu.* VRSINVS Catilinariae coniurationis socio nummum hunc adiudicat. VAILLANTIVS priori eundem tribuit. HAVERCAMPVS hac in re dubitat. Adscripta vox ROMA in Vrbe denarium signatum esse innuit. Respicit hic itaque typus legem Porciam de prouocatione, quae reuera magnum libertatis erat munimentum, & singulare populi Romani decus. In tribuniciae potestatis honorem, atque hanc ciuium praerogatiuam, hunc typum elegit M. Porcius Laeca, vt libertatem populo per proauos suos datam gloriaretur. Hinc *dea Libertas in quadrigis dextra pileum*, libertatis symbolum, *gerens, laeua hastam & equorum habenas.* Supra pag. 109. num. 191. in Cassia gente similem denarium, qui similem familiae suae gloriam respicit, iam exhibuimus. HAR-

DVINVS, ſolito diſcedendi ab aliis pruritu inductus, ex hoc denario ad *Plin.* tom. I. p. 721. aliam, certe permiram &, ſi dicendum quod res eſt, prodigiis ſimilem extorſit ſententiam, quam cel. HAVERCAMPVS theſauro Morelliano inſeruit; vid. *comment. in theſ. Morell.* pag. 351. ſq. VAILL. tom. II. pag. 300. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 228. ſq.

337. *Marcus* CATO. Caput Bacchi, ſiue Liberi Patris hedera & baccis coronatum.

VICTRIX. Victoria ſedens, d. pateram tenet, l. palmam.

Quinarius, aſper, & longe elegantiſſimus, in cuius poſtica pateram, quam in pictura Morelliana haud offendes, clare conſpicimus. Haud temere a cl. MORELLIO pateram illam in delineatione omiſſam eſſe HAVERCAMPVS monet. Etſi, vir ſummus ait, hi quinarii nihil oſtendant in extenſa Victoriae manu, vnus tamen ex meis pateram (niſi corollam in omnibus malis) ſatis clare depingit. Reliqui illam partem minus ab incude tactam habent, quod & Morellianis hiſce contigiſſe exiſtimo. M. Catonis iuſſu, qui & Vticenſis dictus fuit, in Africa, eo tempore, quo ibi contra Caeſarem Scipio Metellus bellum gereret, aderatque Vticae M. Cato, qui praetoris tunc habebat titulum, pecuniam hoc typo inſignitam fuiſſe HAVERCAMPVS exiſtimat. *Caput Liberi Patris* vel dei eius in Africa cultum, vel aedilitatem, quam haud pauci ex Catonis maioribus geſſerunt, innuit. Signauit praeterea Cato in altera numi pagina *Victoriam* ſtabilem (quare *ſedentem* fecit) *dextra tenentem pateram*, tanquam libantem pro perpetua victoria liberae & aeternae Vrbis; qua de cauſſa VICTRIX, ſubintellige ROMA, ſubſcribitur. Victoriae typum VRSINVS & VAILLANTIVS aliter explicant. Referunt enim ad aedem Victoriae a M. Porcio Catone, antiquiore, olim A. V. C. IↃLXI. dedicatam. *Liuius* lib. XXXV. cap. 9. eius mentionem facit. *Iiſdem diebus*, inquit, *aediculam Victoriae Virginis, prope aedem Victoriae, M. Porcius Cato dedicauit, biennio poſt, quam vouit.* Quam in Vrbis regione VIII.

Pub.

Pub. Victor commemorat, *Aedes Victoriae, cum alia aedicula Victoriae Virginis, dedicata a M. Porcio Catone fuit.* *Fulu.* VRSINVS ex quinarii huius inſcriptione VICTRIX ſuſpicatur, apud *Liuium* & *Victorem, Victricis* pro *Virginis* legendum eſſe. Cel. HAVERCAMPVS antiquam lectionem retinendam exiſtimat, addens: Victoriae Virgini enim votum feciſſe Cato videtur, vt quae nunquam vi peregrina fuerat oppreſſa, quamque perpetuo illibatam florere apud Romanos optabat; vid. *theſ. Morell.* tom. II. p. 352 ſq. VAILL. tom. II. pag. 297. ſq. VRSINVS *loc. cit.*

338. Caput Romae galeatum, cum litt. X. denarii ſigno.
caius CATO. ROMA. Victoria in citis bigis, d. praefert corollam, l. equorum tenet habenas.

Duo Porcii Catones occurrunt in veterum ſcriptis, qui praenomen Caii habuernnt. C. Porcius Cato, conſul A.V.C. IↃCXXXVIIII, qui male contra Scordiſcos pugnauit; & turbulentus ille tribunus plebis, qui Ptolemaei reductionem in regnum per Lentulum impedire conatus fuit. Magiſtratum illum geſſit A. V. C. IↃCLXXXXVII. Ad quem ex duobus numus hic referendus ſit VRSINVS dubitat. Priori (quod & typi ſimplicitas ſuadere videtur) tribuit VAILLANTIVS, negatque recte cudi potuiſſe tempore conſulatus, quo male pugnauit & ignominioſe contra Scordiſcos, ſed ad quaeſturam eius prouincialem refert; typum vero explicat de M. Catonis Cenſorii victoria de Hiſpania relata, & putat hunc eius nepotem memoriam victoriae eius voluiſſe renouare & ſimul dedicationis aedis Victoriae Victricis ab eodem auo ſuo factam. In quaeſtura prouinciali cuſum fuiſſe denarium redarguit vox ROMA. Cudit itaque ille C. Porcius Cato eundem in quaeſtura vrbana, vel triumviratu monetali. Typus eſt ſimplex, nam nullius peculiaris victoriae reſpectu *bigae* & quadrigae cum inſiſtente Victoria ſignari ſolebant. Pro aede Victoriae Victricis *Liuius* & *Publius Victor* aedem Victoriae Virginis, vt oſtendimus, agnoſcunt. Ex cel. HAVERCAMPI, nunquam ſatis laudando, *in*

thesaurum Morellianum commentario, pag. 353. sq. conf. VAILL. tom. II. pag. 296. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin. loc. cit.*

POSTVMIA.

339. *Aulus* POSTVMIVS CO*nsul.* Caput nudum A. Postumii cos. ALBINVS BRVTI F*ilius.* in corona spicea.

Bene conseruatus. Postumia gens *patricia*, in plures diuisa familias, quarum nobilissima fuit, quae in denariis reperitur Albinorum ab *albo* corporis colore ita dictorum, post exactos reges Romae floruit. Inter nobilissimae huius gentis decora recensetur, quod non in plebeias familias adoptione transierit, sed ad interitum vsque rei publicae in patriciorum ordine constanter permanserit. Hic est ille Decimus Brutus, de quo iam supra pag. 189. ad eundem hunc denarium egimus, quique, inter intimos Caesaris amicos, vna cum M. Iunio Bruto aliisque contra illum conspirauit, quique Mutinae ab Antonio obsessus fuit, & tandem ex fuga retractus, Antonii eiusdem iussu fuit interfectus. Hunc, vt in historia illius temporis notissimum, passim Decimum Brutum, veteri adpellatione, scribunt auctores; sed alterum Albini nomen, praeter denarium hunc, illi quoque vindicat *Plutarchus in vita M. Bruti* pag. 989. vbi a Labeone sollicitatum eundem ad conspirationis arcanum fuisse refert. Ab A. Postumio Albino hic *Bruti filius* adoptatus fuerat, quod ipsa auersae denarii paginae inscriptio docet. Vt itaque antiquitatem generis, ad quod transierat, ostenderet, *Auli Postumii consulis & dictatoris caput* signauit, quem praecipuum auctorem generis sui decusque Postumii habebant. *Corona Spicea*, cur ab altera numi parte expressa sit, vera caussa in incerto est, quam enim profert VAILLANTIVS, quod quaestor vrbanus annonae abundantiam procurauerit, cel. HAVERCAMPVS conuellit; quod hic denarius nequaquam Romae, sed extra Vrbem cusus fuerit. Credo itaque, vir eruditissimus subiungit, cusum fuisse tempore belli ciuilis, dum Mutinae obsessus fuit Decimus Brutus. Ille enim, vt testatur Appianus, Gallia (quam illi pro-

uinciam

uinciam a Caesare datam, confirmauerat senatus) vi ab Antonio expulsus, vt liceret sibi tuto cum exercitu abire, finxit accepisse se litteras, quibus in vrbem reuocaretur, atque ita veluti in Italiam properans, & abire cum suis ab Antonio permissus, in itinere Mutinam vrbem occupauit, ibique egregie impetum Antonii sustinuit. Verba *Appiani* exstant *lib.* III. B. C. pag. 558. *Decimus, veritus ne vlla earum* (vrbium) *sibi pateret, finxit se cum exercitu a senatu in vrbem revocari per litteras, ingressusque iter versus Italiam, omnibus vt abeuntem excipientibus, vbi Mutinam vrbem opulentam peruenit, tanquam pertransiturus, portas clausit, & annona Mutinensium vsus est ad alendum exercitum, mactatorumque iumentorum carnes saliuit, si forte contigerit diuturnior obsidio: ibique expectabat Antonium.* Quod Appiani testimonium, HAVERCAMPVS ait, videtur ad huius typi explicationem posse pertinere. *Corona spicea* enim abundantiam significat; signata itaque in vsum militum pecunia, promisit iisdem, curaturum sese, vt in obsessa vrbe nullius rei forent indigi. Haec sunt fere illa, quibus elegantem hunc denarium, doctissimus veterum numismatum interpres, cel. HAVERCAMPVS explicat; vid. *eiusd. comment. in thes. Morell.* pag. 356. sq. VRSINVS pag. 231. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 311. vbi plura de vita & cruenta Bruti morte commemorantur.

340. ROMA. Caput Dianae cum arcu & pharetra.
Aulus ALBINVS *spurii* *Filius*. Tres equites, hastis, clypeis, & galeis armati, citato cursu feruntur, quos & Dioscurorum pilei per aera praecedunt, & figura minor, clypeo & gladio armata, tanquam fugiens praecurrit.

Serratus, asper, quem, quia a vulgatis celeberrimorum antiquariorum typis differt, tab. V. num. IIII curatius aeri impressum exhibet Priusquam ad penitiorem numi explicationem nos accingamus, pauca quaedam, quae ad huius denarii picturam spectant, praemittenda sunt. Omnes, cel. HAVERCAMPVS inquit, qui hac-

tenus hunc denarium ante MORELLIVM depinxerunt edideruntque, inſcriptionem ita exhibent, A. ALBINVS. Accedit in Morelliana pictura illud inſuper, quod figura litterae M. cernatur ſupra caput peditis fugientis. At in numo meo, idem praeclarus antiquarius addit, expreſſe legitur A. ALBINVS S. F. in illo vero partem illam denarii (vt fieri ſolet) vbi pedes fugiens conſpicitur, minus bene tetigit inſtrumentum monetarii, ſic, vt fugientis crus alterum & dimidia tantum corporis pars conſpicua ſit. Alter vero denarius meus vice verſa, alteram illam partem poſteriorem incudi ſubiectam non habuit, ſic vt laedantur duo pedes equi poſteriores, & ex epigraphe hae tantum adpareant litterae A. ALBINV per rotunditatem numi reliquis ablatis. Sed in illo, quod in nullis aliis amicorum mihi tam clare obſeruare licuit, pars illa numi, ſiue area, quae ante equites eſt, non modo exhibet peditem illum, ſed duo inſuper vexilla hoſtium fugientium clare & nitide expreſſa; ex quibus quum vnum, idque non ſatis clare, conſpiciendum ſeſe praebuerit in illo numo, quem delineauit Morellius, credidit is litteram M eſſe, quam in illa parte obſeruauit, illam enim non male fluxa illa vexilli extremitas in numi parte ibi nimus bene ſeruata referre ſolet. Obſeruari praeterea volo, peditem illum in fugam verſum ita in meo exprimi, vt qui, dextro poplite velut ſucciſo, in terram procumbat, conculcandus ab equis, facie & habitu corporis auerſo ab equis, non, vt BEGERVS & GORLAEVS pinxerunt, aduerſo, ſiue corpore plane proſtrato. Hactenus cel. HAVERCAMPVS. Praeclara ſunt haec omnia, quibus vir cl. GORLAEI, BEGERI, & ipſius MORELLII picturam emendat; ea tantum, quae de duobus hoſtium vexillis idem vir doctiſſimus commemorat, non firmo ſatis talo ſtare videntur. Patet enim, ſi integerrimum illum Fonteiae gentis numum, quem ſupra pag. 160. deſcripſimus, cum eleganti hoc denario conferamus, hic, pariter vt ibi, Dioſcurorum pileos monetae impreſſos eſſe, adeoque HAVERCAMPI de hoſtium vexillis valde vacillare ſententiam. Multum autem lucis haec Dioſcurorum ſymbola hiſtoriae illi affundunt, quam

quam omnes auerſae huius denarii paginae typi reſpiciunt. His praemiſſis accedimus ad ſingulas numi partes ſigillatim explicandas. *Caput Dianae*, quod in antica denari parte cernitur, ludos Apollinares reſpicere antiquarii autumant. Non quod praetores, HAVERCAMPVS monet, ſignauerint pecuniam cum iſto typo, vt ſemper ſupponit VAILLANTIVS, ſed quod, vel praeturam maiorum hoc pacto voluerint celebrare, vel ad ſumtus ludorum Apollinarium, iuſſu ſenatus, triumuiri monetales hanc pecuniam ſignauerint, vel denique quod Albinus hic reſpexerit ad ludos illos ſaeculares quartos, quibus proauus A. Poſtumius Albinus A. V. C. IↃLXXXI. XVvir ſacris faciundis praefuit; quod etiam ex ſubſequenti tertio alterius Albini numo confirmatur. *Tres equites*, qui in altera denarii parte fugientem hoſtis peditatum perſequuntur & conculcant, nobilem illam Poſtumii dictatoris pugnam ad lacum Regillenſem in memoriam reuocant, de qua *Florus lib.* I. *cap. II. edit. Beger.* pag. 100. ſqq. *Apud Regilli lacum dimicatur - - - - commilitonibus deis.* Item *Valer. Maxim. lib.* I. *cap. VIII. ex* 1. *edit. Vorſt.* pag. 32. *Cum apud lacum Regilum - - - - penitus fuderunt.* Hinc *Dioſcurorum pilei*, qui in conſpectu equitum quaſi per aera volitant, haud dubie Caſtorem & Pollucem in memorabili illo praelio Romanarum partium propugnatores fuiſſe denotant. Pugnatum autem fuiſſe idib. Quintil. teſtis eſt *Dionyſius*, eoque die, quotannis, poſtea in honorem Caſtoris & Pollucis, atque in apparitionis illius memoriam, equites in Capitolium pompam ducere coeperunt. Adſcripta vox ROMA in Vrbe hunc denarium ſignatum eſſe indicat. Aulum hunc Albinum Spurii filium fuiſſe denarius docet. Hinc procul dubio ab illo Albino ſignatus eſt, qui, vt ex ſubſequenti numo patet, vna cum L. Metello & C. Malleolo triumuir monetalis fuit. Is itaque, ratione temporis, videtur fuiſſe filius Spurii Albini, conſulis A. V. C. IↃCXXXXIII. vid. *theſ. Morell. loc. cit.* VAILL. tom. II. pag. 305. ſq. VRSINVS *loc. cit.*

341. *Aulus* ALB*inus ſpurii* F*ilius.* L*ucius* METEL*lus.* Caput Apollinis laureatum.

Corus

caius MAL*leolus*. ROMA. Roma clypeis insidens, d. hastam tenet, l. parazonium; illam post tergum adstans Victoria coronat.

De eleganti hoc denario & supra in Caecilia pag. 95. sq. & antea in Poblicia gente egimus, vbi ea, quibus HAVERCAMPVS VAILLANTIVM refutauit, inserta esse recordor. Hic enim Honori aduersae caput laureatum tribuit, quod Apollinis est, & triumuiros aedibus sacris reficiendis existimat fuisse Albinum, Metellum, & Malleolum, qui tamen simul triumuiri monetales exstiterunt. Ex illis vero, vt HAVERCAMPVS autumat, familia Postumiorum Albinorum sibi *Apollinis* potissimum vindicauit *caput*, sicuti in denario praecedente Dianae typum, non alia de caussa, nisi quod Aulus Postumius Albinus consul A. V. C. IↃLXXIII. decemuir sacrorum factus fuerit in L. Cornelii Lentuli demortui locum. Ille itaque A. Postumius Albinus ludos saeculares quartos Apollini & Dianae sacros curauit, iis enim praeerat decemuirorum collegium; vid. *comment. in thes. Morell.* pag. 358. conf. VAILL. tom. II. pag. 309.

342. Caput Dianae Venatricis cum arcu & pharetra.

caius POSTVMI*us* & monograma A͞. Canis venaticus currens, infra quem venabulum extenditur.

Eleganter signatus. VAILLANTIVS denarium hunc ad C. Postumii S. F. L. N. vrbanam praeturam refert, atque his typis Apollinares ludos ab illo fuisse celebratos innui existimat. Verum quum nec vox ROMA adsit, neque apud praetores ius cudendae monetae fuerit; certe haud probari poterit in Vrbe, a praetore vrbano, hunc signatum fuisse denarium. C. Postumius, *Fulu.* VRSINVS inquit, licet a nullo, quod sciam, veterum scriptorum nominetur, *Dianae* tamen *caput*, & ei dedicatus *canis*, qui est in altera denarii parte, ad saeculares ludos indicandos signatus, facit vt suspicer consanguineum eum fuisse Postumii, qui priores duos sequentis tabellae cusit denarios. Hanc VRSINI sententiam ipse HAVERCAMPVS amplectitur, denariumque non superiori C. Postumio

mio adiudicat. Ego, vir doct. inquit, ad alium C. Postumium Albinum numiisma referri debere arbitror, qui scilicet fuerit ex posteritate A. Postumii Albini, qui consulatu functus fuit A. V. C. IↃCLIIII. & qui, quum Xvir sacris faciundis in Lentuli locum fuisset factus, ludos saeculares curauit. Quantopere enim ludos illos saeculares ab eodem curatos in numis posteritas eius ostentauerit, patet ex duobus praecedentibus denariis, & praecipue illo, qui sequitur. *Monogramma* AT. vel TA. monetarii signum est; vid. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 306. sq. VRSINVS pag. 232. HAVERCAMPVS p. 358. sq. conf. *Const.* LANDI *select. numism.* p. 128. sqq.

343. Caput Dianae venatricis cum arcu & pharetra, in vertice eiusdem est caput ceruinum.

Aulus POST*umius* *Auli* F*ilius* *spurii* *Nepos* ALBIN*us.* Mons, supra quem stat sacerdos, dextram extendens inter cornua bouis super frontem eiusdem, ara est intermedia.

Serratus. Aulum Postumium, qui in hoc denario Auli filius & Spurii nepos vocatur, antiquarii iudicant fuisse filium A. Albini, consulis A. V. C. IↃCLIIII. nepotem Spurii Albini, consulis A. V. C. IↃCV. pronepotem A. Postumii Albini consulis A. V. C. IↃLXXIII. censoris A. V. C. IↃLXXVIIII. & deinde de Xviri sacris faciundis in Lentuli locum facti A. V. C. IↃLXXXI. In quaestura prouinciali videtur hic A. Postumius Albinus hunc denarium signasse, in quo celebrauit ludos saeculares, qui fieri solebant in honorem Apollinis & *Dianae*, vnde *mons Auentinus*, Dianae sacer, in hoc denario conspicitur. De Xvirorum collegio & ludis saecularibus, quibus collegium illud praeerat, consulendi sunt NIEVPOORTIVS *sect.* IIII. *cap.* II. §. V. & §. VIII. *Henr.* KIPPINGIVS *edit. Batau.* p. 388. p. 275. & p. 26. *Fulu.* VRSINVS *loc. cit.* Ludi vero hi saeculares quartum celebrati fuerunt coss. L. Marcio Censorino & Manio Manilio Nepote A. V. C. IↃCIIII. siue ex Varronis computo A. V. IↃCV. Quamuis triplicem de tempore eorundem adferat senten-

Ii tiam

tiam *Cenſorinus* in libello *de Die Natali* cap. XVII. *edit. Lindenbrog.* pag. 81. ſq. *De quartorum ludorum anno - - - - - Oreſte coſſ.* Iam vero A. V. C. IↃLXXXI. decemuir ſacrorum factus fuit proavus A. Poſtumii Albini huius, qui denarium cudit, A. Poſtumius Albinus. *Liuius lib.* XXXXII. *cap* 10. *L. Cornelius Lentulus Xuir ſacrorum, eo anno mortuus eſt. In locum eius ſuffectus A Poſtumius Albinus.* Hinc liquido conſtat, quae potiſſimum rationes Poſtumium noſtrum mouerint, vt hunc, & non alium, in ſignanda moneta typum elegerit. *Caput ceruinum* aut Dianam reſpicit, aut ad monetariorum ſigna pertinet; vid. *theſ. Morell. loc. cit.* VAILL. tom. II. pag. 310. conf. perill. *Ezech.* SPANHEMIVS *de vſu & praeſt. numiſm.* tom. II. p. 128. ſqq.

344. HISPANIA. Caput Hiſpaniae velatum, fluxis capillis.
Aulus POST*umius Auli Filius ſpurii Nepos* ALBIN*us*. Vir togatus ſtans dextram adtollit verſus aquilam legionariam, poſt virum ſtantem eriguntur faſces.

Serratus, aſper, quem tab. V. num. V. affabre depictum tradit. Hunc ab eodem Albino, qui praecedentem ſignauit, cuſum eſſe auerſae inſcriptio docet. In eleganti hoc denario, pariter vt in antecedenti, vox ROMA abeſt; hinc extra Vrbem vtrumque ſignatum eſſe colligimus. *Caput Hiſpaniae*, quod anticam numi partem occupat, L. Poſtumii res in Hiſpania feliciter geſtas reſpicit, quarum *Liuius* lib. XXXXI. cap. 6. fecit mentionem. *Per eos dies Ti. Sempronius - - - - diis immortalibus haberetur honos.* & cap. VII. *Triumphi deinde ex Hiſpania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, ſociiſque eorum; poſtero die L. Poſtumius de Luſitanis aliiſque eiusdem regionis Hiſpanis triumphauit.* Vaccaeos eoſdem adpellatos fuiſſe, quos non nominat Liuius, epitome eius libri, cuius pars prior periit, oſtendit: *A. Poſtumio Albino proconſule Vaccaei ac Luſitani ſubacti ſunt.* Triumphauit A. V. C. IↃLXXV. vti etiam marmora Capitolina teſtantur. *Faſces*, imperii inſignia, proconſulare denotant imperium; *aquila legi-*

legionaria, terrae infixa, exercitum, a quo ſublata dextra iuſiurandum poſcit Poſtumius, quemue pro ſignis alloquitur; vid. *th. ſ. Morell.* tom. II. pag. 359. VAILL. *fam. Rom. loc. cit.*

PROCILIA.

345. *senatus conſulto.* Caput Iouis laureatum.

Lucius PROCILI*us Flamen*, nempe Iunonis Siſpitae, quae gradiens d. haſtam vibrat, l. ſcutum oblongum tenet, ante pedes ſerpens progreditur.

Aſper. *Plebeiam* hanc fuiſſe gentem tribunatus plebis, quem L. Procilius, qui hunc & ſequentem ſignauit denarium, geſſit, indicat. *Iunonis Siſpitae* ſiue Soſpitae pulcherrimam iuxta hunc numum deſcriptionem ſuppeditat *Cicero lib. I. de nat. deor. cap.* XXVIIII. edit. Gronou. pag. 1212. *Quid igitur cenſes? Apim illum, ſanctum Aegyptiorum bouem, nonne deum videri Aegyptiis? tam hercle, quam tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu nunquam ne in ſomniis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis. At non eſt talis Argiua, nec Romana Iuno. Ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis, alia Lanuuinis.* Omnia haec in denario, in quo, vt recte HAVERCAMPVS monet, calcei repandi vtique notari debent, qui in numis ipſis aliquanto etiam magis longiuſque incuruantur. Procilium hunc illum fuiſſe eruditi autumant, cuius crebra fit mentio apud *Ciceronem, lib. II. ad Attic.* ep. 2. *O magnum hominem! & a quo multo plura didiceris, quam de Procilio.* lib. IIII. ep. 15. *Nunc Romanas res accipe - - - - condemnarunt XXVIII.* & ep. ſequenti 16. *De Procilio rumores non boni: ſed iudicia noſti.* Et in *epiſt. ad Q. Fratrem lib.* II. ep. 8. *Id. Maiis ſenatus frequens, diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Adiurat Procilius hoc nemini accidiſſe.* L. Procilius iſte in quaeſtura vrbana, vt VAILLANTIVS exiſtimat, denarium hunc ſignauit ex Senatuſconſulto, quod arguit nota S. C. in memoriam quod conſules deſignati magiſtratum ineuntes Ioui & Iunoni Soſpitae ſacra, vt moris erat, feciſſent. Ipſis enim calendis Ianu-

 ariis

ariis frequenti populo comitati aſcendebant in Capitolium, & I.O. M. iniuges iuuencos mactabant; vt teſtatur *Ouidius:*

Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Iamque noui praeeunt faſces, noua purpura fulget,
Et noua conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba phaliſca ſuis.

Ideo ex eiuſdem VALENTIS ſententia *Iouis caput* aduerſam denarii partem occupat & *Iuno Siſpita* auerſam. Aliter de poſtica numi parte ſentit VRSINVS. Procilius, vir cl. ait, vt ſe Lanuuinum eſſe, uel maiores ſuos inde ortos indicaret, Iunonis Soſpitae ſignum cum *Lanuuino ſerpente* in numis impreſſit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 360. ſq. VAILL. tom. II. pag. 316. *Fulu.* VRSINVS in *Procilia gente;* conf. perill. *Ezech.* SPANHEMIVS tom. II. pag. 14.

346. S. C. Caput Iunonis Lanuuinae, pelle caprina tectum.
Lucius PROCILI*us* F*lamen*, nempe Iunonis Siſpitae.
Iuno Lanuuina in bigis d. haſtam vibrat, ſ. habenas & ſcutum tenet; ſub bigis ſerpens ſe erigit.

Serratus, elegans. Litteram F. quae in vtroque denario conſpicitur, pleriſque antiquariis neglectam, denotare flaminem ſiue ſacerdotem Iunonis Lanuuinae hunc Procilium fuiſſe primum cel. HAVERCAMPVS docuit; vt itaque integra ſit lectio *Lucius* PROCILI*us Flamen Iunonis Soſpitae.* quae duae vltimae voces non quidem ſcribuntur in denariis, depinguntur tamen per ipſius deae imaginem & currum. Iunonem vero Soſpitam, ſiue Lanuuinam, ſuum habuiſſe flaminem patet ex *Cicer. orat. pro Milone* cap. X. *edit. Gronou.* pag. 623. *Interim cum ſciret Clodius iter ſollenne, legitimum, neceſſarium ante diem XIII Kal. Febr. Miloni eſſe Lanuuium ad Flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuii Milo;* caet. In primis Lanuuii magno honore colebatur haec Iuno a σώζω, quod *ſeruo* ſignificat, Soſpita dicta, quaſi haec dea Romanorum ſerua-

ret

ret imperium. Hinc apud *Liuium* haud uno loco legitur, Romanos Lanuuium misisse legatos, qui, sacrificio facto, hanc placarent Iunonem. De *Lanuuino dracone* consulendus cl. *Laur.* BEGERVS in *thes. Brand.* tom. II. pag. 569. Adscripta *senatusconsulti nota* docet iussu eiusdem signatam hanc monetam fuisse, siue Romae (quamuis VOX ROMA absit, occupante scilicet locum eius nota S. C.) a triumuiro monetali L. Procilio, siue extra Romam ab eodem quaestore; vid. *thes. Morell. loc. cit.* VAILL. tom. II. pag. 317. VRSINVS *loc cit.*

RENIA.

347. Roma galeata, cum litt. x. solito denarii signo.

caius RENI*us*. ROMA. Figura muliebris in renorum bigis, d. flagrum, l. sceptrum tenet.

Soli numi incognitam hanc apud veteres gentem indicant. Hinc incertum est, vtrum Renii plebeii an patricii fuerint. Nomen a renis, quod animal hirco non absimile esse aiunt, traxisse videntur. Reni, VAILLANTIVS ait, hirco sunt persimiles, & iis ad huc vtuntur in Finlandia supra niuem, ad trahendos currus, quod illi sint veloces. Caius ille Renius, triumuir monetalis, procul dubio ad denotandam nominis suae gentis originem, *currum a duobus renis tractum* exhibuit. *Figuram illam muliebrem*, quae renorum bigis insistit, *Iunonem Monetam* esse HAVERCAMPVS existimat; vid. HAVERC. VAILL. & *Fulu.* VRSINVS *in gente Renia.*

ROSCIA.

348. *lucii* ROSC*ii*. Caput Iunonis Sispitae, pelle caprina tectum, pone lupi caput.

FABATI. Puella Lanuuina serpentem pascens.

Integer, & serratus. Rosciam gentem fuisse *plebeiam* docet L. Roscius tribunus plebis, qui quondam legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur, ex *Liu. epit.* lib. LXXXXVIIII. de qua *Horatius:*

 Roscia,

Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum
Naenia, quae recte regnum facientibus offert?

Pleraeque olim huius gentis fuere familiae, vna illa, quam nobis conſeruarunt numi, e Lanuuio ſuam ducit originem. Iam ex Procilia gente *Lanuuina Iuno* nota eſt, eiuſque imago ſaepius in familiarum numis occurrit. In denariis autem Roſcii Fabati *virgo illa Lanuuina, draconem ieiunum paſcens*, cernitur, plane ex ſententia *Propertii* lib. IIII. el. VIII. vſ. 3.

Lanuuium annoſi vetus eſt tutela draconis,
Hic vbi tam rarae non perit hora morae.
Qua ſacer abripitur caeco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat virgo, tale iter omne caue.
Ieiuni ſerpentis honos cum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſae pallent ad ſacra puellae,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas,
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

Addit huic ceremoniae *Aelianus de animalib. lib.* XI. *cap.* 16. praeter alias circumſtantias, prodi a ſerpente puellam, ſi virginitatem mentita fuerit. Roſcius autem Fabatus, qui omnes hoſce denarios, mira varietate minorum, quae paſſim adponuntur, ſignorum cudit, illos omnes extra Romam in Gallia ſignauit. Fuit enim Iulii Caeſaris ibidem A.V.C. IↃCLXXXXVIII. quaeſtor, Caeſariſque dignitatis defenſor acerrimus. In omnibus denariis *Iunonem Lanuuinam* ſignauit, ad oſtendendam ſuam originem, quae egregie quoque patet ex *Cicerone*, cuius ſingularem huic typo illuſtrando locum haud neglexerunt antiquarii. Exſtat *lib.* I. *de diuin. cap.* 36. *Quid*, inquit, *amores ac deliciae tuae Roſcius? - - - - nihil nobilius fore.* Vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 364. ſq. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 338. ſq. VRSINVS *in gente Roſcia.*

RVBRIA.

349. DOSSENVS. Caput Iouis laureatum, cum ſceptro.

LVCIVS

Lucius RVBRI*us*. Thensa a quatuor equis tracta, in summa parte Victoria, coronam tenens.

Rarum numum hunc facit Traiani restitutio, qui plurima talia antiquitatis monumenta, ne intercidérent, restituit; sed fortuna ita voluit, vt plerorumque restitutiones ipsis numis restitutis rariores factae fuerint. Rubriam gentem fuisse *plebeiam* ex Rubria lege colligitur, quae a Rubrio tr. pl. de restituenda, olim a P. Scipione euersa, Carthagine lata fuit. Caesar, *Fulu.* VRSINVS inquit, meminit L. Rubrii, qui, Pompeianarum partium cum esset, Corfinii captus cum Domitio fuit; quem nos eum esse existimamus, qui huius tabellae denarios cusit. Is est, idem vir clar. mox addit, vt opinor L. Rubrius, cuius hereditatem M. Antonium inuasisse scribit Cicero. Audiamus nunc, quid cel. HAVERCAMPVS de hac *Fuluii* coniectura sentiat. Diu haesi, vir summus inquit, quis ille foret L. Rubrius Dossenus, qui omnes hos numos cuderit, in VRSINI tandem sententia acquiescendum statui, illum videlicet esse, cui, capto Corfinio, pepercit Caesar. Erant senatorii ordinis, vt apud *Caesarem de B. C. lib I. cap* 23. legimus, *L. Domitius*, & *P. Lentulus Sphinter, L. Vibullius Rufus, Sextus Quinctilius Varus quaestor, L. Rubrius*; caet. L. Rubrius ille apud Ciceronem, cuius hereditatem inuaserat Antonius, non fuit Dossenus, Cassinas enim cognominatur in *Philipp* II. cap. 16. Dosseni vel Dossenni, huius nostri Rubrii forsan filii, meminit *Horatius* lib. II. ep. I. vs. 173.

Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis.

Thensam, quam auersa denarii pagina exhibet, Caesaris esse VRSINVS autumat, quod inter ea, quae humano fastigio ampliora sibi decerni passus fuit Caesar, recenseatur thensa quoque a *Suetonio* in *vita eius cap.* 76. *thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras*; reliqua. Si hoc verum foret, idem HAVERC. subiungit, egregie illustraret *Dionis* locum, & ab illo lucem caperet, cuius verba sunt lib. XXXXIIII *Quum haec etiam Caesari placuissent, iam in theatra etiam sellam eius auream, coronamque gemmis auroque insignem, (qui honor alias diis tribui solebat) inferri, atque in Circum*

Circum etiam introduci a multitudine iusserunt. denique Iouis ipsi cognomentum palam imposuerunt: templumque ei Clementiae dedicari iusserunt, sacerdotioque eius Antonium, quasi flaminem dialem aliquem, praefecerunt. Sed belle ex eodem *Dione* idem vir doctissimus obseruat, haec extremis Caesaris temporibus & paullo ante mortem gesta fuisse, quum velut in victimam propediem futuram certatim ille honorum cumulus ingereretur. Non igitur Caesaris ipsius has esse thensas cl. HAVERC. existimat, sed deorum, Iouis, Iunonis, Mineruae; erant enim & illae deae inter numina maiora, quibus fulmen, quo thensa in denario conspicua est, adtribuebatur. Horum numinum thensae in Circensi pompa solebant transuehi. L. Rubrium Dossenum, vita a Caesare donatum, inter amicos receptum, unum ex octo urbi praefectis eo tempore fuisse, quo Caesar periculosum illud in Hispania contra Pompeii liberos bellum confecit, idem cl. antiquarius credidit. Quum autem hi praefecti, *Dione* teste, omnium rerum, itaque etiam ludorum Circensium, curam in vrbe vna cum Lepido magistro equitum habuerint; facile apparet, quid thensae hae, & Circenses solemnitates in Rubrii denario innuere velint. Notat enim idem *Dio* lictoribus, veste, & sede curuli eosdem fuisse vsos, vnde & fasces & sella curulis, vt dignitatis & honoris emblema, occurrunt in numis eorundem ad fam. Liuineiam & Norbanam. num. I. II. III. conf. pag. 195. sq. num. 283. 284. 285. & p. 221. num. 315. Sicut igitur ibi sella curulis, & fasces, tanquam emblema potestatis praefectorum vrbis liquido ponuntur; sic in hisce Rubrii numis *thensae deorum* eiusdem potestatis sunt symbolum; & licet non adsit nota litterarum PR. vel PR. VR. quae praefectum vrbi fuisse Rubrium denotet, non moueor tamen illo defectu, HAVERC. ait, quod in quibusdam gentis Norbanae aliarumque adscribatur ille titulus, in aliis omittatur, quod & per se, & per symbola illa satis noti tum temporis essent hi praefecti, & Rubrius quoque sufficere thensas, vt reliqui fasces aliaque similia, existimauerit. *Victoria, quae* in altera denari pagina *ex thensis exsilit,* Caesaris res gestas respicit;

vid.

vid. *thes. Morell.* tom. II. 366. sq. VAILL. tom. II. pag. 342. sq. *Fulu.* VRSINVS *in gente Rubria.*

RVTILIA.

350. FLAC*cus*. Caput Romae galeatum.
L*ucius* RVTILI*us*. Victoria in citis bigis.

Optime conseruatus. Tribuni plebis, quos Rutilia gens protulit, *plebeiam* hanc fuisse gentem demonstrant. A Rutilio Flacco, qui A. V. C. IↃLXXXVIIII. quaesturam prouincialem iniit, *bigatum* hunc signatum esse eruditi existimant.

SALVIA.

351. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTE*state*. Caput Augusti nudum.
M*arcus* SALVIVS OTHO IIIVIR A*uro* A*rgento* A*ere* F*lando* F*eriundo*. S*enatus* C*onsulto* in area.

Aereus, sec. magn. numus. Saluiam gentem, ex principibus Etruriae, *Suetonio* teste, oriundam, *plebeiam* fuisse, ex *Appiani B. C. lib.* III. VRSINVS docet. Ex hac enim gente natus est Saluius is, qui tr. pl. anno IↃCCX. Ciceronis sententiae de M. Antonio hoste iudicando intercessit. Postea inter patricios a Claudio imperatore cooptatam fuisse *in Othone Suetonius* commemorat. Huius Saluii tr pl. filium aereum hunc signasse VAILLANTIVS autumat. M. Saluius Otho, HAVERCAMPVS inquit, qui hunc & sequentes numos aereos signauit, auus fuit M. Saluii Othonis, qui post Neronem imperauit. Ipse ad praeturam vsque processit, vt *Tacitus* & *Suetonius* adfirmant. Filium reliquit Lucium Saluium Othonem consularem. Sed vtrum noster M. Saluius Otho filius fuerit tribuni plebis Saluii, Ciceronis amici, qui A. V. C. IↃCCX prima triumuirorum victima cecidit, dubito; neque enim id siluissent vel *Tacitus* vel *Suetonius*. Saluii istius tragoediam narrat *Appianus lib. IIII. B. C.* pag. 598. *Prima saeuitia fortuito in magistratus effusa est, ante omnes caeso tribuno plebis Saluio. Est autem is magistratus sacrosanctus priscis legibus, & tantae potestatis, vt coss. aliquot in*

in carcerem miserit. Hic tribunus primum quidem intercesserat, quo minus hostis iudicaretur Antonius, sed postea Ciceronem in omnibus rebus iuuerat. Cognita autem triumuirorum conspiratione & in Vrbem festinatione, conuiuium domesticis praebuit, quasi non diu cum illis conuicturus: cumque irrupuissent armati in triclinium, adsurgentibus omnibus metu perculsis, centurio iussit caeteros quietos discumbere, Saluium, ita vt erat, capillis correptum super mensam protraxit quantum opus erat, atque ita praeciso capite domesticos iussit silere & loco manere, ita vt erant immotos, ne excitato tumultu paterentur similia: illi etiam post centurionis abitum attoniti, sine voce in multam noctem accubuerunt cum trunco tribuni corpore. Vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 371. VAILL. tom. II. pag. 353. sq. VRSINVS pag. 245. sqq.

352. CAESAR AVGVST. PONT. MAX. TRIBVNIC. POT. Caput Aug.
M. SALVIVS OTHO III VIR A. A. A. F. F. in area S. C.

Aereus, aerugine conspicuus, sec. magn. numus. In praecedenti numismate dextram versus, in hoc autem sinistrorsum respicit Augusti facies, de caetero ambo conueniunt.

SANQVINIA.

353. *Marcus* SANQVINIVS IIIVIR. Caput Iulii Caesaris laureatum, cum stella crinita in vertice.
AVGVSTVS DIVI *Filius*. Caput Augusti nudum.

Asperrimus, longe elegantissimus, rarus; vid. VAILL. *praest. impp. Rom. numism.* tom. II. p. m. 30. Plebeiane an patricia Sanquinia gens fuerit, incertum est. Solus enim *Tacitus, in fragmento lib.* VI. M. Sanquinium consulem suffectum fuisse commemorat. HAVERCAMPVS hunc vel filium vel fratris filium Sanguinii eius facit, qui huius gentis signauit denarios. *Fuluius* VRSINVS: Secundus tabellae denarius, inquit, habet in altera parte imaginem quandam, cuius vertici *stella* adiecta est, quam nos Caesaris dictatoris stellam esse existimamus, de qua his verbis meminit *Suetonius: Siquidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella*

ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam. Creditumque eſt animam eſſe Caeſaris in caelum recepti, & hac de cauſſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella; vid. *Suet. in Iulio cap. 88. edit Graeu.* pag. III. Imago tamen, idem vir clar. addit, quae in denario impreſſa eſt, iunioris cuiuſdam viri, non autem Caeſaris dictatoris effigiem repraeſentare videtur. Cl. *Andr.* MORELLIVS *in epiſt. ad cel. Iacob.* PERIZONIVM: Non vna, inter alia inquit, eruditis de duobus primis numis gentis Sanquiniae eſt ſententia. Clariſſ. VAILLANT in illis caput Caſtoris exprimi credidit; Clariſſ. vero BEGERVS rectius caput ipſius Auguſti repraeſentari exiſtimauit, quaſi diui Caeſaris ſpiritu animatum, propter ſtellam crinitam capiti imminentem. Vterque numus adſeruatur in theſauro Schwartzburgico, plures alios contemplatus ſum alibi, ex quibus tamen nihil aliud colligere mihi licuit, quam *caput* eſſe ipſius *Iulii Caeſaris*, a GOLTZIO & aliis iam ita expreſſum. Facies equidem cum Auguſti delineamentis conuenit, ſed figura & ambitus totius capitis Iulium indicant, praeſertim cum ſculptorum in exprimendis capitibus non eadem ſemper fuerit accuratio. Hactenus MORELLIVS; vid. *Chriſtoph.* WOLTERECKII *elect. rei numar.* pag. 62. ſq. Morellianae ſententiae ipſe HAVERCAMPVS adſtipulatur, addens: Habeo & ipſe hunc numum ter, omnes ſubaeratos, vnum etiam delapſa vniuerſa argentea lamina totum ex aere optime ſignatum; in omnibus tamen Iulio Caeſari quam Auguſto ſimilior facies eſt. *Stella crinita*, quae apotheoſin eius indicat, res nota eſt; & ideo in hoc denario caput Caeſaris, non addito Caeſaris nomine, ponitur, vt diui, cuius filius in altera denarii parte vocatur Auguſtus, cuius *Auguſti* ibidem *caput* depingitur. Cur autem ab Auguſti triumuiris monetalibus in his denariis *Iulii Caeſaris* caput ſignatum fuerit, hanc HAVERCAMPVS rationem eſſe exiſtimat. Emendauerat annum Iulius, cuius rei memoriam etiam plures denarii eiuſdem ſeruant. Ludi ſaeculares recurrebant poſt certum temporis ſpatium. Verum tempus anni celebrandorum illorum ex emendatione Iuliana de-

 pre-

prehendi poterat. Primus post illam emendationem celebrans istos ludos Augustus Iulii emendatoris caput, vt patris quoque sui, expressit; vid. HAVERC. *comment. in thes. Morell.* pag. 372. VAILL. *famil. Rom.* tom. II. pag. 355. sq. VRSINVS pag. 247.

354. OB cIvIs SERVATOS. Media vox in corona ciuica, quam pro more vtrinque lauri ramus ambit.

Marcus SANQVINIVS *Quinti Filius* III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* In area numi *senatus consulto.*

Integerrimum primi moduli numisma. Quernea corona quotannis ante fores Caesaris, sicut & *rami laurei*, appendebatur, tanquam perpetuo triumphatoris & ciuium seruatoris. Hinc *Plinio laurus* dicitur gratissima domibus Caesarum ianitrix, quae sola & domos exornat, & ante limina excubat; vid. *Plin. H. N. lib. XV. cap. XXX. edit. Harduin.* tom. I. pag. 754. *Dionis* Verba, quae egregie aereum hoc numisma illustrant, iam supra pag. 169. inserta sunt. Ab eodem M. Sanquinio, qui praecedentem cusit, hic numus itidem signatus videtur, sed diuersis temporibus, quum non vno eodemque anno & Caesaris & senatus triumuir monetalis esse potuerit.

SCRIBONIA.

355. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.

Caius SCR*ibonius.* ROMA. Dioscuri more solito in equis hastati decurrentes.

Scriboniam gentem *plebeiam* fuisse constat. Curiones & Libones in numis supersunt, quamuis Scriboniorum Libonum cognomen tantum exprimatur. Ad Curionum familiam denarium hunc referendum esse inter antiquarios conuenit; cui vero C. Scribonio merito numus adsignandus sit, adhuc sub iudice lis est. Antiquioribus rei publicae Romanae temporibus, vt supra plus semel monuimus, pro solito argenteorum numorum typo *Castoris & Pollucis imagine* vtebantur; successu autem temporis bigis & quadrigis auersas denariorum paginas insignire solebant Romani; vid.

thes.

thes. Morell. tom. II. pag. 374. VAILL. tom. II. pag. 361. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 249. conf. *Iac.* OISELII *thes. antiqu. numism.* pag. 208. *Const.* LANDI *select. numism.* pag. III. sqq.

356. BONVS EVENTVS. LIBO. Caput boni Euentus.

PVTEAL SCRIBONII. Putei operculum siue ara, ad quam adpenditur corolla cum duabus lyris, in imo cernitur malleolus.

Asper. Insignis huius denarii typus dissertationi de dea Victoria, quam non ita pridem, praeside illustri SCHVLZIO, cl. *Christ.* ROSE *publico eruditorum examini subiecit, insertus est.* Ad Augusti tempora denarium hunc spectare PERIZONIVS credidit, eaque de re ad MORELLIVM dedit litteras. In quibus tamen acquiescere non potuit MORELLIVS, iudicans ante Augusti tempora, & sub re publica, cusos hos denarios fuisse; vnde his verbis ad illum scripsit. *Maior difficultas residet in explicandis gentis Aemiliae numis - - - veteris formam saperent;* vid. *Christophori* WOLTERECKII *elect. rei numariae* pag. 45. sq. Acceptis hisce litteris nequaquam sententiam suam mutauit PERIZONIVS, sed pluribus argumentis defendit. Rescripsit enim. *De numis Paulli Lepidi necdum aliter existimare possum, - - - - - - sine vllo rei documento vel minimo.* His in commentario suo praemissis HAVERCAMPVS suam subiunxit epicrisin. Credidit autem vir cel. cusum fuisse hunc denarium sub Augusto a triumuiris eiusdem monetalibus L. Scribonio Libone & Aemilio Paullo atque Lepido. Tres illos eo tempore, quo pax (licet haud diuturna) firmata fuit inter Caesarem Octauianum, M. Antonium, & Sextum Pompeium, denarium hunc signasse nobilissimus antiquarius existimat, addens; In hunc annum atque hoc tempus, felicissimum Romanis, si propria fuissent fortunae dona, mire omnia, quae in his denariis inueniuntur, conueniunt. Aetas Lepidi & Paulli, atque Scribonii Libonis, minorem enim hunc magistratum iuuenes accipere solebant; Concordiae deae symbolum *lyrae duae*, quales in Traiani denariis graecis cernun-

 tur;

tur; & denique *Boni Euentus caput & adſcriptum nomen.* Quae omnia tam manifeſte videntur indicare illam inter infeſtiſſimos antea duces & exercitus concordiam, & quem vix ſperare potuerat populus Romanus bonum tanti mali euentum, vt ante oculos ponant, pingantque, quod mirifice deſcriptum reliquit, de hac ipſa concordia & inſperato euentu agens, *Dio Caſſius* lib. XXXXVIII. *Quo facto, immenſus clamor & in terra & in mari ſublatus eſt. Nam multi milites, multi inermes, aderant frequentes, qui bellum exoſi, ac magnopere pacem expetentes, quum repente ſe malis bellorum liberatos viderent, adeo exclamauerunt, vt ſonitum montes reddiderint, horrorque & terror ingens in eis coortus ſit, quo ipſo multi ſtatim exanimati ſunt, multi conculcati & ſuffocati perierunt. Qui in nauibus erant, non expectato dum terrae naues adpellerent, in mare proſiluerunt, viciſſimque alteri a terra in mare decurrerunt: ibi ſimul natantes, ſeſe mutuo ſalutabant, amplectebanturque: eratque ea res & viſu & auditu mirabilis.* Cl. SALMASIVS *in exercitat. Plinianis* pag. 801. & 802. operoſe docet, temporibus Auguſti non exſtitiſſe amplius memoriam loci, vbi nouacula cum cote Nauii condita fuerat, ſed puteal illud, ſiue aram illam Nauii, ſublatam fuiſſe gladiatorio munere diui Iulii. Oſtendit itaque *puteal Scribonii* non aliud dici poſſe, quam cuius mentio exſtat apud *Feſtum*, cuius locum ita ſarciendum eſſe ſcribit: *Scribonii puteal ante atrium Mineruae, quod Scribonius, cui negotium datum fuerat, vt conquireret ſacella, id ponendum curauit, quia in eo loco olim ſacellum fuit, quod ignorabatur. Tradunt quidam fulgur conditum eo loco, quod nefas eſt integi, ſed ſuper foramine aperto caelum patet.* In Iulia porticu puteal illud fuiſſe ex *Perſii Scholiaſte* idem SALMASIVS notat. Illud vero puteal, HAVERCAMPVS ſubiungit, quum inde Scribonii vel Libonis fuerit dictum, mirari non debemus a Scribonio Libone renouatam fuiſſe memoriam ſacri huius loci, qui ab aliquo ex proauis ſuis nomen nactus fuerat. Haec HAVERCAMPVS. In comitio, VAILLANTIVS ait, locum fuiſſe aiunt in gradibus ipſis ad laeuam curiae, vbi olim Accii Nauii auguris

guris posita fuit statua, quod in eo loco is cotem nouacula diceretur discidisse, sub cuius statua locus erat subterraneus, quem puteum appellabant, aram habens, & Accii nouaculam ibi defossam, supra autem vmbella imposita erat, siue petasus, puteum tegens, vnde & locus nomen accepit. At quum locus corruisset, lege Scribonii restauratum fuit, vnde puteal Scribonii, vt numus indicat. Structura, idem cl. antiquarius mox addit, quae visitur in denario, ara esse videtur, quippe encarpis ornata est; reliqua. Hactenus VAILLANTIVS. Praeposteram *Io.* HARDVINI auersae denarii partis interpretationem, quam cel. HAVERCAMPVS commentario suo intexuit, legimus in *eiusdem Plinio* lib. XXXVI. cap. XV. pag. 742. Caussam de *malleolo* sese nescire eruditi fatentur. In Malleolis familiae Publiciae cur ponatur cognominis est ratio. Forsan Scribonius Libo pro agnomine illud habuit; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 375. sqq. VAILL. tom. II. 364. sq. conf. *Iac.* OISELII *thes. antiqu. numism.* pag. 548. *Const.* LANDI *select. numism* pag. 32. sqq. Cl. *Beniam.* HEDERICII *Lexicon antiquit.* pag. 2314. sq.

SEMPRONIA.

357. DIVI IVLI *Filius.* Caput Caesaris Octauiani nudum, lanugine decorum.

TI*berius* SEMPRONI*us* GRACCVS IIIIVIR Q*uaestor* DESIG*natus.* Signum cohortis, aquila legionaria, aratrum & decempeda.

Eximiae raritatis denarius; vid. VAILL. *praest. imp. Rom. numism.* tom. II. p. m. 31. Cel. *Andr.* MORELLIVS *numum hunc itidem care aestimat; quinque enim thaleris eundem valere iudicat.* Sempronii *plebeii* fuerunt. Vt intelligatur, quo tempore hic numus signatus sit, quaedam probe obseruanda esse VAILLANTIVS monet. Primo, quod in hoc numo Caesar non amplius III. VIR R. P. C. nominetur, nempe post M. Antonium victum, occisum, & defunctum, atque triumphum de Aegypto, quum solus imperii fasces teneret, donec Augusti nomen adsciuit, Caesar DIVI F. &

DIVI

DIVI IVLI F. dictus fuit. Secundum, quod *Ti. Sempronius IIIvir* adhuc inſcribatur, qui auctus a Iulio monetariorum numerus vſque ad monetae inter Auguſtum & ſenatum diuiſionem manſit, ternarium numerum Auguſtus reuocauit, & IIIviros monetae aureae & argentae cudendae ipſe creauit, aereae curam ſenatui reliquit. Tertio, Graccum minorem hunc magiſtratum ante quaeſturam, quam ante XXVII. annum petere non licebat, geſſiſſe; denique iuxta obſeruationem *Quinctiliani* lib. I. cap. 9. GRACCVS ſine adſpiratione pro GRACCHVS ſcribi iam tum ſolitum fuiſſe. Tempus, quo cuſus eſt denarius, referendum eſt ad A. V. C. IↃCCXXIIII. ſiue, vt *Dio Caſſius* cum aliis computat IↃCCXXV. eo enim anno inſtauratam fuiſſe Carthaginem ſcribit *Dio Caſſius* lib. LII. *Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit, quia Lepidus, quum partem eius habitatoribus orbaſſet, videbatur ius coloniae diſſoluiſſe.* Cur vero Graccus, ſiue Gracchus, lubentius *deductae Carthaginem coloniae ſymbola*, quam aliud quid nobile vel memorabile eo anno geſtum ſignare voluerit, in promptu, HAVERC. ait, cauſſa eſt, nobilitas Gracchorum antiqua ſcilicet, quod iam olim auus vel proauus eius Gracchus deſtinatus fuerat IIIvir ad coloniam Carthaginem deducendam A. V. C. IↃCXXXIII. quae tamen vetantibus aruſpicum reſponſis tum deducta non fuerat, de quibus fuſius agit VRSINVS. Eruditis hic Sempronius Gracchus ille eſſe videtur, qui notatur *Velleio*, vt adulter Iuliae Auguſti filiae lib. II. cap. 100. & cuius interitum *Tacitus* lib. I. *Annal.* cap. 53. deſcripſit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 379. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 375. ſq. VRSINVS *edit. Patin.* p. 251. ſq. conf. OISELII *theſ. antiqu. numiſm.* p. 555.

SENTIA.

358. Caput Romae galea alata ornatum.

Lucius SATVRN*ius*. Saturnus in citis quadrigis, d. tenens falcem, l. equorum habenas.

Sentia gens *plebeia* fuit. Cognomen habuit Saturninus. Denarius ex genere *quadrigatorum* eſt. Triumuiros monetales ſaepe numo-

numorum typis ad cognomina ſua adludere notum eſt, quod Furii Craſſipedis, Poblicii Molleoli aliorumque denarii abunde teſtantur. Sentius itaque, quum Saturninus cognominaretur, *Saturnum*, qui deus quoque aerario praerat, alludens ad cognomen ſuum, expreſſit; & vt Saturnus eſſe cognoſceretur, falcem dextrae addidit: de Saturno aerarii praeſide *Tertullianus* in *Apolog.* cap. X. *Ab ipſo primum tabulae, & imagine ſignatus numus, & inde aerario praeſidet.* De Saturni origine, imperio, & cultu conſule mythographos.

SERGIA.

359. ROMA. EX. S. C. Caput Romae galeatum.

M*arcus* SERGI*us* SILVS Q*uaeſtor*. Eques armatus, cuius dextra non adparet, dextro humero parmam gerit, laeua fert caput humanum abſciſſum

Sergia gens *nobilis* fuit, quae ad Sergeſtum Aeneae comitem genus referebat, *Virg. Aen.* lib. V.

Sergeſtuſque, domus tenet a quo Sergia nomen.

M. Sergius Silus, qui hunc cudit denarium, ſine dubio filius fuit M. Sergii Sili militari fortitudine clariſſimi, cuius ſtupendam in re bellica fortitudinem longo elogio proſequitur *Plinius*, *lib. VII. cap. XXVIII. pag. edit. Hard.* 391. *M. Sergio, vt quidem arbitror, nemo quemquam hominum iure praetulerit: licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo ſtipendio dextram manum perdidit: ſtipendiis duobus ter & vicies vulneratus eſt: ob id neutra manu, neutro pede ſatis vtilis: vno tantum ſeruo, plurimis poſtea ſtipendiis debilis miles. Bis ab Hannibale captus (neque enim cum quolibet hoſte res fuit) bis vinculorum eius profugus, XX. menſibus nullo non die in catenis aut compedibus cuſtoditus. Siniſtra manu ſola quater pugnauit, duobus equis inſidente eo ſuffoſſis. Dextram ſibi ferream fecit, eaque religata praeliatus, Cremonam obſidione exemit, Placentiam tutatus eſt: duodena caſtra hoſtium in Gallia cepit: quae omnia ex oratione eius adparent, habita cum in praetura*

ſacris arceretur a collegis, vt debilis. Quos hic coronarum aceruos conſtructurus hoſte mutato? Etenim plurimum refert, in quae cuiuſque virtus tempora inciderit. Quas Trebia Ticinuſque, aut Traſymenus ciuicas dedere? Quae Cannis corona merita? vnde fugiſſe, virtutis ſummum opus fuit. Caeteri profecto victores hominum fuere, Sergius vicit etiam fortunam. In *ſecundo ſtipendio Sergius dextram perdidiſſe* dicitur, vnde eruditis heroicum eius factum, quod in hoc denario celebratur, contigiſſe videtur, poſtquam iam dextram perdiderat; nuſquam enim dextra adparet, ſed quod ferrea ad prehendendum aliquid inutilis eſſet, *laeua manu & gladium & reciſum caput hoſtile extollit.* In iiſdem *Plinii* verbis legimus, *Quas Trebia Ticinuſque, aut Traſymenus ciuicas dedere? Quae Cannis corona merita?* Vnde ſuſpicor, HAVERCAMPVS ait, reſpectu fortitudinis, quum aliis in praeliis & rebus geſtis, tum praecipue Cannenſi illo praelio & clade praeſtitae, ſtatuam equeſtrem Romae illi ex ſenatuſconſulto fuiſſe erectam ea figura, quae in denario conſpicitur. Recte enim VAILLANTIVS ad ſtatuam litteras illas S. C. revocat; & vtique poſt Cannenſem cladem intererat rei publicae, vt ſimilibus praemiis ad fortitudinis opera excitarentur ciues in ſtatu patriae tam deſperato. *Abſciſſum* itaque *caput* hoſtile videtur primarii alicuius Carthaginienſis eſſe, quem occiderit, ciue, in quem is impetum fecerat, ſeruato; cui Poeno, ad oſtentationem virtutis, caput amputaverat. Silo illi, HAVERCAMPVS ſubiungit, ſiue familiae eiuſdem cognomen fuit, quod ab aliquo corporis vitio tractum fuiſſe *Cicero* indicat *lib.* I. de *nat. deor.* cap. 29. *Redeo ad deos, ecquos ſi non tam ſtrabones, aut paetulos eſſe arbitramur? ecquos naeuum habere? ecquos Silos, Flaccos, Frontones, Capitones, quae ſunt in nobis? an omnia emendata in illis?* Quae Ciceronis, idem HAVERC. ait, ſi legiſſet HARDVINVS, non ipſe magno errore *Valerium Maximum* arguiſſet erroris, quod Sergiis cognomen Sili dederit, quaſi Silo non Silus cognomen alicuius gentis fuerit. Verba HARDVINI ad Plinii dictum locum ita ſe habent: Vetus denarius in muſeo noſtro, & apud

apud PATINVM in Familiis pag. 256. Romae Victricis caput hinc exhibet, cum denarii nota & ROMA. & EX S. C. inde equitem galeatum, qui sinistra strictum ensem & caput hostis praecisum gestat. Sub equo M. SERGI. *Marcus Sergius*, ille qui in equo pingitur. Littera Q. superposita a quaestore numum percussum esse significat, qui materno sanguine genus ab illo duceret: infra, charactere paullo minore, SILVS. quae sunt totidem vocum primae litterae, hac sententia *Sergius Italiam Liberauit Vicies Sexies*. Errore magno *Valerius Maximus*, lib. IIII. cap. I. num. 8. aliique Sergium cognomine Silum dixere, *Plinio* teste, lib. XI. sectione LVIIII. non *Silus* alicuius gentis cognomen sed *Silo* fuit. Haec pro auctoritate sua HARDVINVS, cuius coniecturas, aut potius nugas, vbi illae quidem refutatione indigent, passim in Morelliano opere cel. HAVERCAMPVS pridem refutauit; vid. *thes. Morell.* tom II. pag. 385. sq. VAILL. tom. II. pag. 395. sq. PATIN. *fam. Rom.* pag. 256.

SERVILIA.

360. AHALA. Caput. C. Seruilii Ahalae.

BRVTVS. Caput L. Bruti, primi consulis.

Integerrimus, quem harum deliciarum studiosi magni aestimant. Seruilia gens in primis fuit illustris, patricia, postmodum plebeia quoque, ex qua consulatus & summos honores plurimi gesserunt. In denariis superest memoria Ahalarum, Geminorum, Rullorum, Cascarum & Caepionum. Iam prodiit insignis iste denarius supra pag. 182. in gente Iunia; propter Ahalam, cuius effigies aduersam numi partem occupat, hic iterum profertur.

361. ROMA. Caput deae Libertatis laureatum, inter lituum, cui litt. B. imponitur, & denarii notam.

caius SERVEIL*ius*. Duae figurae armatae equestres, quarum prior depingitur fugientis ritu, cespitante equo, gladio elato, quam altera in proximo figura hasta per tergum transadigit.

Cel. HAVERCAMPVS Caium Seruilium, qui hunc signauit dena-

 rium,

rium, illum Lucullei nominis atrociſſimum inimicum eſſe exiſtimat, de quo *Plutarchus* in *vita Luculli.* pag. 491. *Luculli auus vir conſularis - - - - aliqui occiderentur, euaſit tamen Seruilius.* Augur ibidem dicitur, atque iſto cognomine tam notus illo tempore fuiſſe videtur, vt non neceſſe iudicarit *Plutarchus*, vel ſcriptor ex quo ſua hauſerit, praenomen Seruilii, vel aliud eius cognomen adiicere. Ad hoc igitur cognomen eius forte adludit, dum in hoc denario *lituum* auguralem pone Libertatis caput depinxit. Hunc Seruilium Augurem PIGHIVS inter quaeſtores prouinciales enumerat A. V. C. IↃCLI. vnde liquet ſignatum fuiſſe hunc denarium ante annum IↃCLI. In auerſa numi parte *eques hoſtilem equitem haſta tranſfigens* cernitur. Poteſt, HAVERC. ſcribit, deſignare eundem prouocatorem inſignem M. Seruilium, qui ipſe facinora ſua commemorat apud *Liuium*, lib. XXXXV. cap. 39. *edit. Grut.* pag. 1226. ſi littera M. parmae ſeu clypeo inſcripta *Marcum* deſignaret, neque inſolitum eſſet praenomine tantum aliquem deſignari. Equeſtri laude certe excelluit M. Seruilius, vnde ab aſſidua iactatione tumor ille inguinum, qui inimicis riſum mouebat apud *Liuium loc. cit. Nudaſſe deinde ſe dicitur &, quo quaeque bello vulnera accepta eſſent, retuliſſe; quae dum oſtentat, adapertis forte quae velanda erant, tumor inguinum proximis riſum mouit. Tum: Hoc quoque quod videtis, inquit, in equo dies noctesque perſedendo habeo: nec magis me eius quam cicatricum harum pudet, poeniretque; quando nunquum mihi impedimento ad rem publicam bene gerendam domi militiaeque fuit.* Apud *Plutarchum* in *vita Paulli* p. 272. ita efferuntur. *Simul ſe nudauit, oſtenditque innumeras cicatrices aduerſo corpore acceptas. Inde conuerſus: adaperuit quaedam quae ad populum velanda erant, atque ad Galbam reſpiciens, Tu quidem, inquit, haec derides, ego vero apud ciues glorior iis quae pro his in equo noctes dieque perſedendo accepi.* Hinc certe, HAVERCAMPVS ait, gloria equeſtris denegari Marco Seruilio non potuit, ſed tamen valde dubito, vtrum aliquid fortiter ab illo in bello factum numus reſpiciat. Typos enim denariorum contemplanti, in fam.

Manlia

Manlia ſimillimus eques adparet, licet abſit hoſtilis figura ab eodem confoſſa. Ibi num. IIII. occurrit ſtatua equeſtris Manlio Torquato, ob ſimile, vt videtur, factum erecta. Eques Manlius eodem plane habitu quo noſter occurrit; vnde vir cl. ſuſpicatur C. Seruilium Augurem ex Manliis Torquatis adoptione ad familiam Seruiliam tranſiiſſe, atque ita vno hoc typo ſimul & priſtinae & novae familiae decora Manliae & Seruiliae celebrare voluiſſe; adeoque litteram M. quae in parma equitis victoris conſpicitur, nomen eſſe productum familiae antiquae, vt integra denarii ſit lectio *caius* SERVEIL*ius Manlianus*. *Libertatis deae caput*, iudice VAILLANTIO, ideo in anteriore denarii parte cernitur, quoniam maxime ei ſtuduerint Romani, ab eo videlicet tempore, quo excuſſo regum imperio in libertatem ſeſe vindicauerant; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 388. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. p. 407. ſq. PATINVS pag. 257. ſqq.

362. FLORAL*ia* PRIMVS ſcil. *fecit.* Caput Florae floribus redimitum, poſt illud lituus eſt.

caius SERVEILI*us caii* F*ilius*. Duae figurae militares armatae, laeua parmam tenentes, ſtant, ex adverſo tollentes dextras pugionibus armatas, veluti iurantes.

Numus, *nec a* MORELLIO *nec ab ipſo* HAVERCAMPO *viſus.* HAVERCAMPVS enim in ſimili denario, quem depinxit MORELLIVS, FLORA. legit, nos autem, vt ex denarii huius typo, quem tab. V. num. VI. ſpectatori ſubiicimus, apparet, FLORAL. connexis vltimis litteris legimus. De *Flora* florum dea, vt & de laſciuioſo atque petulantiſſimo illo in honorem huius idoli paganorum feſto conſulendi ſunt *Lactantius* lib. I. cap. 20. p. m. 124. *Franciſ.* POMEY in *panth. mythic.* pag. 182. *Lil. Greg.* GYRALDVS tom. I. pag. 42. *Laur.* BEGERVS *theſ. Brand.* tom. II. pag. 585. NEEVPOORT. *edit. nouiſſ.* pag. 238. ſq. & alii. In primis autem huc pertinentia collegit, pluribusque hunc numum illuſtrauit perill. *Ezech.* SPANHEMIVS de *vſu & praeſt. numiſm. edit. tert.* tom. II. pag. 145. ſqq. Typum auerſae

 partis,

partis, cel. HAVERCAMPVS ait, qui ad Romuli & Tatii foedus referunt falluntur, quoniam illi alio habitu & hastis armati tanquam Quirites occurrunt. Qui duos fratres magistros equitum M. & C. Seruilios depingi putat, idoneo destituitur argumento. Rectius itaque duos fratres Seruilios Cascas, Caium Seruilium & Publium, hic credimus depingi, & quidem armatos, quod vi & armis libertatem vi adquisitam, tyranno occiso, constanter tueri se uelle ostendant. Hinc veluti iureiurando sublatis pugionibus in foedus coeunt. Capita vero non pileo, vt suspicabatur SPANHEMIVS, libertatis scil. symbolo, teguntur, sed galea; quae bene in denario meo aliisque amicorum discerni a pileo potest. Pileus enim rotundiore orbe, vbi ab inferiore parte laxatur, depingitur semper, & in Bruti notissimo numo, in quo idus Martiae celebrantur, & in aliis. At galea super frontem & ceruicem longior prominet. Hactenus cel. HAVERCAMPVS. Signatus est hic denarius, vti inscriptio testatur, a C. Seruilio Caii filio, fratre, vt idem vir doct. opinatur, P. Seruilii Cascae, qui ad distinctionem Casca Longus adpellatus fuit. Celebris idem antiquarius reiicit, quo iure mox adparebit, vsitatam doctissimorum virorum inscriptionis lectionem. Non enim legit, vt hactenus fecerunt eruditi, coniuncta vtriusque denarii partis inscriptione, FLORAL*ia* PRIMVS scil. *fecit caius* SERVEIL*ius caii* F*ilius*. sed FLORA. *caius* SERVEIL*ius caii* F*ilius* PRIMVS. Corrasis hinc inde argumentis quibusdam, quae vero ad impugnandam genuinam perillustr. SPANHEMII aliorumque sententiam haud sufficiunt, sinistram hanc coniecturam suam suffulcire studuit vir eruditissimus. Patet ex singularis & praeclari huius denarii typo omne spatium, quod in aduersa numi pagina ante Florae faciem est, ab inscriptione occupari, ita quidem, vt nihil prorsus vacui supersit, vbi vel littera F. nedum integra vox FECIT. locari possit: accedit, in nostro denario, quem haud dubie HAVERCAMPVS nunquam vidit, vt iam monuimus, non FLORA. verum FLORAL. vltimis litteris connexis satis clare legi, quod probe obseruarunt GOLTZIVS, VRSINVS, PATINVS, BEGERVS,

VAILLANTIVS, SPANHEMIVS, alii, quorum typos in dubium vocat HAVERCAMPVS, dum: In meo, inquit, non obſeruaui lineam illam ad alterum cruſculum litterae A. neque in iis, quos conſuluit MORELLIVS, exſtitiſſe videtur. Crediderim vero, mox addit, putaſſe illos antiquarios obſeruari a ſe productam illam lineolam, quod perſuaſerint ſibi dici in hoc denario Floralia primum feciſſe C. Seruilium, quod quidem indicat Florae adpictum caput, ſed vti demonſtrauimus, non totidem verbis dicit inſcriptio numi. Sufficiant haec. Minime vero ex praeconcepta tantum quadam opinione, ſed ex denariorum fide ceberrimorum virorum typos deſumtos eſſe teſtis eſt iſte, quem deſcribimus, eleganter ſignatus numophylacii SCHVLZIANI denarius. Patrem Seruilii Caſcae fratres habuerunt Caium: inſcribitur enim noſter C. F. in denario. Illum vero fuiſſe HAVERC. autumat, qui in praecedenti numo inſcribitur C. Seruilius & forte Manlianus Augur. Is enim ſicuti, ratione cognominis vel agnominis, lituum ad caput deae Libertatis expreſſit, ita Caius noſter eundem *lituum* iuxta Florae caput collocauit. A. V. C. IↃLXXX. C. Seruilius C. F. aedilis plebis fuit. Eius anni celebritatem & memoriam aedilis eiuſdem, abaui ſui, Caius Seruilius in hoc denario celebrat. Nam, ſicuti iam pluribus viri docti operoſe oſtenderunt, eo anno renouata fuiſſe deae Florae ſacra, atque inſtitutum vt quotannis celebrarentur, eoque anno aedilem plebis exſtitiſſe abauum ipſius C. Seruilium, hinc *deam Floram ſertis & floſculis ornatam* in aduerſa denarii pagina cernimus, peculiari huius Caii reſpectu, quod cognominis ſibi abauus eo anno aedilis curulis ſacris illis adparandis exſtitiſſet, conſulibus L. Poſtumio Albino & M. Popillio Laenate; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 391. ſq. VAILL. tom. II. pag. 408. ſq. PATINVS pag. 260. ſq. conf. *Io.* HARDVINI *Plinius* tom. II. pag. 139. *Suet. ex edit. Graeu.* pag. 610.

SICINIA.

363. *FORTUNA POPULI ROMANI.* Caput deae Fortunae.

quintus

quintus SICINIVS IIIVIR. Palmae ramus, cum lemnisco, siue vittis, & caduceus alatus decussatim positi, in area insuper adest corolla.

Asper. Extincta ante auri argentique vsum patricia Sicinia gente, *plebeia* remansit, cuius denarii nobis supersunt. FORTI*tudo Populi Romani* legit VRSINVS, quae vero lectio iam diu ab eruditis explosa fuit. De dea Fortuna, eiusque nominibus, ortu, simulacris & potentia consulendi *Natalis Comes* in *mythologiis* lib. IIII. cap. VIIII. *Francisc.* POMEY in *fabulosa deorum hist.* p. 295. sqq. *Lil. Greg.* GYRALDVS pag. 455. conf. NIEVPOORT. *edit. nouiss.* pag. 243. sq. Tempore Augusti a Q. Sicinio triumuiro monetali denarius cusus est. Victo & occiso M. Antonio iustam Caesaris Octauiani caussam agnoscebant Romani, eundemque deorum munere tam metuendum hostem superasse, quod merito Fortunae populi Romani erat adscribendum, vti totidem verbis iste docet denarius. *Tacitus III. hist.* 46. *Adfuit*, inquit, *vti saepe alias, Fortuna populi Romani. Sensit Antonius victores exercitus, Fortunam Imperii, & vltores deos.* quae *Taciti* itidem verba occurrunt *lib. IIII. cap.* 57. *de bell. Germanico.* Hinc in auersa denarii parte *corolla* & *palma*, victoriae symbola, atque *caduceus*, pacis inde secutae signum; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 395. VAILL. tom. II. pag. 421. sq. VRSINVS *edit. Paris.* pag. 263.

SILIA.

364. SILIVS. ANNIVS. LAMIA. Dextrae iunctae tenentes caduceum.

IIIVIRI *Auro Argento Aere Flando Feriundo*, in area S. C.

Aereus. Triumuiri hi senatus fuerunt, vt docet *metallum*, & *nota senatusconsulti. Dextrae iunctae* cum *caduceo* concordiam Caesaris & senatus, cui aereae monetae ius concesserat, denotant, pacemque publicam; vid. pag. 74. num. 143. conf. pag. 168. num. 250.

SVLPICIA.

365. *Dei Penates patrii.* Capita deorum Penatium iugata & laureata.

caius

caius SVLPICI*us caii filius.* Duo viri ſtantes, habitu militari, laeua haſtas tenent, indicem dextrae manus extendunt ad ſcrofam humi procumbentem; deſuper eſt littera monetalis L.

Perrarus, integer. Elegantiſſimi huius numi imaginem tab. V. num. VII. contemplandam exhibet. Hoc typo inſignitos denarios omnes eſſe dentatos HAVERCAMPVS *obſeruat.* Sulpiciam antiquiſſimam & nobiliſſimam olim fuiſſe gentem ſatis conſtat. PIGHIVS eius nomen ab Aeneae comite deriuatum eſſe exiſtimat, qui primus porcam illam, ex oraculo quaeſitam, ſub ilice in ſilua praegnantem conſpexit, atque inde *Suiſpicius* a priſcis Latinis a *ſue ſpiciendo*, quod eſt intueor, fuit adpellatus, cuius deinde poſteri paullulum mutata voce *Sulpicii* vocati ſunt. De fictitiis iſtis fabuloſae antiquitatis diis Penatibus, eorundemque apud paganos cultu & ſimulacris conſuli merentur *Lil. Gregor.* GYRALDVS tom. I. pag. 438. ſq. *Franc.* POMEY *lib. laud.* pag. 230. alii. Inſignis huius denarii typus, HAVERCAMPVS inquit, varias doctorum virorum ſententias de auerſae praeſertim partis interpretatione elicuit. Primus fuit *Sebaſtianus* ERICIVS, qui capita quidem illa de diis Penatibus eſt interpretatus, & in eo omnes conſentiunt, ſed alterius partis duplicem protulit interpretationem. Prior eſt, per duos illos viros haſtatos, qui ſtare cernuntur porcam intermediam digito monſtrantes, deſignari iterum deos Penates & ſuem illam, quae felix Aeneae olim oſtentum figendarum ſedium obuenit. *Varronis*, prae caeteris eam in rem locum adducit; is exſtat. lib. IIII. de L. L. pag. 35. *Oppidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanae, Lauinium, nam ibi dii Penates noſtri. Hoc a Latini filia, quae coniuncta Aeneae Lauinia appellata. Hinc poſt triginta annos oppidum alterum conditur Alba; id ab ſue alba cognominatum. Haec e naui Aeneae, cum fugiſſet Lauinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio poſt Lauinium conditum annis triginta, haec vrbs facta; propter colorem ſuis, & loci naturam, Alba Longa dicta.* Deos Penates numero duos eſſe atque haſtas manu tenere,

 idem

idem ex *Dionyſio Halicarnaſſaeo* adſtruit. Locus *Dionyſii*, quem excitat, eſt lib. I. pag. 54. Poſterior ERICII interpretatio reſpicit foedus inter Romanos & Albanos, Tullo Hoſtilio & Metio Fuffetio auctoribus, quod deſcribitur a *Liuio lib.* I. *cap.* 24. adeoque fecialem & patrem patratum, de quibus ibidem agit *Liuius*, depingi exiſtimat, porca intermedia, quam ſaxo ſilice ex more foederis percuſſurus erat pater patratus. Priorem interpretationem amplexi ſunt PIGHIVS, VRSINVS, VAILLANTIVS, BEGERVS aliique. Notat praeterea PIGHIVS tom. II. pag. 40. Sulpiciae gentis originem forſitan ad Aeneae comites eſſe referendam, & illum, qui cudit hoc numiſma, adludere forſan voluiſſe ad Sulpiciae gentis antiquum nomen; quaſi comes ille Aeneae porcam ſub ilice praegnantem primus viderit monſtraueritque, atque inde *Suiſpicius* (formato nomine vt in *haruſpicio* & *extiſpicio*) dictus fuerit, cuius deinde poſteri paullulum inflexa voce *Sulpicii* dicti fuerint. At vero, HAVERCAMPVS ſubiungit, vbi ſus illa praegnans adparet, adeſſe ſolent porcelli, vt in Antonini Pii numis; vnde forſitan non errabimus, ſi duas illas figuras militares, quae porcam habent intermediam de rege Tullo Hoſtilio atque dictatore Metio Fuffetio capiamus, atque typum illum vniuerſum de foedere inter populum Romanum & Albanum; nam licet pater patratus porcam ſaxo ſilice percuſſerit, Tulli tamen & Fuffetii illud fiebat auctoritate; hoc autem typo Albanam originem oſtentare potuit gens Sulpicia. Sed coniecturae Pighianae, idem vir cl. addit, non minus fauentem me profiteor. In foedere enim ſanciendo porcam manibus tenet pater patratus, & ſcipione ſeu bacillo aut ſceptro tangunt iurantes in fam. Veturia num. I. & II. at hic recubans ſcrofa dependentia habet vbera lacte plena, prout in numis huius generis aſperrimis obſeruare licet. Quod ſatis eſt ad faetam ſuem demonſtrandam, quum in exiguo numo omnia exprimi nequeant. *Princeps* itaque *gentis Sulpiciae* in hoc denarii typo *Aeneae ſcrofam faetam demonſtrare digito* videtur, & impletum ſimul eſſe vaticinium de condenda vrbe. Pleroſque Caios Sulpicios

cios antiquitas numerat. Quumque in hoc denario cognomen illius Sulpicii, qui numum ſignauit, non adiectum ſit; hinc eruditi non vno eodemque C. Sulpicio denarium adiudicant. Vt vera fatear, HAVERCAMPVS ait, tot fuere Caii Sulpicii, vt temerarium ſit definire, a quo cuſi fuerint hi denarii, non adſcripto cognomine; ex *theſ. Morell.* tom. II. pag. 407. ſq. conf. VAILL. tom. II. pag. 444. ſq. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* 270. ſq.

366. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum.
Marcus AGRIPPA. PLATORINVS III. VIR. Caput Marci Agrippae corona roſtrata & turrita inſigne.

Integerrimus, rariſſimus, quem inter Morellianos haud offendes. Clientem, HAVERCAMPVS inquit, Agrippae hunc C. Sulpicium Platorinum fuiſſe eſt credibile. Agrippae vero & Auguſti capita in hoc denario expreſſit, quod illi ſimul fuerint conſules, ipſe vero triumuir monetalis Caeſaris. Fuſius atque vberius de perinſigni hoc denario infra in Vipſania gente agetur.

TARQVITIA.

367. *Caius* ANNIVS *Titi Filius Titi Nepos* PROCO*nsule.* EX *senatus consulto.* Caput Iunonis Monetae.
Quintus TARQVITI*us Publii Filius Quaeſtor.* Victoria in bigis, d. palmam, l. equorum habenas tenet.

Subaeratus, curtus. Tarquitia gens olim in patricios & plebeios diſtincta erat. Hi Laurentini, illi Flacci dicti fuerunt. In Fabia gente pag. 153. num. 234. alterum Annii quaeſtorem L. Fabium L. F. Hiſpanienſem habuimus. Conueniunt antiquarii hunc Annium in Hiſpanias contra Sertorium Sullae opera profectum eſſe, atque EX S. C. per quaeſtores ſuos hanc pecuniam ſignaſſe. Alter quaeſtorum fuit Q. Tarquitius P. F. quem perperam tamen credidit poſt VRSINVM VAILLANTIVS illum fuiſſe, qui in vltimo Sertorii conuiuio inter coniuratos ſederit; cuius ſcilicet meminerit *Salluſtius* in *fragm. ex libro III. hiſtor. Alter ſcriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpennam.* Dictus ille

Mm 2 fuit,

fuit, HAVERCAMPVS addit, Tarquitius Priſcus, dux Sertorianarum partium, de quo narrat *Frontinus ſtratag.* lib. II. cap. V. exemplo 31. Alius itaque a Q. Tarquitio P. F. fuit Tarquitius ille Priſcus, qui Sertorianis adhaeſit partibus; ſicuti inter illas partes L. Annius quoque inuenitur, alius itidem a C. Annio T. F. T. N. cuius nomen prior denarii pagina exhibet; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 410. conf. VAILL. tom. II. pag. 459. VRSINVS *in gente Tarquitia.*

THORIA.

368. *IVNO SISPITA MAGNA REGINA.* Caput Iunonis Siſpitae, ſiue Lanuuinae, pelle caprina tectum.

LVCIVS THORIVS BALBVS. Taurus ſaliens; deſuper litt. P.

Inauratus, aſper. Thorios *plebeios* fuiſſe Sp. Thorii tr. pl. lex agraria innuit. Thoria gens origine Lanuuina fuit. De Iunone Regina & Magna vel Maxima vid. *Natalis Comes* lib. II. cap. 4. *Lil. Gregor.* GYRALDVS tom. I. pag. 122. ſqq. *Franciſc.* POMEY in *fabul. deor. hiſt* pag. 70. ſqq. conf. *Fulu* VRSINVS *edit Patin.* pag. 275. *Iuno Soſpita*, de qua paſſim egimus, Lanuuinam Thoriae gentis reſpicit originem. Lucius Thorius Balbus, l. c. VRSINVS ait, is opinor eſt, cuius *Cicero lib.* II. de *finib. cap.* 20. meminit, his verbis. *L. Thorius Balbus fuit Lanuuinus; quem meminiſſe tu non potes. Is ita uiuebat, vt nulla tam exquiſita poſſit inueniri voluptas, qua non abundaret. Erat cupidus voluptatum, & cuiuſuis generis eius intelligens, & copioſus: ita non ſuperſtitioſus, vt illa plurima in ſua patria ſacrificia & fana contemneret: ita non timidus ad mortem, vt in acie ſit ob rem publicam interfectus.* VRSINVM ſecuti hunc Ciceronis locum itidem allegarunt VAILLANTIVS & cel. HAVERCAMPVS, hic: Pater eius, addit, fuiſſe videtur Spurius Thorius Balbus, qui tr. pl. A. V. C. IↃCXXXXVI. legem agrariam tulit, & de pecore agros alienos paſcente. Vitioſam illam priorem & inutilem vocat Cicero, quod fraudaret

aerarium

aerarium publicum, plebi viritim pecuniam ex vectigali prouenientem diuidendo. In *Bruto* cap. XXXVI. *Sp. Thorius valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa, & inutili lege, vectigali leuauit.* Alterius illius legis Thoriae, seu quae pars prioris fuisse videtur, meminit Cicero de *oratore* lib. II. cap. 70. *Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter expectationem, cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii maioris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent. Non est inquit, Lucilii pecus illud: erratis (defendere Lucilium videbatur) ego liberum puto esse, qua lubet pascitur.* *Taurum* itaque expressit filius L. Thorius Balbus respectu illius pastionis legisque agrariae patris sui, quae respiciebat quoque (vt *Cicero* docet) agros publicos, ne ab alieno pecore depascerentur; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 415. sq. VAILL. tom. II. pag. 471. conf. *Iac.* OVZELII *thes. num. antiqu.* pag. 275. sq. Cl. *Io. Georg.* WACHTERI *archaeol. numar.* pag. 142.

TITIA.

369. Caput virile bene barbatum, dependente capillorum cirro atque ad ceruicem fluctuante notabile, diademate alato insuper decorum.

Quintus TITI*us.* Pegasus, posterioribus insistens pedibus, ad volatum se erigit.

Eleganter signatus, quem inter alia egregia antiquitatis monumenta Traianus restituit; hinc raris denarium hunc adnumerandum esse probe HAVERCAMPVS *monet.* Antiquissimam hanc gentem fuisse plebeiam demonstrant tot tribuni plebis, a quibus variae leges latae sunt. De *Pegaso* Bellerophontis equo consulendi *Natalis Comes* in *mythol* lib. VII. cap. II. & lib. VIIII cap. 4. *Franc.* POMEY *lib. laud.* pag. 160. *Lil. Gregor.* GYRALDVS in *hist. deor.* tom. I. pag. 264. alii. VRSINVS, VAILLANTIVS & ipse cel. HAVERCAMPVS in eo conueniunt poëtae alicuius insignis, cui Titio

 nomen

nomen fuerit, memoriam hoc denario celebrari. Quin & eiusdem Titii barbati, tanquam ex intonsis antiquioribusque Romanis, effigiem hic depingi atque exhiberi crediderunt VRSINVS & VAILLANTIVS. Sed perperam; est enim *Bacchi*, vt recte animaduertit BEGERVS tom. II. *thes. Brand.* pag. 589. non tantum quia, vt ibidem addit ex *Pausania*, Bacchi simulacrum, Lysippi opus, in Helicone fuit, sed ideo in primis, (HAVERC. inquit) quod in Bacchi tutela antiquitus fuerit tragoedia. Bacchum & *barbatum* & inberbem exprimi veterum monumenta & scripta docent, *cirrus* ille ad collum fluctuans in Thasiorum, aliisque Bacchi caput habentibus numis cernitur. *Diadema* & *ala* tragoediae, quae sub Bacchi tutela est, tribuitur, tanquam nobilissimo poeseos generi, vnde velut regina describitur ab *Ouidio lib.* III. *amor.* vs. 13.

Laeua manus sceptrum late regale tenebat:
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Haec omnia demonstrant tragicum aliquem poëtam fuisse insigniorem, nomine Titium, cuius dotes & musarum symbolum *Pegasus*, & quem, qui signauit nnmum, quisquis ille exposteritate eiusdem fuerit, celebrat. Antiquissimum hunc poëtam inter intonsos patres latere VAILLANTIVS credidit, verum non inuenit. Cel. HAVERCAMPVS eundem digito quasi demonstrat, addens: Est vero is Caius Titius, qui Afranium praecessit, poëta & orator insignis, cuius ampla commendatio est apud *Ciceronem* in *Bruto* cap. XXXXV. *Eiusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui, meo iudicio, eo peruenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine litteris Graecis, & sine multo vsu peruenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum vrbanitatis habent, vt pene Attico stilo scriptae esse videantur, Easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, vt scitis, disertus.* Insignis iste Ciceronis locus non tantum docet, quis C. Titius fuerit, verum etiam quo tempore vixerit. Post A. V. C. IↃLXXV. quo successerunt asses

semi-

ſemiunciales in locum eorum qui vnciam pendebant, denarium hunc ſignatum eſſe ex pondere aſſis, qui in auerſa eundem hunc Q. Titium exhibet, praeclare HAVERC. docet; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 416. ſqq. VAILL. Tom. II. pag. 473. ſq. PATIN. pag. 276.

TITVRIA.

370. SABIN*us*. Caput regis Tatii Sabini nudum, barbatum.
Lucius TITVRI*us*. Tarpeia virgo arrectis prae horrore comis, Sabinorum ſcutis obruta; deſuper illam ſtella cernitur in luna creſcente.

Aſper. Vtrum plebeia an patricia Tituria gens fuerit, nondum conſtat. Cognomen Sabini, vtpote quod gentis huius a Sabinis originem denotat, antiquiſſimos fuiſſe Titurios docet. Cl. *Laur.* BEGERI ſculptor peſſime loco lunae & ſtellae globoſum quid effinxit, idque aut pictoris incuria factum, aut theſauri Brandenburgici typus ex numo haud ſatis integro deſumtus eſt. Sorte b. SCHVLZIO integerrimus iſte obtigit, in quo luna falcata & ſupra illam ſtella pulcre & diſtincte conſpicitur; ſimilemque in indice muſei Burckhardiani pag. 56. a cel. *Iulio Carolo* SCHLAEGERO notatum video. VAILLANTIVS ſcutum cum fulmine, quale militum clypeis adpictum eſt, exprimit; forte ex coniectura potius, quam claro archetypo. L. Titurii Sabini in hiſtoria Romana prorſus nulla fit mentio; hinc non conſtat, quiſnam ille fuerit. Ex Sabinis eum traxiſſe originem *cognomen* oſtendit, vnde *regis Sabinorum Tatii facies* in antica, & *Sabinorum ſcutis obruta Tarpeia virgo* in poſtica numi pagina cernitur. Titurios ex iiſdem Sabinis, qui Tarpeiam ſcutis obruerunt, ortos eſſe VAILLANTIVS autumat. Sabini, qui Capitolium munitiſſimam Romanorum arcem occupare tentabant, quum aquatum ibant, Tarpeiae virgini Veſtali occurrentes petierunt, vt in arcem, patris ſui Tarpeii cuſtodiae commiſſam, ingreſſum daret. Pactaque cum illis, quidquid in ſiniſtris brachiis geſtarent, armillas intelligens, quas illi aureas gemmataſque laeuo in brachio ferebant: tum vt eam prodidit,

promiſſi

promiſſi mercedem petiit, ipſi vero ſcutis eam obruerunt; vnde monti nomen *Tarpeius mons* qui primus erat Saturnius. *Stellae* & *lunae* pictura non eſt ſuperflua; docet enim tempus, quo capta Tarpeiae proditione arx a Sabinis fuit, nocte videlicet, cuius ſymbolum luna & ſtellae ſunt. Noctu enim negotium eſſe peractum docet *Dionyſ. Halicarn.* lib. II. pag. 105. ſq. Vt vero peracta noctu fuit proditio, ſic arx quoque nocte fuit occupata, vt idem celebris ſcriptor loco laudato commemorat; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 419. VAILL. tom. II. pag. 480. PATINVS pag. 278 conf. *loc.* OVZELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 551. *Laur.* BEGERI *Florus* pag. 24.

371. TA*tius* SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini.
L*ucius* TITVRI*us*. Sabinarum raptus.

Subaeratus. Adpoſitum Tatii nomen per litteram T. litterae A. ſuperimpoſitam, quae nominis eius initiales ſunt, procul dubio innuit illam eſſe Tatii Sabinorum regis imaginem, ſub quo Sabinarum raptus a Romanis factus eſt. Hi quum vxores non haberent, ſibi iungere deſtinarunt, ludis Conſualibus. *Romulus, Liuius* lib. I. inquit, *ludos ex induſtria parat Neptuno equeſtri ſollemnes; Conſualia vocat. Indici deinde finitimis ſpectaculum iubet, quantoque adparatu tunc ſciebant, aut poterant, concelebrant, vt rem claram, expectatamque facerent. Multi mortales conuenere ſtudio etiam videndae nouae vrbis, maxime proximi quique, Caeninenſes, Cruſtumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo, cum liberis & coniugibus venit: iuuitati hoſpitaliter per domos, quum ſitum moeniaque, & frequentem tectis vrbem vidiſſent, mirantur tam breui rem Romanam creuiſſe. Vbi ſpectaculi tempus venit, deditaeque eo mentes cum oculis erant; tum ex compoſito orta vis, ſignoque dato iuuentus Romana ad rapiendas virgines diſcurrit: magna pars forte, ut in quem quaeque inciderat, raptae, quaſdam forma excellentes primoribus patrum deſtinatas ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant;* reliqua. Hunc itaque typum expreſſit L. Titurius, vt Romanos deinde natos ex

Sabinis

Sabinis puellis ortos esse significaret; vid. VAILL. tom. II. pag 479. sq. PATINVS *loc. cit.* conf. *Const.* LANDI *select. numism.* pag. 55. sqq. *Florus* BEGERI pag. 22.

TVLLIA.

372. ROMA. Caput Romae galea alata ornatum.

M*arcus* TVLLI*us*. Victoria stans in citis quadrigis, d. tenet parazonium, l. habenas & praelongam palmam; supra equos corolla, infra eosdem denarii signum conspicitur.

Affabre signatus, *integerrimus*. Tullia gens *patricia* fuit & *plebeia*, cognominibus variis distincta. Ex plebeiis fuerunt Deculae & Cicerones, quorum adhuc memoriam numi conseruant. Vtrum ad M. Tullii Ciceronis, clarissimi quondam apud Romanos oratoris, ex Cilicia triumphum, an potius ad M. Tullium Deculam, qui cum Cn. Cornelio Dolabella A. V. C. IↃCLXXII. consulatum gessit, denarius iste referri debeat, vix determinari posse VRSINO visum fuit; vid. *eiusd. fam. Rom. edit. Patin.* pag. 280. Priori tamen cel. BEGERVS subscribit sententiae; vid. *thes. Brand.* tom. II. pag. 590. posteriori calculum adiiciunt VAILLANTIVS & ipse cel. HAVERCAMPVS. Celebre M. Tulli Ciceronis nomen, HAVERC. inquit, fecit vt multi hunc denarium Romanae eloquentiae parenti adscriberent. Mouit illos honor Ciceroni habitus propter res in Cilicia feliciter gestas A. V. C. IↃCCII. Seruio Sulpicio & M. Marcello consulibus, sic vt inde imperatoris titulum reportauerit, & triumphus atque supplicationes absenti decretae fuerint, prout ipse testatur in epistolis ad *Atticum lib. V. epist.* 20. ad M. Cœlium Rufum ad *fam. lib.* II. *ep.* 10. & ad Catonem, *lib.* XV. *ep.* 4. Verum alii, idem vir summus subiungit, vetustiorem iudicarunt denarium, neque posse ad M. Tullium Ciceronem pertinere. Et recte, meo iudicio. Nam, praeter vetustiorem eius formam, accedit, quod in vrbe cusus fuerit denarius. Si vero ad Ciceronem & eius res gestas in Cilicia spectaret, cum nomine M.

Tullii, vt imperatoris, cusus fuisset, eo enim nomine a militibus suis salutatus fuit, vt patet ex adducta ad M. Coelium Rufum epistola, in qua ita scribit Cicero: *Nam Parthico bello nunciato, - - - - litteras publice mittam.* Quodsi vel omissus fuisset imperatoris titulus, tamen adscribi vox ROMA non potuit, quae testatur in vrbe cusum numum fuisse. Sed nec in vrbe cudi potuit in gratiam Ciceronis eiusque victoriam; quoniam tum non fuisset M. Tullii nomen adscriptum, sed alterius, qui eo anno triumuir monetalis exstitisset. Referendus itaque ad alium M. Tullium videtur hic denarius. Inter illos vero, qui Cicerone sunt antiquiores, duo M. Tullii inueniuntur, M. Decula pater & filius. Filius consul fuit A. V. C. IↃCLXXII. & inscribitur in Fastis M. Tullius M. F. A. N. Decula. Vix autem determinari posse videtur, vtrum ad M. Tullium Deculam patrem, an vero ad filium referendus sit denarius, quum vterque Marci habuerit praenomen, vterque triumuiratum monetalem, vel quaesturam vrbanam, initium honorum habuisse videatur, & multae populi Romani victoriae exstiterint; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 422. conf. VAILL. tom. II. pag. 487.

VALERIA.

373. ACISCVLVS. Caput Apollinis regis diadematum, dependentibus cincinnis, cum stella in vertice; post dei caput instrumentum fabrile, acis dictum: omnia in corona laurea.

Lucius VALERIVS. Europa tauro vecta.

Asper. Antiquissimam hanc gentem e Sabinis oriundam cum T. Tatio rege, quem a Romulo in regni consortium adscitum fuisse fertur, Romam migrasse ex *Dionysio* VRSINVS docet. In hac gente *plebeios* & *patricios* quondam exstitisse notum est. Acisculorum, Flaccorum, Catullorum, & Messallarum, inter quos Barbatorum quidam cognomen gesserunt, numi conseruant memoriam. Quemadmodum ab instrumento quodam fabrili vtrimque lato & obtuso Malleoli in Poblicia gente dicti sunt: ita a simili instru-

ſtrumento, quod vero ab altera ſui parte in mucronem deſinebat, quoque ſaxa in latomiis caedi ſolebant, Aciſculorum familiam cognomen aſſumſiſſe recte poſt perill. SPANHEMIVM docuit VAILLANTIVS. Valerios Aciſculos, propter fabuloſos denariorum typos, ex Graecia oriundos fuiſſe idem VAILLANTIVS credidit. *Caput*, quod aduerſa numi pagina exhibet, idem vir celebris de Caſtore explicat. Quum autem Dioſcuri paſſim pileis ſuis ornentur in dimidiati oui formam, reſpectu alterius oui, quod Laeda ex Ioue conceperat, & cuius putamen hi fratres inter ſe diuiſerant, capite pro galea geſtandum; hinc lubentius VRSINO & HAVERCAMPO accedimus, qui de *Apollinis* capite explicant. Qui ſaepe cincinnos capiti additos in numis habet, diadema vero vt rex; ἄνακτος enim nomen prae caeteris geſſit; *aſtrum* vero eundem Apollinem cum ſole docet eſſe. De Apolline excitandi *Mythologici Latini edit. Hieron. Commelin.* 314. *Natalis Comes* lib. IIII. cap. 10. *Lil. Greg.* GYRALDVS tom. I. pag. 218. ſqq. & paſſim. *Franciſc.* POMEY pag. 23. ſqq. NIEVPOORT. *ſect.* IIII. cap. I. §. XIII. *Henr.* KIPPINGIVS *edit. Batau.* pag. 55. ſqq. Coniunxit Aciſcolus cum Apolline *Europam*, Graeciae deam; quam ita venerabantur Corinthii, vt eius oſſa in pompa veherentur Ellotiorum feſto, vt narrat *Athenaeus* lib. XIIII. *edit. Iſaac. Caſauboni.* pag. 678. Quis fuerit hic L. Valerius Aciſculus eruditis plane incognitum eſt, denarii autem eius admodum affabre cuſi ſunt. Forte vnus fuit ex triumuiris monetalibus Auguſti, qui Graecas denariis ſuis fabulas inſculpſit, quum nobiliſſimis Graecorum operibus vrbem ſuam exornaret Caeſar; neque enim ſemper eius triumuiri monetales caput Caeſaris Auguſti adpoſuerunt; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 424. VAILL. tom. II. pag. 495.

374. Victoriae caput, cum humeris alatis; pone ſpica.

caius VAL*erius* FLAC*cus* IMPERAT*or*. EX *senatus Conſulto.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, quae inſcriptas habent litteras H. & P. i. e. *Haſtati & Principes.*

Probe ſignatus, elegantioris fabricae denarius. Cicero in *orat. pro P. Quinctio cap.* VII. Caii Flacci imperatoris meminit, quem nobiliſſimi antiquarii eum eſſe credunt, ad quem hic numus pertinet. Ex tota illa oratione patet C. Valerium Flaccum imperatorem tum in Gallia fuiſſe. Ibi enim P. Quinctius praedia habebat, quibus abſentem illum Romae exuit Sextus Naeuius, cuius vim & iniuriam iſta oratione oſtendit Cicero; eius verba, quae citatum locum praecedunt, haec ſunt: *Haec dum Romae - - - - factum videtur.* Fuerunt autem illis temporibus duo C. Valerii Flacci, quorum alter ad conſulatum alter ad praeturam pervenit. Prior conſulatum geſſit A. V. C. IↃCLX. atque Hiſpaniam Citeriorem deinde ſortitus, prorogato imperio, rem ibidem feliciter geſſit. De illo, HAVERCAMPO iudice, *Appianus* loquitur, haec ſcribens in *lib. de bell. Hiſpan.* pag. 312. *Iterum rebellantes* (poſt cladem ſcilicet a Didio acceptam) *Celtiberos Flaccus eo miſſus, viginti millibus occiſis, repreſſit. In Belgide autem vrbe inclinata ad defectionem plebe, cunctantem ſenatum vna cum curia cremauit. Superueniens Flaccus ſontes ſupplicio adfecit.* Et huic quidem Flacco denarium adſignauit PIGHIVS. Videtur enim ob tantam hoſtium caedem imperator a militibus ſalutatus fuiſſe. Alter Flaccus, qui praeturam non fuit egreſſus, is eſt, quem Cicero Caium Flaccum imperatorem adpellat. Manet itaque in obſcuro, ad vtrum ex duobus Flaccis referendi ſint hi denarii. Typus, HAVERC. ſubiungit, in denario exhibitus exercitus victoris inſignia reſpicit, & haſtatos, principes, & triarios, quorum duo priores vexillis inſcriptas habent primas nominis litteras, poſteriores per aquilam deſignantur. *Senatuſconſulti nota* confirmatum EX. S. C. victori ab exercitu datum imperatoris titulum innuit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 426. ſq. VAILL. tom. II. pag. 503 ſq. PATINVS pag. 283.

375. MESSALLA SISENNA IIIVIR. Incudis figura.

GALVS APRONIVS A. A. A. F. F. in area S. C.

Aereus tert. mod. numus. Quatuor diuerſarum familiarum hominum nomina, vt ſupra p. 91. audiuimus, in hoc numulo VAILLANTIO

con-

coniungi videntur, qui tamen non IIIIviri, ſed IIIviri dicuntur. Huius rei ratio ab eodem VAILLANTIO exponitur, quod ſcilicet extra ordinem aliquis ſit adiectus, atque ita triumuiratus monetalis titulus quidem manſerit, ſed extra numerum illum aliqua de cauſſa quartus fuerit adiectus. Sed reuera, HAVERC. addit, Apronius Galus dictus fuit, cuius hic cognomen praeponitur & tres tantum in numo ſunt IIIviri; vide quae in Apronia gente ad hunc numum diximus pag. 90. num. 168. conf. pag. 168 num. 250.

376. M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR R*ei* P*ublicae* CON*ſtituendae*. M*arcus* BARBAT*us* Q*uaeſtor* P*rouincialis*, vel P*ercuſſit*. Caput Marci Antonii nudum.

CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR R*ei* P*ublicae* CON*ſtituendae*. Caput Caeſaris Octauiani nudum.

Aſper. M. Barbatus, M. Antonii IIIviri quaeſtor, ex Valeria gente & quidem ex Meſſalla familia fuit; quae, quia nimis ampla indies creſcebat, pleriſque cognominibus vti coacta eſt, ita vt ille M. Valerius Meſſalla Barbatus vocaretur. Hunc Antonii quaeſtorem male ſeu mendoſe Barbatium vocari apud *Appianum* lib. V. B. C. pag. 688. & apud *Ciceronem* in *orat. Philipp.* XIII. cap. II. VRSINVS & VAILLANTIVS exiſtimant. Numi vero, ad quos VRSINVS prouocat, nihil definiunt, in illis enim non exſtat BARBATVS, ſed BARBAT. quod vtique aequo iure BARBAT*ius* quam BARBAT*us* integre legi & ſuppleri poteſt. Coniungitur in hoc denario Antonius cum Auguſto ad communem vtriuſque potentiam arguenda. Argenteus iſte haud dubie illo tempore ſignatus eſt, quo triumuiratum prima vice euerſores rei publicae inuaſerunt; vid. Antonia gens pag. 86 num. 156. De triumuiris R. P. C. conſule NIEVPOORTIVM *edit. nouiſſ.* pag. 136.

377. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*eſtate*. Caput Caeſaris Auguſti nudum.

VOLVSVS VALER*ius* MESSAL*la* III. VIR A*uro* A*rgento* A*ere* F*lando* F*eriundo*. In area numi nota S. C.

 Aereus

Aereus sec. mod. numus. Praenomen Volusi Sabinum est, quod hic triumuir monetalis Valerius Messalla, aut ad denotandam suam ab eo Valerio, qui cum Sabinis Romam migrauit, originem in hoc numismate assumsit, aut potius ei eandem ob rationem a parentibus inditum fuit. Et hic quidem cel. HAVERCAMPO ille Volesus (vtroque enim modo scribitur) Messalla esse videtur, cuius mentionem parum honestam *Seneca* & *Tacitus* faciunt. Animi enim crudelis & tyrannici fuit. Haec de illo narrat *Seneca lib.* II. *de ira cap.* 5. *Volesus nuper sub diuo Augusto proconsul Asiae, quum trecentos vna die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo; quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Graece proclamauit, O rem regiam! Quis haec rex fecisset? Non fuit haec ira, sed maius malum & insanabile.* Damnatum propterea sub Augusto fuisse notauit *Tacitus lib. ann.* III. cap. 67. vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 432. VAILL. tom. II. pag. 510.

VARGVNTEIA.

378. *Marcus* VARG*unteius.* Caput Romae, cum denarii nota.
ROMA. Iupiter in lentis quadrigis, vtpote triumphalibus, d. palmam, victoriae symbolum gerit, l. fulmen tenet & equorum habenas.

Asper. Vtrum Varguntеia gens plebeia fuerit an patricia incertum est; patriciam tamen malunt antiquarii, quod vnus ex sociis Catilinae L. Varguntеius senator apud *Sallustium*, de *bello Catilinario*, citetur. Quis hic fuerit M. Varguntеius, qui hunc numum cudit, tam altum est apud veteres silentium; vt vix *Fulu.* VRSINVS in fragmento veteris marmoris M. Varguntеii nomen inuenerit, quod testatur in illa gente olim Marci praenomen familiare fuisse. Memorantur quidem aliquot Varguntеii apud scriptores, sed diuersi omnes ab hoc esse videntur. De L. Varguntеio, Catilinae socio, ita scribit *Sallustius: C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, & cum eo L. Varguntеius senator, constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suae imparatum confodere;* reliqua.

Manet

Manet itaque M. Vargunteius nobis ignotus, quem cel. HAVERCAMPVS ex proauis L. Varganteii ſenatoris, & triumuirum monetalem fuiſſe iudicat, quum hunc Romae ſignarit denarium. *Iupiter Triumphator* in auerſa numi parte exprimitur, ob inſignem aliquam illo anno a populi Romani hoſtibus relatam victoriam. Iouis Triumphatoris laeua fulmen & habenas, dextra palmae ramum gerentis ornatum probe notandum eſſe HAVERCAMPVS monet. Idem enim eſt ornatus in ſimili plane Domitiae gentis numo, quem pag. 142. num. 227. exhibuimus. Et hinc idem vir celebris ſuſpicatur illum Cn. Domitium, de quo l. c. egimus, triumuirum monetalem fuiſſe vna cum noſtro M. Varganteio. *Quadrigae triumphales* a quadrigatis denariis vtique h. l. diſtinguendae ſunt: illae exhibentur cum equis lento paſſu gradientibus, vt moris erat pro triumpho; hae vero decurrentes, vt bigae ſolent exprimi; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 432. ſq. VAILL. tom. II. p. 522. *Fulu.* VRSINVS *in gente Varganteia.*

VERGINIA VEL VERGILIA.

379. Caput Iani bifrontis laureatum & barbatum.
CAR*uilius*. OGVL*nius*. VER*gilius*. Prora nauis.

Quoniam tria haec nomina in tribus familiis locum poſtulant; hinc aſſem hunc iam in Caruilia gente pag. 103. vt & Ogulnia pag. 222. deſcripſimus. Verginia ſiue Virginia gens, pro qua hic Vergiliam mauult MORELLIVS, *plebeia* fuit.

VETVRIA.

380. TI*berius* VET*urius*. Caput Virtutis galeatum, cum ſolita denarii nota.
ROMA. Duo viri ſtantes l. haſtas, d. tenent bacillos, quibus porcam tangunt, quam in illorum medio vir, altero pede ingeniculatus, ſinu tenet.

Haud obuium hunc denarium eſſe HAVERCAMPVS *aſſerit.* Veturiam gentem fuiſſe antiquiſſimam teſtatur Veturius ille faber, qui, Plutar-

Plutarcho teſte, ſub Numa Romanorum rege floruit; *Vetuſia* a *vetus* in initio dicta fuit. Diſceptatum fuit apud antiquarios, vtrum hic denarius ad Veturiam an ad Vetiam gentem referendus ſit; dein vtrum foedus inter Tatium & Romulum, an inter Tullum Hoſtilium & Albanos; an denique aliud quoddam foedus vel factum innuatur. Dubitationem de gente connexae litterae VET. faciunt, quae & VET*tios* & VET*urios* deſignare poſſunt. Conſuluit hac de re MORELLIVS PERIZONIVM, qui in *diſſertationum triade* Veturiam illuſtrauerat gentem. Mentio fit, cl. MORELLIVS inquit, gentis Veturiae, qua occaſione ſimul in mentem venit, numos huic genti attributos veriſimilius ſpectare ad gentem Vettiam, idque ex eo, quod vtraque iiſdem initialibus vtatur, & figurae in auerſa parte fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo interrex fuit; cuius rei memoriam ſine dubio quidam ex Vettiis hiſce numis conſeruare voluerunt. Illud tamen contra VRSINVM adfirmare non auſim ſine peritiorum approbatione. Caeterum non praetermittendum eſt, in huius gentis Vettiae numo exprimi T. VETTIVS, vt bene obſeruauit VRSINVS, in Patini vero editione litteram T, qua ex cauſſa neſcio, perperam omitti. Hactenus MORELLIVS. Celebris idem antiquarius hanc longius proſequitur telam apud WOLTERECKIVM pag. 49. Plura ad hunc numum ex PERIZONII *diſſert. triade* commentario in theſaurum Morellianum inſerta ſunt, quo peritum lectorem ablegamus. Inquirendum quo tempore numus noſter ſignatus videatur, vt conſtet de tempore, quo vixerit ille, qui denarium ſignauit, Tiberius Veturius. Iam ſupra in Fuſia & Mucia gente inſignes denarias cuſos fuiſſe oſtendimus, poſtquam conuenerat inter Romanos & Italiae populos, vt ius ſuffragii hiſce daretur, propter quod funeſtiſſimum bellum, cum internecione exercituum, vrbium, virorum ab vtraque parte illuſtriſſimorum, mouerant Itali, & pertinaciter geſſerant. Huius generis, vt iam monuimus, numus eſt gentis Fufiae atque Muciae, in quo Honoris & Virtutis, adſcriptis nominibus, capita iunguntur, Ro-

mae

mae quoque & Italiae nomina adſcribuntur, atque honos quidem Italiae acceſſiſſe cognoſcitur propter ius ciuitatis adeptum, ſed tamen quaſi ſuccubuiſſe ſtatuuntur Itali Romanae virtuti. Hinc *Virtutis* ſolius *caput* in hoc denario, quem Romae in ciuium ſuorum gratiam ſignauit Tiberius Veturius. Addi hiſce merentur, quae prolata ſunt ad dictum Fufiae & Muciae gentis denarium, pag. 163. & pag. 216. ſq. atque quae ad alterum gentis Farſuleiae numum, pag. 155. ſq. diximus, in quo Roma victrix & galeata, vt ipſa dea Virtus, hominem Italum, gentis vniuerſae typum, toga, ſymbolo ciuitatis, indutum, in bigas, quibus inſiſtit ipſa, recipit. Itaque, HAVERCAMPVS addit, ſicuti ante contra Romam coniurauerat vniuerſa fere Italia, vnde praecipuae gentes per octo viros exprimuntur in denariis illis, qui inter Incertos collocantur, foeduſque porca adhibita faciunt; ſic coeuntes in foedera Roma atque Italia in hoc numo eodem fere modo adhibita *porca* amicitiam veterem renouant. Et Romana quidem res publica per *Sullam* hic depingi mihi videtur, Italia vero per *virum barbatum*, quod antiquior Roma ipſa fuerit Italia. Haec HAVERCAMPVS. Cel. BEGERVS eodem hoc typo foedus Tulli Hoſtilii cum Albanis exhiberi exiſtimat; vid. *theſ. Brand.* conf. *eiuſd. obſeru. & coniectur. in antiqu. numiſm.* pag. 22. *Fulu.* VRSINVS ad pacem inter Romulum & Sabinos denarium hunc reſpicere autumat; VAILLANTIVS autem ad foedus inter Romanos & Ligures auerſam numi paginam ſpectare ſuſpicatur. Pactis foederis initiis, fecialis, quam erat mactaturus, porcam accipiebat, & eam, ad ſecurius tenendam manibus, genuflexus conſtringebat, hinc & inde pacis legatus, cum baculo beſtiae ſuperimpoſito, ſe foedera ſeruaturum iurabat. Quo facto, fecialis, populum, aiebat, illum ferito Iupiter, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque: id vbi dixit, porcum ſilice percutit; caet. ex *Liuio*; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 438. ſqq. VAILL. tom. II. pag. 533. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 289. ſq. conf. NIEVPOORT. *edit. nouiſſ.* pag. 261.

VIBIA.

381. Caput Bacchi, vel potius deae Liberae, hedera & corymbis decorum.

caius VIBIVS VARVS. Ara cum impoſita perſona ſcenica; adponitur thyrſus adſiliente ad aram panthera ſiue tigride.

Eleganter ſignatus. Vibia gens plebeia fuit, pluribus cognominibus illuſtris; in numis Vari tantum occurrunt & Panſae, Marſique. Cl. VAILLANTIVS: Hic denarius, inquit, C. Vibium ad aedilitatem curulem perueniſſe demonſtrat: nam haec ſunt Liberi & Liberae ludorum ſymbola. *Liberae* ipſius *imago* in anteriore illius parte exhibetur; *hedera coronatur*, quod haec planta contra vini furorem prodeſt. In auerſa parte *ara*, ſacra Libero Liberaeque facta ante ludos, denotat. *Thyrſus*, Bacchi inſigne, haſta erat aculeata, hedera contexta, mucrone acuto. *Panthera* Libero comes & ſacra erat, de quibus vide *Phornutum*, de *nat. deorum. Perſona*, quia ludi illi erant Scenici. Hactenus VAILLANTIVS. Ad aedilitatem Vari, de qua nullam ſcriptores mentionem faciunt, numum hunc haud pertinere HAVERCAMPVS monet; omnes enim, quum quatuoruir monetalis eſſet, Vari iſtius denarios ſignatos eſſe idem vir cl. nos edocet. Adludit, inter alia vir cel. inquit, ad ſacra Liberi, quae quum primus Romam tranſtulerit Caeſar, primus quoque edidiſſe videtur C. Vibii Vari pater C. Vibius Panſa, eo tempore aedilis curulis. De Caeſare teſtatur id aperte *Seruius* ad *Virgilianos* hoſce Verſus *Eclog.* V. vſ. 29.

Daphnis & Armenias curru coniungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.

Ad quae verba haec ſcribit *Seruius: Hoc aperte ad Caeſarem pertinet; quem conſtat primum ſacra Liberi Patris tranſtuliſſe Romam.* Verſus Virgilianos illuſtrant *tigris & thyrſus* in numo. *Perſona ſcenica* denotat ludos theatrales ſacris feſtis Cereris Liberi Liberaeque exhibitis. *Ara* ad deam Cererem ſpectat, cui ſacrificari

ſue

ſue ſolebat, quae prima mori victima meruit, iuxta *Ouidium lib. Metam.* XV. vſ. 112.

Quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

Inde ante pedes Cereris in quibuſdam Vibiae gentis denariis cernitur. Quod vero filius C. Vibii Panſae conſulis, Vari, non Panſae, habuerit cognomen, mirum videri non debet, quum multa eius rei exempla conquiri poſſent; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 442. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 547. PATINVS pag. 291.

382. PANSA. Caput Apollinis laureatum, ante quod flos monetariorum ſignum cernitur.

caius VIBIVS *caii filius.* Minerua in citis quadrigis, d. tropaeum gerit, l. haſtam & equorum habenas.

Ob victoriam de M. Antonio a conſulibus Aulo Hirtio & C. Vibio panſa relatam denarium hunc ſignatum eſſe HAVERCAMPVS iudicat. In eo autem procul dubio exprimi Panſa voluit geſtos antea per ſe honores, videlicet praeturam; vt praetor enim vrbanus, curauerat ludos Apollinares, quapropter *Apollinis caput* in priori denarii parte cernitur. *Minerua tropaeophora* in auerſa ſignata videtur propter ſtudium Panſae; fuit enim eloquentiae & artibus liberalibus, vna cum collega Hirtio, in primis deditus. Cl. VAILLANTIVS poſticam numi paginam itidem ad Panſae ſcientiarum cultum refert; in antica autem Iouis Axuris, in Campania culti, imaginem agnoſcit, quam ad denotandam Vibiorum ex Campania originem expreſſam eſſe celebris antiquarius credidit; vid. VAILL. tom. II. pag. 538. ſq. conf. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 443.

383. PANSA. Perſona ſcenica, quae Sileni caput exhibet, poſt illud tibia cernitur.

caius VIBIVS *caii filius caii nepos.* IOVIS AXVR*is.* Statua Iouis Axuris, ſiue Anxuris, ſedentis, corpore ſeminudo, capite lauri foliis ornato, d. pateram tenet, l. haſtam.

In plurimis familiarum Romanarum numis eius familiae patria indicari ſolet cuius eſt denarius, & plerumque numine aliquo patrio, quod ibi prae caeteris colebatur, patria illa indicatur. In Iunone Lanuuina aliiſque id plus ſemel vidimus, quin & in Iouis Axuris effigie & capite non vna familia illud indicauit. Colebatur vero Iupiter Axur, eiuſque ſoror virgo, quae Feroniae nomen pro Iunone gerebat, apud Campanos, vt pluribus ad hunc numum docuit doctiſſimus *Fuluius* VRSINVS; vid. *eiuſd. famil. Rom. edit. Pariſ.* pag. 293. ſq. *Io.* HARDVINVS in *Plinio ſuo* ad lib. III. pag. 153. negat Iouis Anxuris vel Axuris mentionem in poſtica denarii parte fieri, aliamque, certe ineptam, litteras ſingulares captans effingit ſententiam. *Perſona ſcenica*, quae Sileni eſt, ad Liberalia ſpectat, celebrata quondam ſub Iulio Caeſare ab aedili curuli C. Vibio Panſa, nunc conſule. *Tibia* itidem ad Liberalia reſpicit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 444. VAILL. tom. II. pag. 542. conf. *Conſt.* LANDI *ſelect. num.* pag. 89. ſqq.

384. PANSA. Caput deae Liberae hedera & corymbis redimitum.

caius VIBIVS *caii filius caii nepos.* Ceres, vtraque manu faces accenſas gerens, capite ſpicis coronato, feſtinat; ante pedes aratrum.

Aduerſae typum antea expoſuimus. In auerſa Ceres πυρφόρος, filiam Proſerpinam quaerens, feſtinat. De raptu Proſerpinae conſulendi *Natalis Comes*, lib. III. cap. XVI. & lib. V. cap. XIIII. *Franciſc.* POMEY pag. 210. ſq. *Lil. Greg.* GYRALDVS tom. I. pag. 194. & alibi. *Aratrum* Cereris inuentum eſſe crediderunt. A Vibio Panſa & Liberae & Cereris ludos celebratos eſſe denarius iſte indicat; vid. *theſ. Morell. loc. cit.* VAILL. tom. II. pag. 541. VRSINVS *loc. cit.* ſq. conf. OVZELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 305.

VIPSANIA.

385. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum.

marcus AGRIPPA. PLATORINVS IIIVIR. Caput M. Vipſanii Agrippae corona roſtrata & turrita inſigne.

Aſper-

Asperrimus, rarissimus, quem tab. V. num. VIII. affabre aeri incisum offert. Cel. *Andr.* MORELLIVS & cl. *Euchar. Gottl.* RINCKIVS septimo apud VRSINVM Vipsaniae gentis denario, qui a nostro tantum inscriptione differt, *triginta thalerorum pretium* constituunt. Quum autem perinsigne istud numophylacii SCHVLZIANI κειμήλιον haud dubie nondum vulgatum sit; claret rarissimis familiarum Romanarum denariis argenteum hunc adnumerandum esse. Hinc facile colligi potest, quanti circiter denarius iste aestimandus sit. *Putant enim*, passim laudatus cl. *Euchar. Gottl.* RINCKIVS inquit, *antiquarii aequitate nisi, rarissimi numi, cuiuscunque sit aestimationis, pretium iustum esse 50. thalerorum;* vid. *eiusdem de vet. numism. pot. & qualitate lucubratio* pag. 176 & p. 180. Vipsania gens, cuius frequens in veteribus monumentis fit mentio, equestris sed *plebeia* fuit. M. enim Agrippam, ad quem pertinent hi numi, ex familia equestri ortum esse *Corn. Nepos* in *Attico* commemorat. Praeter *coronam rostratam*, quae in aere semper fere caput Agrippae exornat, emicat hic quoque *corona muralis*. Rostrata illi ob victorias nauales concessa fuit, muralis propter motus in vrbe sedatos, quum illum Romam misisset Augustus, vt sui vice ibi res tranquillas redderet, vti ex *Dionis* lib. LIIII. recte monet VAILLANTIVS. *Nihilo sedatius res acta est, sed tantum denuo factionum ac turbarum exstitit, vt vix tandem Lepidus consul creatus fuerit. Quae Augustus moleste ferens, quum neque soli Romae vacare posset, neque eam sine gubernatore relinquere auderet, de praeficiendo ei aliquo cogitans, Agrippam ad id aptissimum esse iudicauit: plus tamen ei maiestatis addendum ratus, quo facilius vrbem regere posset, uxore eum sua (quanquam haec sororis Augusti filia erat) repudiata, Iuliam ducere iussit: ac continuo Romam misit ad nuptias peragendas, vrbisque administrationem suscipiendam: quod vt faceret, praeter alia etiam Maecenatis eum dictum mouerat, qui consultus hac de re, Tantum, inquit, Agrippam iam fecisti, vt vel gener tuus fiat vel occidatur necesse sit. Agrippa, quum turgescentes adhuc motus in vrbe inuenisset, omnia sedauit.* Refert haec

 Dio

Dio ad A. V. C. IↃCCXXXIII. Adparet hinc cur ſiuerit Auguſtus, vt imago Agrippae cum ſua in numis ſignaretur; videtur praeterea cuſus fuiſſe perinſignis iſte denarius poſt tumultus in vrbe ſedatos & honores Agrippae propterea ab Auguſto habitos. Tandemque ex eodem *Dionis* loco colligitur M. Platorinum, qui ex altera numi parte ſocerum Auguſtum laurea, vt perpetuo hoſtium victorem, & M. Agrippam generum duplici corona, nempe roſtrata, quam iam ob Sextum Pompeium deuictum gerebat, & murali, ob motus in vrbe compreſſos, illuſtrem expreſſit, per plures annos & forte ſimul cum Coſſo Lentulo Auguſti triumuirum monetalem fuiſſe. Idem enim iſte Platorinus A V. C. IↃCCXXVI. tertium Vipſaniae gentis ſignauit denarium, hunc autem circa A. V. C. IↃCCXXXIIII. cudit ſine dubio itaque per octo ſolidos annos hoc magiſtratu functus eſt; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 450. ſq. VAILL. tom. II. pag. 557. PATINVS pag. 298.

386. *Marcus* AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nsul* III. Caput Agrippae corona roſtrata inſigne.

Senatus ConSulto. Neptunus cum ſtrophio, dextra tenens delphinum, laeua tridentem.

Optime ſeruatum, firma aerugine conſpicuum, ſec. volum. numiſma. Conſul tertium fuit M. Vipſanius Agrippa cum Caeſare Auguſto VII. A. V. C. IↃCCXXVI. vel IↃCCXXVII. diuerſimode enim Faſti Capitolini aliique numerant. Quo anno Auguſti nomen recepit Caeſar die Ianuarii XVII. & rei publicae conſtituendae poteſtatem in decem annos accepit. Eodem anno aeream hanc monetam ſignatum eſſe VRSINVS exiſtimat; VAILLANTIVS nouem autem poſt annis, videlicet A. V. C. IↃCCXXXV. ex ſenatuſconſulto eandem cuſam eſſe credidit. Non ſolum itaque in argenteis triumuirorum Auguſti denariis Agrippae caput exhibetur; verum illius effigies iam & in aereis iuſſu ſenatus percuſſis numis prodit. Qua vero occaſione ipſi cuſi ſint numi idem celebris antiquarius nos edocet. Non ſane, vir cl. inquit, ad indicandam naualem de Siculis & Sex. Pom-

Pompeio victoriam, ob quam ille rostrata corona, quam praefert, donatus est, vt quidam arbitrantur. Inscriptio COS III. repugnat, tunc enim tantum consulatum primum inierat, & tantum tertium gessit A. V. C. IↃCCXXVI. quum diuisio prouinciarum cudendaeque monetae inter Augustum & senatum facta est, nempe vt aurea ac argentea Caesaris esset, & aerea penes senatum maneret: vnde in ea deinceps S. C. nota. At obseruandum, quando in argenteis & aureis denariis occurrit EX S. C. non ideo senatus illos percussit, sed quod exhibetur, opus habuit senatusconsulto, quando percussum. Hanc igitur Agrippae effigiem, VAILL. addit, senatus signauit, postquam A. V. C. IↃCCXXXV. tribuniciam potestatem accepit Agrippa, ex *Tacito* lib III. Nam Augustus illud summi fastigii vocabulum repererat, ne regis, aut dictatoris nomen assumeret, tamen adpellatione aliqua caetera imperia praemineret: cuius potestatis socium quum illum fecisset Augustus, non dubitauit senatus eius nomine numos cudere. *Neptunus* in Agrippae numis videtur selectus, quod ipsi semper fuerit propitius. Nam apud Mylas primo Sextum Pompeium, qui se Neptuni filium adpellabat, profligaverat, & iterum ad Naulochos vltimo sane praelio illum superauerat, tandemque in pugna nauali Actiaca praefectus classis Caesaris, M. Antonium & Cleopatram ingenti strage deuicerat. Quamuis metus haud esset, vt tot millia in honorem Agrippae quotannis signata interciderent numismata; tamen Titus Caesar, inter imperatores, quorum restituit numos, & Agrippae virtuti quoque illum honorem habuit. Domitiani in hoc idem quod Tito studium fuisse eius restitutiones testantur; vid. *thes. Morell. loc. cit.* VAILL tom. II. pag. 559. PATINVS *loc. cit.*

VOCONIA.

387. Caput Iulii Caesaris laureatum.

Quintus VOCONIVS VITVLVS *Quaestor* DESIGN*atus*. *Senatus Consulto.* Vitulus stans.

Asper serratus, rarissimus; vid. VAILL. *praest. impp. Rom. numism.* tom. II. p. m. 6. *Insignis huius denarii typum tab. V. num. VIIII.*

con-

conſpiciendum ſiſtit. Voconia gens *plebeia* fuit, ſiquidem Q. Voconius Saxa legem tulit de coercendis mulierum hereditatibus. *Fulu.* VRSINVS Caeſare adhuc viuo denarium hunc ſignatum eſſe autumat. VAILLANTIVS autem extincto Iulio, & quidem anno ſequente poſt cruentam eius mortem, numum cuſum eſſe contendit. Cel. HAVERCAMPVS hanc etiam amplectitur ſententiam, eamque ex aliis huius gentis denariis, in quibus aut DIVI IVLII inſcriptio cernitur, aut caput Auguſti barbatum, vt in luctu, occurrit, corroborat. A Voconio Vitulo itaque, vt quaeſtore deſignato, ex ſenatuſconſulto, poſt Caeſaris necem elegans iſte argenteus ſignatus eſt, quum videlicet, ob luctum Iulii Caeſaris, a percuſſoribus peremti, barbam alerent triumuiri; vſque quo poenas de percuſſoribus ſumſiſſent. *Vitulus* ad deſignandum cognomen vituli, & illud hoc ſymbolo illuſtrandum, in poſtica numi parte exprimitur; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 454. VAILL. tom. II. p. 569. ſq. PATINVS pag. 299. ſq.

388. C*neus* VOC*onius* S. T. F. Caput Auguſti laureatum.
C*neus* FVL*uius* CN*ei* ſcil. filius. Bos ſupra quem luna creſcens.

Aereus rudioris fabricae numus, incertis adnumerandus; vid. p. 165.

VOLTEIA.

389. Caput Liberae hedera & corymbis redimitum.
M*arci* VOLTEI M*arci* F*ilii.* Ceres, draconum bigis vecta, vtraque manu facem tenet, poſt currum vaſculum anſatum cernitur.

Cel. HAVERCAMPVS pleroſque quidem variis monetariorum notis diſtinctos denarii huius typos recenſet; in quibus tamen *noſtrum haud offendes.* VRSINVS & cel. HAVERC. dubitant, gens Volteia vtrum patricia an plebeia fuerit. VAILLANTIVS plebeiam eandem fuiſſe ſuſpicatur. Ad Vibii Panſae numos iam dictum eſt Liberalia Romae a Caeſare fuiſſe inſtituta, & aedilem eo tempore ipſum Panſam fuiſſe. Collegam forſan habuit Volteii huius patrem.

trem. Prior itaque numi pagina quae *Liberae caput* exhibet ad Liberalia, quae edidit, ſpectat, poſterioris paginae typi Cereris ludos reſpiciunt, de quibus *Cicero orat. X. in Verrem* cap. XIIII. *edit. Gronou.* pag. 365. *Nunc ſum*, inquit, *deſignatus aedilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum caeremonia Caereri, Libero, Liberaeque faciundos;* reliqua. Varie veteres Cererem filiam Proſerpinam quaerentem depingunt. Nam in Vibiae gentis denariis aut pedeſtris eſt illa dea, vtraque manu faces accenſas gerens; aut currui a draconibus tracto inſiſtit, atque altera manu facem tenet, altera regit habenas: in hoc autem denario habenae ad ipſas bigas ſunt religatae, quaſi vltro properarent dracones, & iniuſſi deam quo vellent veherent; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 455. ſq. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 573. PATINVS pag. 301.

NVMI INCERTARVM FAMILIARVM ARGENTEI.

390. ROMA. Caput Romae alata galea ornatum, cum den. nota. *sine epigraphe.* Roma ſpoliis inſidens, laeua haſtam tenet, augurium captat inter geminos vultures; ante pedes eſt lupa cum gemellis.

Optime conſervatus. Eo tempore, HAVERCAMPVS ait, quo bellum Sociale in Italia exarſit, populi coniurati varii generis numos ſignauerunt, vt patet ex tertio & quarto huius tabulae denario; in tertii enim numi typo ipſum foedus & coniurationem expreſſerunt, in quarti vero ſignarunt iniuriam, quam a Roma vrbe, non vt ſocia, ſed domina patiebantur. Eiuſmodi denarios quum vidiſſent Romani, non armis tantum ſed & numorum typis contra Italos vſi ſunt, atque ſuam prae omnibus Italiae ciuitatibus praerogatiuam in hoc denario expreſſerunt: imperium videlicet ſummum, quod *Romulo auguria captanti vultures* ſignificarant. Per *Lupam* praeterea, Martem, parentem conditoris ſui, iactant, per

 ſpolia,

ſpolia, quibus Vrbs inſidet, continuas toto orbe victorias, & denique per *alam*, *galeae* ſeu capiti *additam*, claritudinem Vrbis, Italiae & terrarum principis. Haec HAVERCAMPVS; vid. *eiuſd. comment. in theſ. Morell.* tom. II. pag. 460. Multo aliter *Fuluii* VRSINI ſonat interpretatio; vid. *eiuſd. fam. Rom. edit. Patin.* pag. 306.

391. Caput Iani bifrontis inberbe & laureatum.
ROMA. Iupiter in citis quadrigis, d. tenet fulmen, l. veſtis laciniam cum ſceptro; pone Iouem ſtat Victoria habenas equorum tenens.

Integerrimus. Dolendum eſt, quod triumuir monetalis non adſcripſerit nomen ſuum, neque certi eſſe poſſimus, quo tempore hic numus cuſus fuerit. Cel. HAVERCAMPVS tria ad hunc denarium obſeruavit momenta. Tria, vir ſummus inquit, numus habet ſingularia, vti ex meo mihi obſeruare licuit. Praeter typi enim praeſtantiam notandum venit duplo fere maiorem & ponderoſiorem eſſe hunc numum, quam denarii vulgares eſſe ſolent; deinde, mox addit, litteras ROMA, quae ſub quadrigis ſcribuntur, non exſtantes, vt vulgo ſolet, ſignari, ſed ita, vt ſigilli in morem ipſi numo ſint inſculpti, exſtantes vero fuerint in matrice. Hactenus cl. HAVERCAMPVS, cuius obſeruationes in elegantiſſimum hunc denarium haud quadrare videntur: neque enim numus iſte tantae magnitudinis, neque tantae molis eſt; licet vulgares denarios aliquantum ſuperet. Litterae quoque exſtantes ſunt, non inciſae. In familia Pompeia ſimilis fere Iani facies occurrit; hinc, niſi obſtaret vox ROMA, quae docet Romae ſignatos fuiſſe numos, denarium hunc ad eandem gentem pertinere non dubitarem, vt, ſicuti aſſes Pompeianos cum Iani bifrontis capite in Sicilia ſignavit Sextus, in quorum quibuſdam caput Cnei Pompeii geminum pro Iani effingitur capite; ita quoque denarios vulgares ſignauerit idem Sextus, & in iis patris victorias expreſſerit. Verum, vti iam monuimus, vox ROMA huic ſententiae repugnat, atque ita nos de tempore & auctore incertos relinquit; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 465.

392. Ca-

392. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.
ROMA. litteris inuerſo ordine poſitis. Victoria in citis quadrigis, dextram lateri accomodat, ſiniſtra praelongam palmam & habenas tenet; ſub equis litt. X. denarii ſignum.

Ad inſignem hunc quadrigatum, qui haud dubie *nondum vulgatus* eſt, ea fere notanda veniunt, quae praecedenti numo HAVERCAMPVS ſubiunxerat. Nam non tantum ſolito maior eſt; verum etiam tum caeteros familiarum Romanarum denarios, tum antecedentem pondere ſuperat. Quumque inſuper duplicem numus iſte denarii notam exhibeat, coniicimus hinc argenteum hunc duos quondam valuiſſe denarios. Numus iſte, propter ſimilitudinem cum typo, quo Tulliae gentis denarii inſigniti ſunt, ſine dubio ad Tulliam familiam pertinet; vid. pag. 281. num. 372.

393. Caput Veiouis laureatum, ſubtus fulmen eſt.
Iupiter in citis quadrigis, d. fulmen tenet, l. habenas.

Aſper. HAVERCAMPVS ad familiam Sentiam numum hunc refert.

394. Caput Romae galea alata decorum, cum denarii nota.
ROMA. Dioſcuri in equis ſolito more haſtati.

Ex antiquioribus denarium hunc eſſe conſtat; ad quam vero gentem referendus ſit, nullo modo cognoſci poteſt.

AEREA VRBIS ROMAE NVMISMATA.

395. Caput Iani bifrontis, barbatum & laureatum, cum aſſis nota.
ROMA. Prora, in cuius ſummo nauis gubernaculum, quod vultur e caelo deuolans petit.

Aſſis, qui decem noſtrates drachmas notabiliter excedit pondere; patet hinc paullo ante Hannibalis tempora numum hunc Romae ſignatum eſſe. Docet enim *Plinius*, bello Punico primo, quum impenſis non ſufficeret res publica, imminutum fuiſſe aſſis

pondus, conſtitutumque ut ſextantario pondere ferirentur. Poſtea autem, vrgente bello Hannibalis, Q. Fabio Maximo Dictatore, factos fuiſſe vnciales.

396. Idem Iani barbatum & laureatum caput, cum aſſis nota. ROMA. Nauis prora, ad latus littera I. longior ac denſior per obliquum poſita, in prorae ſummo corolla & aquila legionaria.

Aſſem hunc, pariter vt praecedentem, inter Morelliana vrbis Romae numiſmata fruſtra quaeres. Mole equidem & magnitudine numus iſte ſuperatur ab antecedente, vnciam tamen ad ſtateram exactus paene vincit; apparet hinc circa bellum Punicum ſecundum eundem ſignatum eſſe. *Athenaeus* lib. XV. pag. 692. huius & praecedentis numiſmatis typum ita illuſtrat: *Ianum fama eſt bifrontem fuiſſe, altera facie poſteriori, anteriore altera: Ianum flumen, Ianumque montem ab eo fuiſſe nominatum, quod in eo monte habitauerit: coronas illum reperiiſſe, nauigia, rates: numum aereum ab illo primo ſignatum: qua de cauſſa ciuitates in Graecia multae, Italia, & Sicilia, monetam cudunt impreſſa bicipiti facie, & ex altera parte, vel rate, vel nauigio, vel corona.* Cel. Lipſienſium antiquarius, *Io. Georg.* WACHTERVS: Mutato, inter alia inquit, aeris antiqui pondere, ſignum quoque impreſſum mutari conueniebat. Itaque noui aſſes non amplius pecude ab vtraque parte, vt priores, ſed hinc capite *Iani bifrontis*, inde *nauigio* vel *rate* ſignabantur. Cauſſa ſigni, paullo poſt vir doct. addit, quae ab initio nemini ignota fuit, progreſſu temporis in obliuionem venit. Inde factum, vt multi hoc genus aeris ab ipſo Iano vel regni eius ſocio Saturno percuſſum crederent. Quamuis autem iam Auguſti aeuo dubitatum ſit, quae ratio mouerit maiores, bello Punico implicitos, cur has potius notas quam alias, aſſibus ſuis imprimerent, vt ex quaeſtione ea de re Iano ab *Ouidio* propoſita liquet,

Multa quidem didici, ſed cur naualis in aere
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

certum

certum tamen est, neminem tunc de nouitate signi dubitasse. Id quod etiam ex responso, quod ibi a deo datum Poëta simulat, manifestum est,

At bona posteritas puppim signauit in aere,
Hospitis aduentum testificata dei.

Forma naualis, nobilissimus idem antiquarius subiungit, quam in asse conspicimus, non est nauigium Saturni; sed insigne ipsius Romae. Et alio loco: Cum nauigium, ait, sit insigne ipsius Vrbis, conueniens erat, hac superficie capita conditorum Vrbis repraesentari; vid. cl. WACHTERI *archaeol. numar.* cap. X. §. XX. sqq.

397. INVICTA ROMA. Caput Romae galeatum.
Sine epigraphe. Aquila respiciens & alas pandens, subtus littera A. & ad latus numerus XL.

Sec. mod. numisma, quod cel. HAVERCAMPO eo tempore cusum esse videtur, quo Gothi Italiam possidebant. Talis enim, vir cl. inquit, vestitus Romae obseruatur in numulis illis, qui ab altera parte regum Gothorum nomina inscripta habent. Littera A. non annum regni Gothici in Italia significat, verum ad matrices est referenda; in aliis enim litteram Γ. in aliis E. obseruarunt eruditi. *Aquila* procul dubio Romanum denotat imperium; vid. *Carol.* PATINI *impp. Rom. numism.* pag. 2. conf. *thes. Morell.* tom. II. pag. 475.

398. Caput Mercurii cum petaso, desuper duo globuli.
ROMA. Prora nauis, in ipsa puppe, praeter duos nauigantes, claua Herculis cernitur; adsunt iidem globuli.

Hic numus fere vnciam appendit. *Claua*, Herculis cultum respicit. Aereum hunc & illum, quem mox subiungam, ab initio vnam vnciam & duas drachmas aequasse cel. WACHTERVS existimat; vid. *eiusd. archaeol. numar.* pag. 135. *Duo* illi *globuli* ponderis sunt indices.

399. ROMA. Picus Martius, ex cuius rostro cubicum quid dependet; post picum duo globuli cernuntur.

Lupa Romulum & Remum lactans, ſubtus ſimiliter duo globi ſunt.

Nobiliori aerugine conſpicuum numiſma, quod itidem paene octo drachmas vincit. Sagaciſſimus veteris aeris interpres, cl. *Eraſm.* FROELICHIVS, huic & praecedenti ſimillimos ex *muſeo Granelliano* aſſes protulit; vid. *eiuſd. animadverſ.* pag. 59. Vtriuſque paginae typus, & numiſmatis moles prohibent, vt haud cum cel. HAVERCAMPO in eandem ſententiam loqui poſſimus. Conſtantinopoli enim numum hunc ſignatum eſſe vir doct. credidit, & *globos* hoſce non ad notam aliquam ponderis referendos eſſe, ſed ad orbem orientem & occiduum, qui ſub Conſtantino Magno Romanae parebat aquilae atque Romuli poſteritati. *Figuram* illam *cubicam*, *quae* ex *auis roſtro dependet*, ſtellam eſſe idem vir celebris aſſerit, eamque de claritate eiuſdem imperii explicat, & ſimul typum Romae nouae, vt ſtellae prae caeteris lucentis, agnoſcit. Haec ſunt fere illa, quibus cel. HAVERC. hunc explicauit numum. Meam nunc coniecturam ſubiungam. In deſcriptione praecedentis numiſmatis, quod etiam duobus globis inſignitum eſt, ipſe vir ſummus, a quo diſſentire me profiteor, affirmat circulos aut globulos illos ponderis eſſe indicium; & hinc coniicio hos circellos in vtraque numi pagina conſpicuos hic itidem ponderis eſſe notas. Quoniamque, vt iam indicauimus, numi iſti magnitudine & mole conueniunt; colligimus hinc eodem fere tempore Romana haec ſignata eſſe numiſmata. Et quum numus praecedens antiquiore ſine dubio liberae rei publicae Romanae aeuo cuſus ſit; patet hunc quem explicamus, itidem antiquum veteris Romae numum eſſe, adeoque nequaquam demum ſub Conſtantino Magno ſignatum. Sunt itaque re vera globi illi ponderis & non duplicis Conſtantini imperii ſymbola. Aquilam praeterea in aduerſa numi parte expreſſam eſſe HAVERCAMPVS autumat; nos vero picum egregie effictum hic agnoſcimus. Stellam denique talem quatuor tantum radiis fulgurantem, quam ex viri clar. ſententia quadrangularis illa figura, quae ex pici roſtro pendet, adumbrat, nec in

numis

numis neque in aliis picturis vnquam obseruauimus. Omnia hinc, quae in hoc numismate occurrunt, symbola ad denotandam populi Romani originem expressa esse suspicamur. De Romulo & Remo fabula lippis & tonsoribus notissima est; ea igitur tantum exponam, quae h. l. obscuriora videntur. A pico & lupa, quae animalia Marti sacra erant, gemellos, qui in postica numi parte ex lupae vberibus pendent, nutritos esse fabulosa commemorat antiquitas. Hinc *picus*, ex cuius rostro alimenta ad sustentandos gemellos pendent, aduersam occupat; lupa vero, quae vbera admouet infantibus, auersam sibi vindicat; vide quae supra pag. 238. num. 333. in medium adduximus; conf. *Florus* BEGERI p. II. sqq.

400. Caput Iouis Capitolini laureatum, cum littera S. semissis nota.

ROMA. Nauis cum semissis nota.

Numisma, quod quinque drachmas quam proxime exaequat. Varii inueniuntur ponderis semisses, pro ratione imminutae monetae.

401. Caput Apollinis laureatum; pone litt. S.

ROMA. Prora nauis.

Hic numus itidem quinque drachmas nostrates paene appendit.

402. Caput Romae galeatum, cum stipis nota.

ROMA. Prora nauis, adsunt nauigantes, in imo stipis nota.

Firma aerugine conspicuum numisma, quod quatuor drachmas pondere assequitur. *Stips* passim per vnum globulum significari solet.

403. Idem fere affabre signatum numisma.

Praeter nauis proram, nauigantes, & stipis notam, auersa Herculis claua insignitur, mole ab antecedente superatur.

404. Idem optime conseruatus numus, qui infra tres drachmas subsistit.

405. Ca-

405. Caput Mercurii cum petaſo.

ROMA. Prora nauis, cum duobus nauigantibus.

Drachmam & dimidiam aereus iſte vincit..

406. Idem numus, qui paullo leuior eſt.

407. Idem numus, inſuper claua Herculis inſignitus.

408. Idem typus in minori pereleganti numulo.

ALTERA NVMORVM CONSVLARIVM SERIES.

A C I L I A.

409. Caput Apollinis laureatum, pone quod lyra cernitur.

MAN*ius* ACILIVS IIIVIR. VALETV*do*. Mulier ſtolata ſtans, d. ſerpentem ori admouens, ſ. columnae innititur.

Aſper, rariſſimus, cuius typum ſupra pag. 73. *contemplandum exhibuimus.* Ad anticam numi paginam quod adtinet, denarius iſte differt tum ab illo, quem ad eandem hanc gentem in priori conſularium numorum ſerie expoſuimus, tum ab omnibus adhuc vulgatis Aciliae gentis denariis; hinc merito perraris numum hunc adnumerandum eſſe coniicimus.

A E M I L I A.

410. ROMA. Caput Veneris laureatum, cum denarii nota.

MAN*io* AEMILIO LEP*ido* Litterae LEP. totidem fornicibus pontis includuntur, in quo erigitur ſtatua equeſtris.

Vberiorem ſupra pag. 78. denarii explicationem ſuppeditauimus.

A N T O N I A.

411. ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei* P*ublicae conſtituendae.* Nauis praetoria.

LEG*io* II. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Supra ad pag. 89. fuſius hunc & ſequentes Antoniae familiae denarios illuſtrauimus.

412. Idem

412. Idem aliquantum curtus.

413. Idem denarius, itidem paullulum detritus.

CAECILIA.

414. Caput Iouis Capitolini cum nota ſemiſſis.

METELLVS. ROMA. Prora nauis, cum nota ſemiſſis ad latus; deſuper capiti elephantino ſimile quid.

Aereum, aerugine conſpicuum, numiſma, a cel. HAVERCAMPO *haud obſeruatum.* Lucii Metelli procul dubio de Poenis victoriam *elephantinum caput* reſpicit. Quamuis Metelli iſtius praenomen antiquitas & aerugo penitus conſumſerint; typus tamen dubitare non ſinit, quin aut ad Caium, aut ad Quintum, aut denique ad Marcum Metellum, aereum iſtud numiſma pertineat, hi enim ex celeberrimi illius Lucii Metelli, qui de Poenis triumphaverat, proſapia ſuam ducebant originem.

415. *Lucius* METEL*lus. Aulus* ALB*inus Spurii Filius.* Caput iuuenile, inberbe, laureatum, ſubtus ſtella eſt.

Caius MALL*eolus.* ROMA. Figura muliebris tribus clypeis inſidens, dextra haſtam tenens, laeua parazonium, coronatur a Victoria a tergo adſtante.

Elegantioris fabricae denarius, cuius interpretatio ex iis, quae ſupra pag. 96. ſimili numo ſubiuncta ſunt, petenda eſt.

CALPVRNIA.

416. Caput Apollinis laureatum.

Lucius PISO FRVGI. Eques deſultor cum palma citato equo decurrens, deſuper temo nauis vel fuſcina, infra litt. O.

Haud magnopere numus iſte diſcrepat ab illo, quem ad pag. 100. num. 182. expoſuimus.

417. Idem Apollinis laureatum caput inter lauri folia.

In auerſa numi pagina pariter eques deſultor cum palma.

Neque hunc in *thesauro Morelliano* offendimus. *Folia* illa, quae aduersae typum cingunt, forte ad monetariorum notas pertinent, quoniamque Apollinis sunt symbolum; coniicimus hinc in Apollinis officina monetali numum signatum esse. De *Apollinis capite* & *desultore* supra pag. 100. sq. fusius actum est.

418. Caput Apollinis diadematum, pone quod numerus XXI.
Caius PISO *Lucii Filius* FRV*gi*. Eques victor cum palma.

Lucium Pisonem L. F. cum equitis desultorii effigie & in priori consularium numorum serie, & in ambobus praecedentibus vidimus; iam Caius antiquitatem & laudem eandem hoc in denario ostentat. Fuit enim & ipse Lucii filius, dicti Lucii frater. Vita breuior honores ampliores non indulsit, adspirauit tamen ad Bithyniae & Ponti quaesturam. Ciceronis filiam Tulliolam, quae postea Furio Crassipedi nupsit, vxorem habuit, atque ita socerum M. Tullium Ciceronem, a quo ob pietatem pluribus in locis commendatur, vt *epist. lib.* XIII. 31. & *ad Attic.* 3. in *Bruto* cap. XXXVIII. *Orat. in Vatin.* XI. *Post red. ad Quirit.* III. & *post red. in senatu* XV. hisce verbis: *Alter fuit propugnator meorum fortunarum, & defensor assiduus, summa virtute, & pietate, C. Piso, gener: qui minas inimicorum meorum: qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis: qui pontum & Bithyniam quaestor pro mea salute neglexit*; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 64.

CASSIA.

419. Caput Vestae velatum, pone lampas, ante numerus CII.
LONGIN*us* III V*ir*. Senator togatus d. tabellam tenet, adstat coram cista, cui tabella iniicienda est.

Similem Cassiae gentis denarium iam supra pag. 106. num. 189. exhibuimus, ibique fusius de istius numi typis egimus.

CLAVDIA.

420. Caput Romae solita galea ornatum.
A*p*P*ius* CL*audius* T*itus* MANL*ius* Q*uaestores* VR*bani*. Trigae.

Aereus,

Aereus, qui subaeratus fuit, argenteam vero lamellam penitus consumsit antiquitas. Numus iste, vti supra ad num. 197. monuimus, proxime ad VAILLANTII delineationem accedit.

CORDIA.

421. RVFVS *senatus consulto* Caput Veneris, cum inauribus.
MAN*ius* CORDIVS. Cupido delphino inequitat.

Simillimum Cordiae gentis numum in priori consularium numorum serie pag. 125. num. 209. illustratum dedimus.

CORNELIA.

422. Martis galeatum caput, hasta ad humeros eminente.
CN*eius* LENTVL*us*. Victoria in citis bigis.

Quae hoc loco dicenda essent, ea iam pag. 128. num. 212. dicta sunt.

423. *Genius Populi Romani.* Caput Genii populi Romani diademate cinctum; retro illud sceptrum est.
CN*eus* LEN*tulus* Q*uaestor*. EX *senatus* C*onsulto*. Sceptrum cum corona laurea, globus & temo.

Eleganter signatus iste argenteus paullulum differt ab illo, cui supra pag. 129. nobilissimorum antiquariorum scholia adiunximus.

424. Caput Iouis Capitolini laureatum.
L*ucius* SCIP*io* ASIAG*enes*. Iupiter in citis quadrigis, d. tenens fulmen, l. sceptrum & habenas, in area litt. B.

Curtus. Lucius Cornelius Scipio Asiagenes Publii Scipionis Africani maior natu frater fuit. Sicut vero hic ex Africa deuicta Africani nomen adsciuit; ita frater Lucius, deuicto Antiocho, & pacata Asia, Asiagenis nomen recepit. Videntur vero, HAVERCAMPVS addit, cusi hi denarii ad stipendium & donatiuum militum, quum ad triumphum Romam proficisceretur; triumphauit vero A. V. C. IↃLIIII. Quodsi C. pro G. poneretur, & constanter exstaret in omnibus ASIA. G. vel ASIA. C. ASIA *Capta* legi

gi posse videretur, nam *Eutropius* IIII. 5. dicit *Asiam vicisse. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphauit: nomen & ipse, ad imitationem fratris, Asiagenis accepit, quia Asiam vicerat: sicut frater ipsius, propter Africam domitam, Africanus appellabatur.* Asiam ab eodem deuictam *Plinius* lib. XXXIII. cap. 12. memoriae prodidit: *Asia primum deuicta luxuriam misit in Italiam; siquidem L. Scipio transtulit in triumpho;* caet. Vbi quoniam paullo post sequitur: *Eadem Asia donata multo etiam grauius adflixit mores, inutiliorque victoria illa hereditas Attalo rege mortuo fuit.* ASIAM inde GEMINAM in hoc denario HARDVINVS agnoscit. Instituti ratio non patitur h. l. percensere singula, quibus nobilissimus e Iesuitarum gente hanc adstruere conatur opinionem. Et quamuis tota viri clar. huic denario iuncta interpretatio haud vllius momenti sit, vt pridem doctiss. HAVERCAMPVS fusius docuit; id tamen monere lubet HARDVINVM in huius numi explanatione non ad singulas litteras confugisse, vt more suo integras inde voces atque inauditas fabulas formet. *Iouis Capitolini effigies* Iouem Romae tutelarem fuisse deum denotat; posterior numi pagina *quadrigatorum* typum exhibet; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 130. sq. VAILL. *fam. Rom.* tom. I. pag. 312. sq.

425. P*ublius* SCIPIO AFRI*canus*. Caput Scipionis Africani nudum.

CART*hagine* SVBAC*ta*. Scipio in quadrigis triumphalibus.

Integerrimus, in thesauro Morelliano non obuius. Tab V. num. X. numi imaginem, sollertis chalcographi manu, quam accuratissime fieri potuit, expressam, contemplandam sistit. Insignem huius denarii typum prolixe satis scriptores illustrant. *Eutropius* lib. III. cap. V. *Tertium deinde bellum*, inquit, *contra Carthaginem suscipitur sexcentesimo & altero anno ab vrbe condita: L. Manlio Censorino, & M. Manilio coss. anno* LI, *postquam secundum Punicum bellum transactum erat. - - - - - Cum igitur clarum Scipionis nomen esset,*

esset, iuuenis adhuc consul est factus, & contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inuenta, quae variarum ciuitatum excidiis Carthago collegerat: & ornamenta vrbium ciuitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod auus eius acceperat, meruit, scilicet vt propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur. Adde *Florum* lib. II. cap. XV. *edit. Beger.* pag. 352. sqq.

426. *Lucius* MANLI*us* PRO*Quaestor*. Caput Romae galeatum.
Lucius SVLLA IMP*erator*. L Sulla in quadrigis triumphalibus stans, d. tenet caduceum, l. equorum habenas; Victoria de caelo aduolans corollam ipsi porrigit.

Cornelii Sullae dictatoris de Asia & rege Mithridate triumphum postica numi pagina exhibet; vide, quae pag. 134. ad num. 218. prolata sunt.

CREPVSIA.

427. Caput Veiouis laureatum, pone quod sceptrum cernitur.
Publius CREPVSI*us*. Eques dextra vibrat iaculum.

Quae supra pag. 138. num. 222. simili Crepusiae gentis numo subiuncta sunt, ea & huius denarii interpretationem constituunt.

DOMITIA.

428. ROMA. Caput Romae galeatum, cum denarii nota.
CN*eus* DOMITI*us*. Iupiter in lentis quadrigis, d. ramum tenet, l. fulmen & equorum habenas.

Similem Domitiae gentis denarium iam pag. 142. num. 227. succincte exposuimus.

FABIA.

429. LABEO. ROMA. Caput Romae galeatum, cum denarij nota.
Quintus FABI*us*. Iupiter in quadrigis, d. fulmen tenens, l. sceptrum & equorum habenas, sub equis nauis prora.

Prolixiorem denarii explicationem ſupra ad pag. 145. ſimili numo iunximus.

430. Caput muliebre turritum & velatum, pone quod litt. I. *caius* FABI*us* C*aii* F*ilius*. Victoria in citis bigis, ſub anterioribus equorum pedibus ſtruthiocamelus cernitur.

Integerrimus. Inſignis iſte denarius paullulum differt ab illo, quem pag. 148. num. 233. exhibet.

FVNDANIA.

431. Caput Iouis Capitolini laureatum.
C*aius* FVNDA*nius*, Q*uaeſtor*. Victoria coronans tropaeum, in cuius imo eſt lituus militaris & captiuus ingeniculatus reuinctis poſt tergum manibus.

Quinarius, paullulum detritus. Fundania gens plebeia fuit. Eruditi conſentiunt pertinere hunc quinarium ad Caium Fundanium ſocerum M. Varronis; qui videtur quaeſtor fuiſſe P. Cornelii Scipionis Africani in bello Numantino, & prorogata quaeſtura A. V. C. IↃCXXI. quo Numantia capta & diruta a Scipione fuit, victoriatos hoſce quinarios cudiſſe. In iis *tropaeum* de Numantinis adumbratur, quod Scipio in vrbis loco erexerat, ad cuius pedes *Numantinus, manibus poſt terga reuinctis*, cernitur; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag. 188. VAILL. tom. I. pag. 468. *Fulu.* VRSINVS *edit. Patin.* pag. 116.

FVRIA.

432. M*arci* FOVRI*i* L*ucii* F*ilii*. Iani caput biceps & barbatum.
PHILI. ROMA. Roma galeata & ſtolata ſtans, l. haſtam tranſuerſam gerit, d. coronat tropaeum, in cuius imo duo ſunt clypei, totidemque litui militares.

Perſpicuam denarii explicationem ſupra num. 248. ſubiunximus.

HERENNIA.

433. PIETAS. Caput deae Pietatis.

marcus

Marcus HERENN*ius.* Iuuenis Catanenſis nudus patrem magna feſtinatione humeris ferens.

Similem paene Herenniae gentis denarium priori conſularium numorum ordini inſeruimus; vid. pag. 169. num 253. conf. OVZELII *theſ. antiqu. numiſm.* pag. 407. *Io.* WIEDNERI *pietas ex numis antiqu.* pag. 70.

HOSIDIA.

434. GETA. IIIVIR. Caput Dianae cum pharetra & arcu.

caius HOSIDI*us caii Filius.* Aper telo transfixus, quem canis venaticus lacerat.

Aſper. Celebratas Auguſti natalibus venationes numi typus reſpicit; vide, quae ad num. 254. pag. 170. prolata ſunt.

IVLIA.

435. Caput Romae alata galea decorum, pone ſpica.

Lucius IVLI*us.* Victoria in citis bigis.

Eleganter ſignatus. In priori conſularium numorum ordine ſimilis bigatus primum in gente Iulia locum occupat; vid. pag. 173. num. 257.

436. Caput deae Veneris.

CAESAR. Aeneas gradiens humeris ſenem Anchiſen geſtat, dextra Palladium praefert.

Quibus ſupra pag. 175. ſq. ſimilem Iuliae gentis numum illuſtrauimus, ea huius quoque denarii explicationem conſtituunt; conf. *Io.* WIEDNERI *pietas ex numis antiquioribus* pag. 68. ſqq.

437. Caput Veneris Reginae, pone quod ſceptrum, ante faciem lituus, & Cupidinis imago ad pectus deae exſurgentis & circa collum eiuſdem ludentis.

CAESAR. Tropaeum, in cuius imo Gallia, habitu mulieris lugentis, & Germania, habitu viri barbari, nudi & ad tropaeum reſpicientis.

Subaeratus, elegantioris fabricae denarius. Lituus ad augura-

tum

tum Caesaris spectat, caeterum numi huius explicatio eadem est, quae pag. 177. num. 261. quinti Iuliae gentis denarii.

438. CAESAR. Elephas draconem calcans.
Caesaris signa pontificalia.

In memoriam victi Scipionis & Iubae numum hunc signatum esse supra pag. 178. ad num. 262. audiuimus.

439. Dei Triumphi caput alatum, pone tridens & globus.
Lucius IVLI*us* BVRSIO. Victoria in citis quadrigis, d. corollam praetendens, l. equorum tenet habenas.

Vide, quae ad pag. 181. num. 268. relata sunt. Ibi enim similem Iuliae gentis numum in scenam produximus.

IVNIA.

440. Roma galeata, cum littera X. solito denarii signo.
Caius IVNI*us* *Caii* *Filius*. ROMA. Dioscuri hastati in equis.

Ad Iunios Libones esse referendum hunc denarium patet ex simili, quem GORLAEVS vulgauit, qui vocem LIBO exhibet, quique caeterum huic simillimus est. Vetustioribus haud dubie rei publicae Romanae temporibus, vt quaestor vrbanus, hosce signauit denarios; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 221. sq.

441. Caput Romae galea alata ornatum, retro illud litt. Q.
Decimus SILANVS *Lucii* *Filius*. ROMA. Victoria in citis bigis; desuper est numerus IIII.

Priori consularium numorum ordini similem Iuniae gentis numum adiecimus; vid. pag. 187. num. 273.

442. Idem, in cuius aduersa litt. P. in auersa autem num. V.
Subaeratus. Notae numerales, quarum vsus obscurus est, ad officinas seu res monetales pertinuisse videntur.

LICINIA.

443. Caput Veiouis, fulmen trisulcum vibrantis, cum humeris.

Caius

caius LICINIVS *Lucii Filius* MACER. Pallas in citis quadrigis, d. haſtam vibrat, l. habenas & parmam tenet.

Subaeratus, aut potius aereus, argenteam enim lamellam amiſit. Similem argenteum alteri conſularium numorum ordini aſſignauimus; vid. pag. 194. num. 282.

L V R I A.

444. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTE*ſtate*. Caput Auguſti nudum.

Publius LVRIVS AGRIPPA IIIVIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

Simile Luriae gentis numiſma ad pag. 198. num. 288. iam exhibuimus.

L V T A T I A.

445. CERCO. ROMA. Caput Romae galeatum, galeam palmae ramus inter duas ſtellas exornat.

Quintus LVTATI*us* *Quaeſtor*. Triremis praetoria, quam in puppi acroſtolium, in prora caput Romae Victricis galeatum, tanquam tutela nauis, exornat; typum corona quernea ambit.

Affabre ſignatus denarius, de cuius typis ad pag. 198. num. 289. actum eſt.

M A N L I A.

446. *Lucius* MANLI*us* PRO *Quaeſtor*. Caput Romae galeatum.

Lucius SVLLA IMP*erator*. Dictator Lucius Sulla in quadrigis triumphalibus ſtans, d. caduceum, l. equorum habenas tenet; Victoria aduolans corollam ipſi porrigit.

Singularis eſt in auerſa quadrigarum typus, caeterum denarius apprime conuenit cum illo, quem alteri conſularium numorum ordini aſſignauimus; vid. pag. 201. num. 293.

447. Caput Romae galea alata decorum.

APpius CLaudius Titus MANLius Quaestores VRbani. Trigae aurigante Victoria.

Subaeratus. Ad pag. 201. num. 294. similem reposuimus; conf. *Florus* BEGERI pag. 297.

M A R C I A.

448. LIBO. Caput Romae galeatum, cum litt. X. denarii nota.
QVintus MARCius. ROMA. Dioscuri hastati in equis.

Ad antiquiora rei publicae tempora simplex denarii typus spectat; vid. pag. 208. num. 300.

M E M M I A.

449. ROMA. Caput Saturni laureatum, pone quod falx.
Lucius MEMMIus GAL. Iuno Moneta in lentis bigis, dextra sceptrum, vtraque habenas tenet; Victoria per aera aduolat cum corolla.

Serratus. De Saturno aerarii praeside, Iunone Moneta, & de L. Memmio Galbio iam egimus; vid. pag. 212. num. 304.

M I N V C I A.

450. Roma galeata, in casside lauri ramus cernitur.
QVintus THERMus Marci Filius. Duo viri dimicantes, gladiis & clypeis instructi, tertius, tanquam saucius, in genua inter vtrumque prolapsus est.

Similem Minuciae gentis denarium ex SCHVLZIANIS loculis priori consularium numorum ordini inseruimus; vid. p. 215. num. 307.

N A E V I A.

451. *Senatus Consulto.* Caput Veneris eleganter comtum.
Caius NAEuius BALBus. Victoria in trigis.

Serratus. Quis Balbus iste fuerit, quoque tempore denarium hunc signauerit, valde incertum est; vide, quae ad pag. 218. num. 311. prolata sunt.

NOR-

NORBANA.

452. *caius* NORBANVS. Caput Veneris cum nota num. XXXV.
Fasces cum securibus inter spicam & caduceum.

Subaeratus, *asperrimus*. Caii Norbani praefecti vrbi memoriam denarius celebrat; vid. pag. 221. num 315.

PAPIA.

453. Caput Iunonis Sispitae, caprina pelle tectum, pone quod diota cernitur; numum ambit corolla.
Lucius PAPI*us*. Gryphus cum impetu latus; sub illo similis diota.

Serratus, *integerrimus*. Eruditorum diuersae de posticae paginae typo sententiae supra ad pag. 224. num. 318. huic libello insertae sunt. Alia superiori Papiae gentis numo matricis nota impressa est. Quamuis ista monetariorum signa prorsus nihil ad historiam faciant; tamen operose a cl. MORELLIO aliisque depicta sunt; antiquiores enim multarum rerum figuras continent.

PLOTIA.

454. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Caesaris Octauiani nudum.
C*aius* PLOTIVS RVFVS IIIVIR A*uro* A*rgente* A*ere* F*lando* F*eriundo*. In area numi est nota senatusconsulti.

Aereum sec. mod. numisma. Nobilissimorum antiquariorum scholiis illustratum similem Plotiae familiae numum supra exhibuimus; vid. pag. 232. num. 328.

POBLICIA.

455. *Lucius* METEL*lus*. A*ulus* ALB*inus* S*purii* F*ilius*. Caput Apollinis laureatum.
C*aius* MALL*eolus*. ROMA. Roma tribus clypeis insidens, dextra tenens hastam, laeua parazonium, coronatur a Victoria post tergum adstante.

Asper. Simili Publiciae familiae denario, quem antea pag. 232.

 num.

num. 329. vidimus, prolixiorem typi huius interpretationem adiunximus.

PORCIA.

456. *Marcus* CATO PRO PR*aetore*. Caput Bacchi.

VICTRIX. Victoria ſedens, d. tenet pateram, l. palmam.

Quinarius. Videantur ea, quae ad pag. 242. num. 337. relata ſunt.

POSTVMIA.

457. *Aulus* ALB*inus* *spurii* F*ilius*. *Lucius* METEL*lus*. Caput Apollinis laureatum.

C*aius* MALL*eolus*. ROMA. Roma clypeis inſidens, d. haſtam tenet, l. parazonium; illam Victoria coronat.

Huc ſpectant ea, quae ſupra pag. 247. num. 341. annexa ſunt.

458. HISPAN*ia*. Caput Hiſpaniae velatum, fluxis capillis.

Aulus POST*umius* *Auli* F*ilius* *spurii* N*epos* ALBIN*us*. Vir togatus ſtans, dextram adtollit verſus aquilam legionariam, poſt virum ſtantem faſces eriguntur.

Serratus. Similem priori conſularium numorum ordini adnumerauimus; vid. pag. 250. num. 344.

RVBRIA.

459. DOSSEN*us*. Caput Iouis laureatum, cum ſceptro.

Lucius RVBRIVS. Thenſa a quatuor equis tracta, quam fulmen Iouis thenſam eſſe deſignat; quae in ſumma parte volat Victoria, Caeſaris res geſtas reſpicit.

Prolixiorem ſimillimi Rubriae gentis denarii interpretationem iam exhibuimus; vid. pag. 254. num. 349.

SALVIA.

460. CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTE*ſtate*. Caput Auguſti nudum.

M*arcus* SALVIVS OTHO IIIVIR A. A. A. F. F. in area S. C.

Aereum ſec. mod. numiſma, de quo ad pag. 257. num. 351. fuſius actum eſt.

SCRI-

SCRIBONIA.

461. BONVS EVENTVS. LIBO. Caput Boni Euentus.
PVTEAL SCRIBONII. Ara, ad quam adpenditur corolla cum duabus lyris, in imo cernitur malleolus.

Inauratus, asper. Vide, quae ad pag. 261. num. 356. prolata sunt.

THORIA.

462. IVNO SISPITA MAGNA REGINA. Caput Iunonis Sispitae.
LVCIVS THORIVS BALBVS. Taurus subsiliens; desuper est alphabetica littera R.

Optime conseruatus, rudioris fabricae denarius. Iuno Lanuuina Lanuuinam Thorii Balbi indicat originem; *thaurus* Thorii agrariam legem respicit; vid. pag. 276. num. 368.

TITIA.

463. Caput deae Liberae hedera ornatum.
QVINTVS TITIVS. Pegasus in basi.

Dea Libera saepe cum Libero sociari solet, nulla itaque alia ratione in hoc denario ponitur, nisi propter Bacchum; vid. pag. 277. num. 369.

TITVRIA.

464. SABINVS. ARGENTO PVBLICO vel AVCTORITATE PVBLICA. Caput regis Tatii Sabini nudum; ante illud palmae ramus est.
LVCIVS TITVRIVS Virgo Tarpeia a Sabinis scutis obruta; desuper stella in luna falcata cernitur.

Optime conseruatus. Litterae A. PV. & auctoritate publica monetam hanc signatam fuisse innuere possunt, & argento publico, siue manubiali, vltimum hoc HAVERCAMPO arridet; nam, quum in tot denariis, vir cel. inquit, nusquam Romae adpareat inscriptio, omnes illi in prouincia cusi videntur, sub legato, cuius quaestor fuerit ille Lucius Titurius Sabinus. *Palmae ramus* vel ad ipsius Tatii Sabini regis victoriam, proditione Tarpeiae virginis adquisitam spectat, vel potius legati eius, cuius quaestor fuit iste Titurius; conf. pag. 279. num. 370.

465. Idem denarius, admodum curtus.

466. TAtius SABINus. Caput idem regis Tatii Sabini.
Lucius TITVRIus. Sabinarum raptus.

Elegans. Simili typo insignitus subaeratus Tituriae gentis denarius priori ordini insertus est; vid. pag. 280. num. 371.

467. SABINus. Caput regis Tatii Sabini barbatum.
Lucius TITVRIus. Victoria in citis bigis, d. coronam praeferens, l. tenens equorum habenas.

In omnibus suis denariis Lucius Titurius cognomen suum ad caput regis Tatii Sabini posuit, ita adludens ad eiusdem regis adpellationem. Victoria haec procul dubio obtenta fuit ab illo legato, vel duce, cuius quaestor L. Titurius Sabinus exstitit. Ex altera parte, VAILL. inquit, *bigatus* est, sic a *Victoria in bigis* dictus, & quum *coronam* flagri loco gerit, victoriam aliquam denotari credimus, sed praetoris, sub quo quaestor erat Titurius, nomen ignoratur, & quid ille insigne gesserit, reconditum manet; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 420. VAILL. *fam. Rom.* tom. II. pag. 479.

VALERIA.

468. Victoriae bustum, cum humeris alatis; pone litt. A.
Caius VALerius FLACcus IMPERATOr. EX Senatus Consulto. Aquila legionaria inter duo signa militaria, quae inscriptas habent litteras H. & P. i. e. Hastati & Principes.

Asperrimus, longe elegantissimus. Similem Valeriae gentis denarium etiam superiori consularium numorum ordini assignauimus; vid. pag. 283. num. 374.

VIBIA.

469. PANSA. Caput Apollinis, aut potius Veiouis, siue Iouis Anxurius laureatum & longa coma conspicuum.
Caius VIBIVS Caii Filius. Minerua in citis quadrigis, d. tropaeum gerens, l. hastam & equorum habenas.

Cel. HAVERCAMPVS in antica numi pagina Apollinis caput exprimi

primi credidit: nos vero Veiouis effigiem hoc typo denotari existimamus. Haec enim imago propius ad illum typum accedit, quem supra pag. 194. num. 282. in Liciniae gentis numo vidimus, quemque ipse vir cel. ibi Veioui tribuit; quam ad illam Apollinis effigiem, quam ille Vibiae gentis denarius exhibet, cui pag. 291. num. 382. obtigit, quique, aduersam quod adtinet, huic similis est; vid. *thes. Morell.* tom. II. pag. 443. conf. VAILL. tom. II. pag. 538.

470. Idem, paullulum curtus.

471. PANSA. Sileni persona scenica.

C*aius* VIBIVS *Caii Filius Caii Nepos.* IOVIS AXVR*is*. Statua Iouis Anxuris, sedentis, corpore seminudo, capite radiato, d. pateram tenet, s. hastam.

Asper. Typi explicationem ad pag. 291. num. 383. simili numo subiunximus.

472. Caput Iani bifrontis laureatum, cum assis nota.

Caius VIBI*us* PAN*sa*. Tres nauium prorae.

Aereum sec. mod. numisma, quod 165. monades pendet. Ad C. Vibium C. F. Pansam pertinet hic numus. Is C. Caesaris & Ciceronis familiarissimus fuit, & gener Q. Fufii Caleni, vti liquet ex *Philipp* X. Quaesturam vrbanam gessit A. V. C. IↃCLXXXXVII. quo nihil mirum, vt Caesari addictus, si tot numos pro impensis classis, qua hic Venetos nauali praelio deuictos subegit, cuderit. *Tres* autem *naues* in auersa numi parte ad classis vsum asses hos signatos esse manifeste denotant. Haec VALENTIS est sententia. Cel. HAVERCAMPO vetustiores hi numi videntur, quam vt ad Iulii Caesaris tempora referri possint; vid. VAILL. tom. II. pag. 537. HAVERC. in *comment. ad thes. Morell.* pag. 446.

VIPSANIA.

473. M*arcus* AGRIPPA L*ucii* F*ilius* CO*nsul* III. Caput Agrippae corona rostrata insigne.

Senatus Consulto. Neptunus cum strophio, dextra tenens delphinum, laeua tridentem.

Aereus

Aereus sec. mod. numus, ad p. 294. num. 386. fusius illustratus.

INCERTAR. FAMILIAR. NVMI.

474. Caput Veiouis laureatum, subtus fulmen.
Iupiter in citis quadrigis, d. fulmen tenet, l. habenas.

Cel. HAVERCAMPVS Sentiae familiae numum hunc assignat.

475. SALVS. Caput deae Salutis laureatum.
ROMA VICTRIX. Roma Victrix galeata, habitu militari, laeua hastae innititur, dextram extendit, dextroque pede globum premit.

Haud vulgatus, hinc rarus. Perinsignis iste denarius aut bellum sociale siue Italicum respicit, aut potius ad Galbae tempora spectat. Numus enim Galbae Caesaris apud OISELIVM p. 126. eundem in auersa typum exhibet, eandemque inscriptionem, ab altera parte imperatoris effigiem sistens. Magna autem numorum copia sub Galba cusa fuit, qui ab altera parte non habent caput Augusti, sed aliud quid; vid. cel. *Laur.* BEGERI *thes. Brand.* tom. II. pag. 626. *eiusdem Florus* pag. 120.

476. Caput muliebre eleganter ornatum, cum inauri.
Victoria in citis quadrigis, d. tenet corollam, l. habenas.

477. Caput nudum, vt videtur, Caesaris Octauiani.
Caput item nudum, forte Antonii.

Aereus tert. mod. numus, rubigine exesa prorsus inscriptio est.

478. Caput muliebre, ni fallor Veneris.
ROMA. Figura celeres bigas agens.

Rudioris & procul dubio recentioris *fabricae* denarius.

NVMI BARBARI.

479. Caput Romae galea alata ornatum.
IVNIIA. Figura in bigis, sub equis duo serpentes.

Minerua admodum rudi signatus. Cel. *Andr.* MORELLIVS in *epist.*

ad

ad doctiſſ. PERIZONIVM haec de numis barbaris ſcribit: Pergo ad numos, qui a Barbaris ſiue auctoritate publica, ſiue a falſariis cuſi ſunt: horum quidam tam miſere effícti ſunt, vt vix littera legi poſſit; in aliis litterae retrogradae ſunt, & figurae tam inconditae, malaque imitatione expreſſae, vt vix dignoſcantur. Nam barbarae gentes, Graecorum & Romanorum velut ſimiae, numos illorum imitati ſunt, cuius inſigne exemplum occurrit inter ſelecta numiſmata ditiſſimi theſauri Wildiani tab. XI. Hic numus ab vna parte ad imitationem numi Fufiae & Muciae gentium percuſſus oſtendit capita Honoris & Virtutis, & in auerſa parte equitem, ſolitum Gothorum in Hiſpania ſymbolum monetale, cum hac inſcriptione: BIATE: quapropter R. P. HARDVINVS hunc numum ad Peloponneſum retulit, & eundem in BIA, Meſſeniae amni, abluere conatus eſt; ſed rectius peritiſſimus ac doctiſſimus BEGERVS in BIATIA, Hiſpaniae vrbe, cuſum fuiſſe docuit. Quamuis autem omnes hi numi inter Conſulares vix mereantur ſculpturam, nihilominus tamen quam plurimi in futuro prodibunt opere, ſaltem vt imperitioribus innoteſcant, & quid de iis ſentiendum ſit, diſcant. Haec MORELLIVS. Hic denarius tam barbaros habuit monetarios, vt vix habeat, quo referri poſſit; neque longiorem mereatur diſquiſitionem.

480. Caput, cui inſcriptae ſunt litterae barbarae, illis ſimiles, quae apud BEGERVM Iubae capiti adſcribuntur.

Quadrigae, quibus itidem barbarae ſubſcriptae ſunt litterae.

Peſſime ſignatus. Quum hi ſint barbari, neque adhuc conſtet de alphabeto Hiſpanico, quamuis Runicae multae, ſiue antiquorum Danorum Gothorumque litterae, admixtae videantur; hinc prorſus nihil certi de iſtis incondite effictis monumentis referre poſſumus; vid. *theſ. Morell.* tom. II. pag 474.

481. Caput deae, vt videtur, Veſtae, velatum; pone quod

tres flammulae, ad denotandam forte Veſtalium ignis perpetui curam.

Taurus ſaliens, deſuper corona, infra vero litterae barbarae.

Aureum ſec. mod. numiſma. Facile apparet auerſam numiſmatis paginam ex Thorii Balbi denariis deſumtam fuiſſe; vid. pag. 276. num. 368.





Gründler. fec.



TAB. IIII.

I. p.132

II. p.142

III. p.143

IIII. p.163 210

V. p.184

VI. p.188 227

VII. p.192

VIII. p.202

VIIII. p.209

X. p.219 238

Gr.

I. PRÆF · CLAS·ET·ORÆ · MRIT·EX·S·C · p.234.

II. Q·POM·RUF·F · RUFUS·COS · SULLA·COS · 131 · p.236.

III. ROMA · p.238.

IIII. ROMA · A·ALBINUS·S·F · p.245.

V. HISPAN · ALBIN · POSTA·F · p.250.

VI. FLORAL·PRIMUS · C·SERVEILI · C·F · p.269.

VII. C·SULPICI·C·F · p.272.

VIII. CAESAR · AUGUSTUS · AGRIPPA · M·PLATORINUS·IIIVIR · 213 · p.292.

VIIII. Q·VOCONIUS · S C · VITULUS·Q· · DESIGN · 179 · p.295.

X. P·SCIPIO · AFRI · CART · SUBAC · p.308.

Gr.





IO. CAROLVS ACOLVTHVS. *)



Nunquam forsitan eo audaciae processissem, vt ignotus ego, litteris his te alloqui ausus fuissem, nisi eruditissima tua scripta mihi occasionem subministrassent. Liceat igitur tibi meum paucis exponere desiderium. Ante aliquot iam annos, cum volumen primum *actorum physico-medicorum Academiae naturae curiosorum* perlustrarem, in *obseruationem* CCXXII. incidi, quam *de efficacia aethiopis mineralis* docto tuo conscripsisti calamo. Ex adiecto scholio didici, te plures de efficacia huius remedii obseruationes candidato cuidam medicinae tradidisse, qui eas in *dissertatione inaugurali de aethiope minerali* publicae luci exposuerit. Cum nomen huius candidati reticueris, omnem meam spem hanc consequendi dissertationem vidi collapsam. Tandem autem cl. SCHROMMIVM illum fuisse candidatum, qui suasu tuo anno cIↃIↃCCXXV. Altorfii celebrem illam dissertationem defenderit, ex *praelectionibus tuis ad dispensatorium Brandenburgicum* summa cum voluptate intellexi. Mox per amicos quosdam & bibliopolas repetitis vicibus omnem adhibui diligentiam, vt praeclara illa dissertatio mihi vel Lipsiae vel Vitembergae coemeretur. Sed labor omnis fuit frustraneus, quum nemo illam ibi locorum viderit vnquam. Nunc vero, cum, qui tibi, vir excellentissime, has tradet litteras, iuuenis pereximius, NEVMANNVS, theologi nostratis filius, iter Halam institueret, temperare mihi non poteram, quin his, quas vides, litteris te compellarem. Haud igitur in malam interpretaberis partem, quod desiderium meum, tuas perlegendi doctissimas de aethiope minerali obseruationes, quo per plures iam annos flagraui, diutius supprimere 1.

*) *Vratislauiae med. doct. & Academiae naturae curiosorum collega.*

non potuerim; verum te, nimis forte audacter, precibus adire ausus sim, vt me, cui dissertationis laudatae copiam faceres, non dedignari velis. Dabis igitur precibus meis locum, & MEVSELIO, theologiae cultori, unicum, quod tibi forsitan supererit, exemplum describendum communicabis. Hoc a tua humanitate a multis mihi collaudata me impetraturum esse beneuolentiae pignus nullus dubito, pro quo me ad omnia officiorum genera tibi praestanda senties promtissimum. Vale. *Zittauiae* III. *id. Mai.* cIɔIɔccxxxx.

IOANNES ALBRICHIVS. *)

2. Litterae & dissertationes medicae, a te genero nostro de DRAVTH benigne transmissae, d. VIIII. Febr. a. c. tandem nobis traditae sunt, quum iam tuus quondam discipulus, noster autem cognatus dulcissimus, maximo familiae moerore fatali morte vitae suae pensum non ita pridem absoluerat. Die XVI. Septembr. anni praeterlapsi a nouiter in aedibus suis exstructo & absoluto fornice (qui vero murariorum incuria subito uno impetu totus rursus decidit) lateribus & caementis obrutus ac misere suffocatus diem sum obiit supremum. Tam fatali casu pie defunctus b. de DRAVTH vitam cum morte commutauit. Mearum itaque partium esse existimaui, familiae suae nomine, tibi, vir celeberrime, tanquam sincero eius patrono & praeceptori quondam fidelissimo, pro singulari illa amicitia & beneuolentia, qua eundem toties cumulasti, maximas rependere gratias: in primis quod ex tuo fauore & beneuola commendatione, quam plurimum apud eruditos valere nouimus, in *Academiae naturae curiosorum societatem* gratiose *susceptus sit.* Non dubito ipsum muneri isti honorifico satis fecisse, nisi praematura morte e viuis ereptus Σπάρταν hanc deposuisset. Quo itaque honore ipsi non licuit frui, eundem mihi in sui nominis recordationem ac memoriam sine omni ta-

*) *Coronae in Transsiluania med. doctor, vrbis patriae senator, Academiae naturae curiosorum collega.*

tamen oſtentatione vel arrogantia ſubmiſſe expeto. Quapropter has *obſeruationes de peſte Barcenſi in Tranſſiluania* anno cIɔIɔcc. XVIII. & XVIIII. praeſertim Coronae ſaeuiter graſſata, non quidem erudite & eleganti ſtilo a me elaboratas, veruntamen ſincere & diligenter annotatas tecum communicare ſuſtineo. His ex tenui mea penu *mineram* hanc *auri* adiicio, ex aurifodinis Treſtienſibus in Tranſſiluania erutam (de quibus mineris legi meretur illuſtr. *Samuelis* KOELOSERI *de* KERES-EER *auraria Romano-Dacica*) item *numiſma* hocce *aureum* & reliquos *numulos argenteos* XX. *& aereos duos*, quot ſcilicet colligere potui. Tandem tibi & *terram* quandam *bolorem*, *ſandaraca Graecorum ſcatentem*, propenſè offero. Opto, ut leuidenſe iſtud munuſculum gratum tibi ſit. Terra illa, ſiue bolus, vel potius ſandaraca ex Perſia in magdaleonibus ſub nomine *Tentzug* (nobis *Pens*) per *kalugeros* ſiue monachos Valachicos & Armenios in Valachiam apportari ſolet, & ob odorem penetrantem, effectum ſternutatorium vehementem & ſpecificum in *quartana* interne ad gr. II. vel III. exhibetur; externe vero terra iſta in *pleuritide* panno vel linteo ſpir. vin. camph. madido ſub pulueris forma aſperſa & loco delorifico appoſita apud Valachos praeprimis a magnatibus magni aeſtimatur, praeſtantioribusque arcanis illorum iſta adnumerantur. Venerandum ſenem, Germaniae Hippocratem, illuſtr. *Fridericum* HOFFMANNVM, praeceptorem meum ante hos XXX. annos fideliſſimum, meo nomine ſalutare velis, vehementer rogito. Vale. *Coronae* d. VIIII. *kalend. Mart.* cIɔIɔCCXXXX.

Quod nuperrime in Academiae imperialis Leopoldino-Caroli- 3.
nae naturae curioſorum ſinum receptus & in ſodalem poſt beate defuncti generi fata ſolenni diplomate ab illuſtr. praeſide reuntiatus ſim, te vnice auctorem agnoſco: tua enim beneuolentia & ſingularis amicitia id effecit, quod praeuidere vix poteram. Obſtrictum ergo tibi me totum iſto fauore reddidiſti, languentibus vero & fere amiſſis viribus ſpem certe exiguam habeo, quam promittam de me. In-

 terim

terim mihi gratulor, nacta hac occasione, aliorum celeberrimorum virorum inuenta, experimenta, problemata, & obseruationes in arte salutari utiles, cognoscere, meditari & experiri posse. Equidem iam pridem peruolui inclutae huius Academiae *ephemerides* ab anno I. ad X. exceptis annis VI. VII. quorum copiam nondum habui, a quo tempore cum nescirem, in quo statu vtilissimum hoc institutum consisteret, iam ex tua singulari beneuolentia, quam gratus exosculor, me participem fore spero. Fasciculum, qui quatuor dissertationes & *schediasma* germanicum de *curatione calculi* continebat, mihi ex liberalitate tua transmissum, una cum diplomate & litteris d. VIIII. Augusti cum summa ac debita gratiarum actione pergrate accepi; in cuius aliqualem compensationem, vel potius signum futurae nostrae amicitiae & coniunctionis tibi, vir excellentissime, numum hunc *aureum Lysimachi* grato animo offerre debui: *numisma* vero itidem *aureum*, X. solidos minores pendens, cum inscriptione CONCORDIA & IVSTITIA, una cum litteris illustri praesidi Erfordiam transmittere velis obnixe rogo: reliqui numuli antiqui ex venatione *Michaelis* CZAKVL tibi accedunt. Vale. *Coronae in Transsiluania* d. XXI. Aug. cIↃIↃCCXXXX.

IOAN. IACOB. BAIERVS. *)

4. Dici vix potest, quam valde gauisus sim, posteaquam ex humanissimis tuis litteris cognoui, quod in cl. HEISTERI locum, si quando ita deo & curatoribus Academiae nostrae visum fuerit, succedere, meaque in hoc negotio qualicunque opera vti desideres. Quapropter ego non omisi, quamprimum per alias occupationes, hactenus sane permultas grauesque, mihi licuit, tuo isti desiderio satisfacere, tuaque studia & merita decenter commendare, eo quidem effectu, vt haud obscure intelligam, quod inter sex competitores tui iam praecipue habeatur ratio. Opportunum itaque

*) *Quondam in Acad. Altorfina philosophiae & medicinae professor primar. & Acad. nat. curios. adiunctus.*

itaque eſt, vt ipſe propediem ſcribas latinis verbis ad illuſtres curatores noſtros, tuamque voluntatem ſuſcipiendi munus, quod apud nos nunc vacat, ſignifices. Haſce litteras, ſi committere mihi velis, diligenter curabo, & proſpiciam, ne quid praetermittatur, quod rei maturandae ac perficiendae, citra vllum exiſtimationis tuae periculum inſeruire queat. De ipſa vero muneris conditione, & ego perſuaſum plane habeo, & tu quoque vt habeas velim, eam tibi minime grauem ingratamque, ſed talem omnino euenturam, ſub qua vitam honeſte & ſecundum naturalem animi tui propenſionem iucunde poſſis degere. Loci ſalubritas & amoenitas, librorum vtilium omnis generis, tam in publica quam in priuatis bibliothecis apparatus, & commodandi facilitas, profeſſorum, ſi non omnium, certe plerorunque ſingularis humanitas, ſtudioſae etiam iuuentutis modeſtia, ſine dubio abunde tibi placebunt. Meam ſeorſum amicitiam & ſupellectilem librariam quantumcunque prodeſſe tibi vtraque poterit, paratiſſimam habebis. Neque eſt quod timeas moleſtam anatomicarum & chirurgicarum exercitationum frequentiam: ſicut enim illarum minime quotidiana ſed rarior eſt occaſio, ita ad has ipſo opere praeſtandas nemo te vnquam coget, niſi velis cl. HEISTERI exemplum ſequi, & praeter neceſſitatem vltro quaerere laureolam in iſto muſtaceo, quod ego quidem nunquam probaui. Puto autem te rectius atque fructuoſius, vna cum medicinae publica profeſſione, operam nauare poſſe philologicis ſcholis, priuatim inſtituendis, quibus & te ſingulariter oblectari ſcio, & auditores non defuturos confido. Caeterum de ſtipendio, quod conſtitutum eſt tertio noſtri ordinis profeſſori, non diſſimulo id eſſe modicum, 224. ſcilicet florenorum noſtratium, ſed quod ſtatis temporibus certo perſoluitur. Praeterea vero non deficiunt aliae acceſſiones, & aliquid amplius lucrifaciendi opportunitates. Haec ſunt quae tibi nunc reſcribenda putaui, & tua in primis intereſſe exiſtimaui. Plura fortaſſis exponet praenob. *Petrus* GERICKE, communis, vt intelligo, amicus noſter, meuſque conuictor cariſſimus. Abs te autem, vir

cele-

celeberrime, peto atque expecto responsum primo quoque tempore, cum videatur aliquod in mora esse periculum. Ego interea totam rem diuinae prouidentiae committo, & te valere iubeo. Dab. *Altorfii Nor.* a. d. VII. Iun. A. R. S. cIↄIↄccxx.

5. Tardius equidem, ac speraueram, nunc tandem significare possum, illustres Academiae nostrae curatores cunctis suffragiis suis te nuper constituisse in locum clar. HEISTERI, ad publicam anatomiae & chirurgiae professionem capessendam, decreto ducentorum nostratium florenorum annuo stipendio, cui accedent alii viginti quatuor pro disputationibus in circulo Academico habendis. Curabo etiam vt pro sumptibus in iter faciendis soluantur quinquaginta circiter floreni. Has igitur conditiones si accipere & sub iisdem oblatum, me iam interprete, munus recipere volueris, nil superest, quam vt aduentum tuum ad nos matures, quem eo maiori desiderio expecto, quo maiorem ex amica consuetudine tua voluptatem mihi praesagio. Etsi autem facile intelligam, ad componendas Halae res tuas aliquid temporis requiri, suadeo tamen, vt non multo post instantes nundinas Lipsienses profectionem suscipias. Ego interea de commodo, nec tamen pretioso, tibi & familiae tuae domicilio, admonitus prospiciam, nihilque omittam, quod loci mutationem tibi faciliorem reddere poterit. Excellentissimo *Frid.* HOFFMANNO salutem quaeso dicas verbis meis. Vale. Dab. *Altorfii Nor.* a. d. XXVI. Aug. cIↄIↄccxx.

IO. PHILIPPVS BARATIERIVS. *)

6. Charta non ferret meum, vir eruditissime, cum tuam epistolam recepi, gaudium. Citius respondere per occupationes non licuit. Gaudeo quam maxime etiam te bene valere, adhuc magis

*) *Quondam vir iuuenis eruditionis tam variae quam solidae rarissimis decoribus clarissimus, artium & philosophiae doctor, regiae scientiarum societatis Berolinensis sodalis.*

gis autem te consiliis subsidiisque tuis studia mea iuvare dignari. Ago gratias de hac non merita beneuolentia, & eam erga me pergas obsecro. Et ego inaudiui, eruditissime vir, de *novo testam.* in *Anglia edito.* Verum omnia fere exemplaria in orientem allata sunt, & (si bene recordor) pleraque igne absumpta, adeoque vix maximo pretio haberi potest. Est & *Erpeniana* quaedam, quam quaerimus. Cl. *Io. Henr.* CALLENBERGII libellos plerosque iam habebam excepto *Lutheri Catechismo*, ago quam maximas pro iis & pro aliis gratias. Pudet me sane tot a te beneficiis deuinci, & reddere par pari non posse. Quod dare possum do, gratum scilicet animum & gratiarum actiones. Eodem fere cum tua epistola tempore accepi Norimberga *ms. Arabicum* vittae forma 4 & ½ vlnas longum & 3. vel 4. pollices latum. Continet, vt perspexi, *precationem Turcicam* vel saltem Muhammedicam, etsi opiner mere Arabicam non esse, sed Turcarabico idiomate scriptam. *Militaris est precatio*, videtur militi cuidam Turco abrepta. Mentionem ibi facit Adami, Noachi, Abrahami, Muhammedis, Abubecri, Omaris, Othmanis aliorumque praecipuorum sanctorum, quos postea gregariis iungens numerat CM. & XXV. Habet etiam venerandus domin. decanus huius vrbis *msc. Turcicum* vt suspicatur, notas quasdam in Mushafum continens, saltem saepe loci Korani ibi cernuntur rubro colore a textu distincti, idem vel simile msc. Norimbergae vidi apud bibliopolam Monathum. In membrana vel vitta potius, saepe exstat mirus quidam character, quem laudatus decanus Keph suspicatur esse, aut certe Turcicam litteram vel nexum ab auctore scripti effictum. Vidi etiam libros Constntinopoli nuper excusos, quorum primus *Americae descriptionem* & vt ab Iberis occupata sit, alter *Mirmahmudi* siue *ultimae in Persia revolutionis historiam*, tertius *vniuersalem cosmographiam*, quartus *bella Turcarum pro insulis maris Aegaei & mediterranei* continet. Quos spero aliquando mutuo sumptos legere & excerpere, vt dein *excerpta publici iuris faciam*, cuiuis enim non licet tales tam raros tantique pretii habere libros. Nunc vero *episto-*

las Paullinas tuas lego, postea conabor absoluere, quem iam antea inceperam *Macinum hist. sarracen.* ex *ed. Arab. Lat. Erpenii.* Nec *Maraccium*, nec commentatores eius, nec eorum excerpta habeo. Talia pro nostra paupera supellectile non sunt. Mutuo tamen habui a dn. decano *Coranum Arab.* HINCKELMANNI & *Latinum* REINECCII, ni fallor ante sex menses & multas Suras legi, verum nullibi ex commentatoribus quicquam est. Nondum is sum, qui *Beidauium* legere possim, sed aliquando si deo placet, id fieri poterit. Et apud nos nuper *Arabs* fuit, vel si mauis *homo Armenius* religione & origine, *Arabs* lingua, *Tartarus* patria, *Ba-Cicsaraea* in *Krim-Tartaria* oriundus, qui etiam nonnulla de pronunciatione me docuit, sed demiror tam raros esse Syros, quibus tamen opus haberem, nam nec Syrum idioma negligo, etsi praeter *nou. test.* nihil Syri habeam. Vt de Graecis etiam aliquid dicam, iam aliquando coeperam *Homerum*, sed intermisi, nec vacat nunc eo iterum redire, adeo enim *Patribus* & *Conciliis immersus sum*, vt vix at ne vix quidem possim inde me extrahere. Ad finem nunc vergo *historiae*, quam contexui, *critico-dogmaticae locorum s. scripturae de filio deo* agentium *contra Socinianum quendam* nuperum, qui se *Artemonium* vocat. Deinde meditor concilium *Sirmiense illustratum*. Caeterum scire velim, an & Halae studium Patrum & Conciliorum vigeat, & an libri eo facientes ibi vulgares sint. Verum quo feror? Iam satis prolixus fui, ignosce mihi quaeso, si te tam diu nugis meis distineam, atque a grauibus occupationibus auocem. Desino igitur omnia fausta, felicia, atque prospera tibi tuisque & parentum & meo nomine apprecans, felicem hunc annum aliosque multos, & vno verbo omnia bona. Volebam nonnulla subiungere & quaedam a te consilia petere, praeterea *haeresiologiam meam* fusius describere, sed cum metuam tibi molestus esse, hoc in proximam epistolam reiicio, si videam te id aegre haud laturum. Vale itaque, meique meminisse dignator. Dab. *Suobaci. Francorum* d. VIII. Ian. cIↄIↄccxxxiiii.

7. Quandoquidem cursoris publici tempus transiit & epistola cogitur

tur adhuc biduum hic manere, non poſſum me continere, quin adhuc per momentum cum tanto viro colloquar. Incipiam itaque exponendo quid monſtri ſit opus, quod nunc prae manibus habeo, de quo deinde iudicium expecto tuum, quo vt galea opus meum praemuniam, confidens itaque tuae erga me indulgentiae, qui dignatus es amicum mihi animum teſtari, narrabo. Opus quod ſcribo titulum habet: *Tractatus hiſtorico-dogmatici de haereticis Antitrinitariis uſque ad Photinum excluſiue.* Titulus ſatis docet quid contineat liber. Vt vero paullo fuſius diducam, in hoc opere ſingulorum haereticorum Antitrinitariorum hiſtoriam refero ex probatis monumentis contextam, difficultates hiſtoricas & chronologicas dilucido, occaſionem haereſeos expono, dogmata refero, & ſi quae ſit circa ea obſcuritas, diſſero, haereticorum antagoniſtas recenſeo, de iis diſſero. Sic de *Cerintho* agens ſedulo inueſtigo, quando vixerit, eius geſta expendo, & hac occaſione *Menandri* & *Baſilidis*, caet. tempus diſquiro, poſtea oſtendo *Cerinthum cum Ebione eundem eſſe* & eadem *Ebionaeorum*, *Cerinthianorum* & *Nicolaitarum* dogmata fuiſſe, poſtea haec dogmata expendo, & dein de *Iohanne* eius antagoniſta ago, & quae contra *Cerinthum* egerit diſquiro. Sic de *Artemonitis* agens hiſtoriam eorum trado, dogmata ſub *Photino* tradenda remitto, de *Caio* eorum hoſte diſſero, varias de eo obſeruationes facio, eius ſcripta recenſeo, fragmenta quae ſuperſunt refero, de *fragmento* περὶ τȣ παντὸς ab *Hoeſchelio* edito & de *auctore Philoſophumenon*, quem *Caium* puto, diſſero. Si quas de his ſimilibuſue obſervationes feciſti, ampliſſime vir, mecum communices velim locum in meo opere primum habituras. De Arianis fuſiſſime ago, ita vt vltra dimidiam operis partem abſumant. Inter alia enim etiam *Cudworthum refuto*, qui *Conſubſtantialiſtas veteres* fere Arianos & Tritheitas effingit. Liber vero contra *Artemonium* vocatur: *Initium euangelii Iohannis ex antiquitate eccleſiaſtica vindicatum.* Refuto ibi *Crellium* Neo Socinianum, qui adhuc in viuis eſt, & opere a. 1727. edito ſub titulo: *Initium euangelii Ioannis reſtitutum*

per L M. Artemonium, locum Ioh. I. 1. & alios de Christo vt deo agentes mire sollicitat. Sic Ioh. I. 1. pro κ̀ Θεὸς ἦν ὁ λόγος legit κ̀ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Contendit autem omnes antiquos doctores Ante-nicaenos ita legisse, aggressus itaque sum eum refutare bono cum deo. Haec ratio est eorum, quae ad manus habeo, operum. Vt de consiliis tuis, amplissime vir, adhuc aliquid addam, hoc adhuc notabo me *Homeri Iliados* bonam ed. non habere, sed unam miseram mere Graecam. Verum, quod mihi solatio est, *Clauem Homericam* habeo & editionem omnium praeter *Iliaden Homericorum* Argentoratensem quidem modo, sed nitidissimam. *Euripidem* habeo *mere Graecum & alium mere Latinum*, & aliud volumen scholia continens in hunc tragoedum. Praeterea possideo *Theocritum Gr. & Lat.* cum scholis Graecis & notis cuiusdam recentioris eruditi, item *Anthologiam* & alia nonnulla, ex veteribus tamen pleraque editionibus. Concludo, eruditissime vir, nonnulla consilia a te roganda fisus tuae benignitati te beneuole daturum, scil. 1) *Quod Lexicon quamue Grammaticam* tam pro *Arabismo quam Syriasmo* maxime consuleres? & 2) *Quos libros* ex editis *in vtraque lingua post n. t. & Coranum* quaererem censeres, & quas eorum editiones? Verum momentum, quo te ausus sum adhuc interpellare, nimis crescit. Excusatam itaque rogo habeas meam importunitatem animo reuoluens me beneuolentiae a te in tua epistola demonstratae fisum esse. Vale iterum atque iterum amplissime SCHVLZI & me tuum commendatum habe.

FRANCISCVS BARATIERIVS. *)

8. Je ne puis, Monsieur, que vous remercier très-humblement de la bonté et de la condescendance, que vous auez eüe pour mon fils, non seulement en lui faisant l'honneur de repondre d'une maniere si obligeante à la lettre qu'il auoit pris la liberté de vous ecrire par Mr. Schnapper, mais aussi en ne dedaignant pas de lui donner vos

*) *Omnium in ducatu Magdeburgico Gallicarum ecclesiarum max. reuer. inspector.*

vos bons Conſeils ſur ſes Etudes, & lui envoyant même quelques Liures pour lui faciliter l'etude de la Langue Arabe. Comme vous nous auez donné en cela une preuve d'une amitié & d'une generoſité peu commune, il eſt iuſte auſſi que nous en agions une reconnoiſſance ſinguliere. Nous ſouhaitons pouuoir trouver l'occaſion de vous en donner des preuves reelles. Ayez la bonté, Monſieur, de prendre en bonne part la nouvelle Lettre qu'il prend la liberté de vous ecrire, d'en pardonner les defauts et les imperfections, et de vous ſouvenir qu'elle vient d'un jeune garcon de treize ans, qui n'a pas encore toute la politeſſe et toute l'experience qui ſeroit à ſouhaiter. Nous nous recommandons encore très-affectueuſement à votre affection et bienvueillance, et en faiſant bien des voeux pour votre proſperité et pour tous ceux qui vous appartiennent, j'ai l'honneur d'etre auec beaucoup d'eſtime et de conſideration

MONSIEVR, Votre très humble & très-

à la hâte à *Schwabach*, *le 11. Ianv.* 1734. obeïſſant ſerviteur.

Accipe tandem *exemplar* deſideratum *operis numiſmatici Geſſneriani*, quatenus nimirum hactenus promotum eſt. Habet igitur hic *numiſmata regum in tres claſſes diſtributa*, nec non *numos populorum & vrbium Graecos*, in vniuerſum LXI. At debentur adhuc tibi totidem tabulae, quibus numi Graeci abſoluuntur, & quas vtpote iam editas, quam proxime miſſas accipiam Interea nolui deſiderium tuum ulterius morari, & non exſpectatis reliquis, quae iam ad me peruenerunt, tibi ſtatim tranſmittere conſtitui. Huius autem partis numos Graecos omnes complectentis, & vt iam dixi CXX. vel CXXII. tabulis in vniuerſum comprehenſae (quibus circa 4000. num. inſculpta) eius inquam partis pretium eſt octo thalerorum, vel duodecim florenorum. Memini me iam tibi pretium cuiuſuis claſſis praeſentem indicaſſe, excepta poſtrema, tunc nondum edita. Maiori quidem pretio quaeuis claſſis nuper indicata fuit in nouis litterariis Lipſienſibus, aut Hamburgenſibus, mihi vero Autor illud indicauit, de quo te certiorem

 feci,

feci. Vnde nescio, cur in citatis nouis aliud maius pretium indicatum fuerit. Interea vides te aequissimo pretio tuum exemplar obtinere. *Absolutis numis Graecis*, nunc clar. GESSNERVS *imperatoriis* incumbit, quorum 25. priores tabulae breui vel certe proximis nundinis aduenient. Etiamsi satisfacere nobis debeat nitor tabularum quas nunc accipimus; multo tamen nitidiores futurae sunt imperatoriae, quarum numerus ad 200. tab. pertinget, ob magnum numorum apparatum quem autor collegit non ex editis modo, sed & ex msctis catalogis & museis Galliae, Italiae, Angliae aliisque, quibus egregie adiutus est. E Germania vero nostra, quod mirum, nihil fere auxilii. Ne enim de Vindobonensi gaza loquar, ad quam hactenus non patuit aditus, pauci Germanorum symbolam suam ad hoc opus contulere. Quod si sint qui ectypos numorum notabilium, auctori transmittere velint, rem facient & ipsi gratam, & sibi honorificam, rei publicae autem litterariae plane utilem. Vale. *Halae Salicae* v. *Febr.* cIↄIↄccxxxx.

10. FROELICHII *opus numismaticum*, curiosum omnino & quo carere numismatophilus facile non possit, frustra & hic & in nundinis Lipsiensibus & alibi diu quaesitum, quum scirem, nescio quo fato, vix eius libri exemplaria vlla extra Austriae vicinosque fines penetrasse, tandem recta Vindobana arcessivi. Cuius aspectum tibi gratum quoque fore cum credam, statim ad te transmitto, quo habeas, quod te his feriis forsitan oblectet. Alterum sc. WACHTERI librum forte quidem iam videris, sin minus & hunc accipe. Neutrum adhuc ipse legi integrum, vtpote qui ante paucos demum dies eos receperim, valetudinisque rationibus veter studiis incumbere. Si liceat vero vicissim ad te recurrere, auxiliumque bibliothecae tuae implorare, est quidem quod obnixe rogem. Taedium & morbum aliquoties legendo fallere soleo, sed ea legendo, quae me minus occupent, quam oblectent. Nil aptius hunc in vsum, me sententia, itinerariis. Quod si itaque inter tuos libros aliquos numeres, qui itinera vel exoticarum regionum descriptiones conti-

contineant, certe mihi longe gratiſſimum facies eos mecum communicando, modo non nimis vulgares ſint, adeoque iam mihi viſi. Si quae habes in ſpecie quae ad Arabiam, Aethiopiam, reliquam Africam ſpectent, vel ſi haec deſint, alia quaeuis. Vale. *Halae propter Salam.* d. III. Iun. cIↃIↃccxxxx.

R. A. BEHRENS.

Non adeo diſplicuiſſe tibi ſcriptiunculam iſtam meam *de affectionibus a commeſtis mytulis* doctiſſima tua *diſſertatio de cancrorum uſu medico* fidem mihi fecit. Parilem indulgentiam a te, vir magnifice, mihi nunc ſpondeo, aliamque opellam nuper editam data commoda hac occaſione nunc officioſiſſime offero, ea potiſſimum intentione, vt obſequium meum ex celeberrimi nominis tui haud vulgarem venerationem tibi teſtarem, & amicitiam tuam, ſi qua me forſitan dignare velles, mihi eo facilius conciliarem. Non quidem omnimode in cerebro meo natae ſunt iſtae pagellae, quas tibi nunc trado, ita tamen obſtetricantes quaſi manus Gallorum operae adhibui, vt bonam, ſi non maximam partem laboris, quod tamen citra vllam ambitionem dixerim, mihi poſſim tribuere. Id quoque in tenui iſto labore quaſi aliud agendo mihi viſus ſum praeſtitiſſe, quod conterraneis meis gloriam nonnullorum inventorum, cum quibus extranei ſeſe ambitioſe efferrebant, tacite vindicaverim. Meruit conatus meus nonnullorum amicorum ſuffragia, vtinam & tuum demereri poſſet, certe tunc, vir experientiſſime, putarem me omnia aſſecutum eſſe. Typis proxime exſcribetur alia lucubratio mea argumenti haud adeo incurioſi, *de cortorſionibus* nempe *atque nodis inteſtinorum tractans*, qua luculento quodam experimento nixus, litem, quae hactenus inter noſtrates ea de re fuit, dirimere allaboraui, ſtatim ac ea a typographo erit abſoluta unum alterumque exemplar in teſſeram meae erga te perpetuae obſeruantiae pariter tranſmittam. Vnum vero eſt, vir experientiſſime, quod te vehementer, niſi grave hoc fuerit, rogatum velim. Pro meo in bonas litteras & artem noſtram amore

amore & celeberrimorum quoque virorum in vtraque ſparta bene merentium aeri inciſas imagines colligere & coaceruare ſum ſolitus. Tuam vero, vir celeberrime, vehementer hactenus deſidero, cum non dubius ſim iſtam plus ſimplici vice expreſſam fore. Ea igitur ſi me humaniter donare velles, & ſimul margini chartae lemma quoddam cum celeberrimo nomine tuo adſcribere, cum talibus ſic notatis donariis vehementer gaudeam, rem mihi faceres omni re grata longe gratiorem, quam tamen cum iſta iuſta limitatione, ne moleſta tibi vllo modo ſit, mihi etiam atque etiam expeto. Viue diu, vir experientiſſime, in commodum rei medicae. Vale. *Brunſuigae d.* XXIIII. *Octobr.* cIↄIↄCCXXXXII.

MATTHIAS BELIVS. *)

12. Diu eſt, cum epiſtolam tuam, plenam humanitatis, accepi. Recte mei recordatus es, tecum enim, quod memini adhuc, in Halenſi palaeſtra, cui me debere plurimum lubens profiteor, manus ad opus domini admoui aliquamdiu. Quae me inde loca, quae fata habuerint, non adtinet recenſere. Piſonii iam viceſimum annum ago, ſcholae partim partim eccleſiae, pro eo ac ſufficiunt vires, operatus. Inter haec ſtudia haud ſegniter verſanti neſcio quo fato obrepſit iſtud, quo iam detineor. Paruis initiis profectum inſtitutum in eam molem increuit, vt iam typographos poſſit fatigare. In toto eo labore id me ſolatur, quod numine propitio, fauente Caeſare, conſcia vniuerſim patria ſudarim, ſudemque adhuc. Tibi interim gratulor, quod Altorfenſem cum illuſtriori Halenſi fatis volentibus permutaſti. Nos heic in barbari ei confinio ſeneſcere oportet. Eius rei indicium librum hunc accipe, qui iam ſimulacro Mariae fuit dedicatus. Agam, vt plura poſſis indipiſci, ſi cimelion iſtud ſe tibi probauerit. Niſi graue putas, velim pertentes celeb. SCHMEIZELIVM, quo loco ſint *Hungaricarum rerum ſcriptores*, quos inde a vicennio edere parat.

Enim-

*) *Famigeratiſſimus in Hungaria hiſtoricus, Piſonii verbi diuini miniſter.*

Enimuero intereſt & mea & rei publ. litterariae id me non ignorare, quippe qui collegerim inſignem *adparatum ad hiſtoriam Hungaricam ex monumentis partim ineditis, partim poſt editiones primas fugientibus conſtantem*, quem iam iam typis tradere paro. Vtinam ederet catalogum ſcriptorum, quos habet collectos, ne alteruter noſtrum actum agat. Vale. *Piſonii* cIↄIↄcccxxxiii. v. id. April.

CAROLVS ANDREAS BELIVS. *)

Non te interpellarem, vir doctiſſime, niſi peculiaris illa tua humanitas, qua me ante hos duos annos, cum officii teſtandi cauſſa te inuiſerem, exceperas, in anteceſſum mihi polliceretur, quidquid eſt temeritatis aequo te animo laturum. Ab eo tempore Argentorati partim apud SCHOEPFLINVM meum, atque demum Lutetiae, partim Piſonii apud parentem diuertebam; vſque dum elapſi anni exitu ab illuſtri FESTETICSIO filio Lipſiam peregrinaturo ephorus adiungerer. Quod ego in felicitatis meae acceſſionibus repono, quod nata mihi ſit inde occaſio, te propius, celeberrime SCHVLZI, tuamque eximiam eruditionem in vſus meos conuertendi. Ecce vero, quam ſim importunus; prima eſt epiſtola, quam a me accipis, adeoque, vt volunt, verborum plena inanis rerum exaranda eſſet; ego, quod iſtud epiſtolarum genus non probem, illico eruditionem ſollicito tuam, eo conſilio, vt e penu tua litteraria aliquid, quod inſtituto meo inſeruiat, depromas. Induxi in animum *de Thraciae regno commentationem* publici iuris facere, in hac limanda iam verſor. Partitus eam ſum in ſectiones tres, quarum *prior de finibus Thraciae atque opportunitatibus differit, altera de Thraciae regibus, tertia de moribus Thracum*, quo & deos refero cultos a gente barbara. Hanc in rem proſtare aliquid iuxta cum ignariſſimis ſcio. Cum autem bene perſpecta mihi ſit tua in antiquitatum etiam adita penetratio; non 13.

Vv potui

*) *Tunc philoſophiae & liberalium artium magiſter, nunc Lipſiae profeſſor philoſ. pub.*

potui non maiorem te in modum orare, velis pro ſingulari tua humanitate homini non litterato quidem, ſed amantiſſimo litterarum ſuppeditare, quibus triplicem hanc laboris ſui ſectionem poſſit locupletare. Quae collegi, deſtinationi non ſufficiunt adhuc, neque eſt in animo vilem ſchedam euulgare paullo poſt in ſcombros abituram. In primis quod ad reges attinet, ſcio te rei numariae peritiſſimum; hinc poſſes omnino & ratione iſtius periodi operam meam ſuſtentare. Magna mihi eſt in tua bonitate ſpes repoſita, neque credo commiſſurum te, vt repulſam feram iſtiuſmodi deſtinationibus numquam ſatis dedolendam. Iam vale vir doctiſſime, de mea in te pietate ſecurus, meque, ſi forte merear, ama; ſaltim dilige. *Lipſiae.* cIↄIↄccxxxxi. xi. kal. Febr.

14 Kehrivs, de quo vt te docerem volebas nuper, ante duos annos, & quod excurrit, Petropoli diem ſuum obiit, quemadmodum iurata propemodum fide me docuere menkenivs & ernestivs. Vale. *Lipſiae* cIↄIↄccxxxxiii. xxx. April.

IO. STEPH. BERNARD.

15 Iam dudum tibi innoteſcere in votis habui vir celeberrime, ſed commoda, qua id conſequerer, mihi deerat occaſio. Cum vero diutius eo carere aegre ferrem, neque tamen te ſine parario adeundum eſſe arbitrarer, offero tibi *Demetrium* meum *Pepagomenum*, qui, vt mihi quidem blandior, tuum mihi favorem conciliabit. Accipe itaque eum tanquam meae in te obſervantiae interpretem, quem tanto tibi gratiorem futurum exiſtimo, quod cum medicina elegantiores litteras coniunxeris. Leue quidem hocce munuſculum vir celeberrime atque exiguum, nihilominus tamen a tua humanitate, quae quanta ſit erga eos, qui litteras colunt, multi mihi abunde expoſuerunt, mihi ſpondeo fore, vt voti mei fiam compos, tuque me tuo favore bees Hilari itaque fronte, vir celeberrime, atque ſerena *Demetrium* excipe, meque in poſterum tuo fauore ac beneuolentia proſequere: annitar autem, vt non ingratum tanto beneficio mactaſſe videaris. Vale vir ſumme

me, ac te suspicientem ama, iterum vale. Dabam *Lugduni Batavorum* d. x. Septembr. cIↄIↄccxxxiii.

Miraberis fortasse vir reu. *) qui fiat, vt te litteris compellem, 16. cum tam diu nihil litterarum ad te dederim; & fateor, nisi singulari tua humanitate fretus essem, omnino reformidarem nunc ad te scribere. Verum tum tuae comitatis memor, tum etiam amicitia & familiaritate, quae inter nos intercessit, excitatus non dubitaui tuam opem implorare in re, cuius curam in se recipere nemo te rectius poterit. Vidi aliquando inter vitas professorum Altorfensium etiam piae memoriae SCHVLZII haberi vitam ac inter scripta eius memorari *Nicandri nouam editionem;* hoc indicaui viro cuidam clarissimo in hac vrbe degenti, quem noram *Nicandri* pariter meditari editionem novam. Is me rogauit, vt, cum cel. SCHVLZIVM vita functum esse cognouerit, operam darem, & rescirem, quid de illis doctissimi viri notatis fiat. Recordabar mox tui ac blandius mihi fore, vt tu mihi hac in parte omnium optime adesse queas. Quapropter enixe te rogo reu. VRSINE, vt scisciteris ex heredibus clarissimi defuncti, anne illa notata, nemini profutura, viro celeberrimo concedere velint, & quibus conditionibus. Dolendum enim foret quam maxime, si quae doct. SCHVLZIVS ad illum poëtam medicum & salebrosum congessit, intercideren. Gratissimum mihi foret, si quales essent hae notae significare posses. Vtinam tibi liceret vnam alteramve mihi speciminis loco exhibere! Certe egregium id foret, cum de reliquis tunc quodammodo iudicium ferre possemus. Tu itaque, reuerend. vir, petitioni meae locum da, ac vide, qua ratione id commode fieri possit, vt me de hac re certiorem facias. Noli autem dubitare, quin, si qua in re tibi prodesse queam, id alacri & promto animo in me sim suscepturus. Vale ac te colentem adama. *Lugduni Batauor.* d. xx. Novembr. cIↄIↄccxxxiiii.

*) *Nuper iam defuncto b. nostro* SCHVLZIO *summe rev. Philipp.* VRSINVS, *concionator aulicus, has accepit litteras.*

HIERONYM. BERNEGAV.

17. Admodum mihi volupe fuit perlegere eruditiſſimas a te nuper conſcriptas diſſertationes, illam in primis quae de *lithontripticis* agit: quare quum certus ſim aliquid litterarum me abs te accepturum eſſe, flagrantiſſimis precibus te iam obſecro, vt ne tantis bonis vlterius mecum communicandis priuer, praeſertim quum perlectae a quibuſdam diſſertationes ad eas ſibi comparandas eos exſtimulaverint. Quos inter praenob. ROSEN eſt, profeſſoris in medicina munus Vpſaliae iam exercens, qui ſeueriſſime me admonuit, vt abs te illas expeterem, quocunque denique pretio conſtarent, exſoluendas. Quam ob cauſſam rogatum te volui, vir ampliſſime, vt, ſi fieri vllo pacto poſſit, binas de quacunque mihi tranſmittas. Caeterum expectabo reſponſionem de deſideratis a me *animaduerſionibus tuis in pharmacopoeam Brandenburgicam.* Dicas mihi vero velim, quas cognitas habeas rationes de morte celeberrimorum virorum STAHLII & DIPPELII. Primus tu fuiſti, qui beatum ſcripſeris DIPPELIVM in *diſſertatione de lithontripticis*, & licet quidem diu ante fama ad nos peruenerit de illius morte, & mihi & multis aliis tamen praeſertim eccleſiaſticis admodum iucundum fuit, id ex ore viri tam cordati & eruditi percipere. Ferunt eum inſidiis venenatis principis cuiuſdam vita exſtinctum fuiſſe. Vnde vero accidit, quod ψυχικὸς ille STAHLIVS tam mature vita ereptus fuerit? quo denique morbo occubuit? an apoplexia? ita quidem rumor fert, ſed is quidem ſine capite, ſine auctore? Haec ſunt, vir ampliſſime, quae abs te erudiri cupio, ſpe fretus fore, vt diſcipulo tuo lineas quaſdam litterulaſque tranſmiſſurus ſis. Meo nomine Fr. Hoffmannum ſenem ſalutes. Vale & mihi faue. Dabam *Holmiae* die XV. Octobr. cIↄIↄCCXXXIIII.

IVST. HENNINGIVS. BOEHMER. *)

18 Litterae tuae, ante aliquot dies mihi recte traditae, acceptiſſimae fuerunt,

*) *Sereniſſ. Boruſſ. reg conſiliar intimus, illuſtr. Acad. Fridericianae director, regiminis Magdeb. cancellarius, facultatis iuridicae ordinarius eiuſque profeſſor publicus.*

fuerunt, tum quod certissimam egregiae tuae in me voluntatis significationem ediderunt, nil nisi humanitatem spirantes, tum etiam quod appropinquantem aduentum tuum, quem prae ceteris in votis habui, nunciarunt. Euocato paullo ante ferias natiuitatis CHRISTI a potentissimo rege ad curiam regalem primus mentionem tui iniecit FRANCKIVS noster, simulque recte arbitratus est, me magnopere rebus Academiae consulturum esse, si praesens in curia illa, quae potentissimo regi de tuis in rem litterariam meritis in scriptis explicuerat, suffragio meo corroborarem, & hoc modo aduentum tuum accelerarem. Promtissimo animo in collegae sententiam secessi, eamque adeo meam quoque feci, vt statim sub adventu meo illustr. COCCEIO mentem meam aperirem. Hilari fronte, quae ipsi de commodis in rem Academicam ex tuo accessu sperandis narrabam, accepit, simulque indicauit, & FRANCKII & meo voto iam satis factum, sibique, die praecedente, regio iussu iniunctum fuisse, vt tuum, de prouincia tibi decreta, animum exploraret, & ad eam acceptandam pertraheret. Haec eum in finem tibi referenda esse credidi, vt scires, spem, quam in meam de rebus tuis ornandis augendisque voluntatem posuisti, non fuisse fallacem, gratamque mihi in posterum fore amicitiam tuam, ad quam colendam nouum pondus ex iure collegii, quo iungimur, accedit. Hac de caussa quoque sine mora desiderium tuum Prorectori exposui, atque nullo negotio obtinui, vt inter lectiones medicas, loco debito, tui nominis mentio iniiceretur, & cultoribus studiorum significaretur, te propediem aduenturum & programmate separato de lectionibus habendis acturum esse. Eam spem itaque, quam de tuo aduentu iam omnibus publicatam nosti, vt, quam primum possis, reapte impleas, rogo instanter, quo cum reliquis collegis post ferias nundinales Lipsienses lectionum tuarum initium facere, & mature res tuas hic instruere possis. Officia mea nunquam tibi deerunt, si rebus tuis commodum adferre possunt, quin semper id agam, in id enitar, vt fiduciam erga me

conceptam non fuiſſe inanem, intelligere queas. Vale. Dab. *Halae* d. XIIII. April. cIↄIↄccxxxII.

IACOBVS BRVCKERVS. *)

19. Vrget me, vir excell. atque celeberrime, *pinacothecae ſcriptorum noſtra aetate illuſtrium decas*, quam molior, *quarta*, vt has ad te exarem. Eam enim noui doctrinae, qua tum in arte ſalutari, tum in veteris eruditionis notitia fulges, praeſtantiam, vt, cum tibi locum in hoc honoris templo deberi agnoſcam, certuſque ſim multum ſplendoris operi inde acceſſurum, audeam his te compellare, vt quam te affabre pictam a *Spizelio* noſtrate habere vultus tui imaginem intellexit *Haidius*, una cum vitae, ſtudiorum & ſcriptorum enarratione, & annis gentilitiis tituloque honorario, quamprimum id fieri poterit ad *Haidium* Auguſtam mittas. Quamuis enim in b. BAIERI vitis medicorum imaginem tuam videre, & hiſtoriam te ipſo auctore legere liceat; illa tamen rudi Minerua efficta eſt, huic acceſſiſſe ab eo tempore multa nullus dubito. Dabis itaque hoc, vir excellentiſſime, & litterarum honori, quem tam praeclaris hactenus meritis ornauiſti, & patriae gloriae cui inſeruis, & hanc *Haidii* petitionem ratam iuxta eas, quas in ſchedula adieci conditiones habebis. Mihi vero erit iucundiſſimum, eam quam ex eruditiſſimis ſcriptis tuis, & in primis *hiſtoria medicinae*, cepi erga te venerationem, iam in *hiſt. crit.* demonſtratam iterato publico teſtimonio confirmandi, praeſertim, cum te eruditionis Hoffmannianae heredem ſciam, in quo viro prouidentiam numinis praeclariſſimum & exoptandum prorſus ſidus ſalutari arti conſtituiſſe intellexi, ex quo praeſtantiſſimae ſcientiae, corporis imbecilli & ſubinde ſanitate nutantis conditione inuitatus, horis ſubciſiuis operam dedi, & immortalis gloriae ſcriptis eius totus immerſus ſum. Te itaque, harum litterarum ſtatorem & humanitatis quoque antiquae vindicem, vt numen innumeris bonis cumula-

*) *Regiae ſcientiarum ſocietatis Berolinenſis membrum.*

mulatum tueatur & augeat, in votis habeo. Scrib. *Kaufbyrae* d. XVI. Mart. cIɔIɔCCXXXXIIII.

IACOB. IOAN. BRVHIER. *)

Miraberis fortaſſe, vir celeberrime, vix tibi nomine notum lit- 20.
teras ad te conſcribere; maior tamen quam opinari quis poſſet, nos inter neceſſitudo intercedit, quippe qui eandem colimus artem, veneramur, diligimus; publicae, pro noſtris viribus, vtilitati inſeruimus; & aequa veneratione HOFFMANNI magni nomen proſequimur. Hinc praecipue animo inſedit fiducia litteras meas tibi moleſtas non fore, cum HOFFMANNI decus ad ſcribendum me impulerit. Ergo toties deuicta mors de victore HOFFMANNO triumphavit, & perpetuo viuere dignum perpetuus vrget ſopor! Viuit tamen ſibi ipſi ſuperſtes, aeternumque, ni fallor, victurus eſt. Vt autem in beneficiorum quae in genus contulit humanum ſocietatem, quantum in me eſt, veniam, *medica eius principia vulgari noſtro idiomate tradere pergo;* vnde quatuor noua volumina quinque iam editis mox adiungenda, queis therapeutices tractatus, additis, ſi neceſſe fuerit, & volumen nonum caeteris mole non ſuperetur, de *venae ſectione diſſertationibus*, abſoluetur. Iam ſeptimum expleui; ſed aliquid in ſexto deficiet, niſi pro tua vrbanitate defectum ſupplere placuerit. Ad annum octogeſimum celeberrimi HOFFMANNI vitam perduxiſti, ſpero fore vt quae ad eius mortem acta ſunt, quaeque publica reuerentiae teſtimonia eius memoriae tradita, ad me ſcribere te non pigebit; quin aditurum num quae noua eius opera ſcriniis latentia mors eius aperuerit. In *commentario de vita* HOFFMANNI polliceris publici iuris faciendum litterarium eius commercium, dubioque procul rei publicae medicae opus conficies gratiſſimum. Verum in eorum commodum qui Lugdunenſi editione bibliothecas ditarunt ſuas, eadem forma expedit excudi. Quod autem maiorem mihi volupta-

*) *Pariſiis med. doct. regius librorum cenſor, ſocietatis eruditorum diario conſcribendo praepoſitae ſodalis.*

voluptatem creat, non tantum ad illum ſcriptas epiſtolas, verum & illius reſponſiones in ſcriniis reperies, quantum ex vltimis iudicare licet ad me die quarto Auguſti anni proxime elapſi datis, ex quibus patet non tantum meas apud ipſum proſtitiſſe litteras, ſed & annexas eius iiſdem reſponſiones. Verum ſi quid in meis typis dignum iudicaueris, certe aequum eſt de eximia HOFFMANNI doctrina iudicium: cum autem in re publica litteraria ſatis ſpectatus non ſim, vt ex aſſenſu meo aliquis in concionem tuam redundet honor, litteras meas obliuioni tradi non moleſte feram. Si tamen in meam non deſcendas ſuper hac re ſententiam, obliterandae profecto erunt eae, quae meam ſpectant verſionem, quaeſtiones. Quia gratis omnino ſuppono, vir celeberrime, tibi notam eſſe linguam noſtram, opuſculum a me exeunte anno 1742. typis mandatum, cui ſub praeſentis anni finem alterum volumen ſubiungam, ad te mitto; quod certe veſtris regionibus prorſus nouum erit, licet omnibus populis vtiliſſimum: aliquot etenim tantum exemplaria Hamburgum, & Viennam Auſtriacam appulerunt. Sed ea eſt bibliopolarum tum noſtratium, tum veſtratium negligentia, vt plura quae tum in noſtris regionibus, tum in veſtris naſcuntur utilia opera, nobis vobisque ignota remaneant. Gaudeo obſeruantiae meae teſtimonium exhibendi tibi anſam ſuppeditari, oroque vt mentem tuam de hoc opuſculo candide aperias; tum ſi quid circa *humationem*, aut *balſamationem cadauerum* apud vos obſeruetur, mecum communices. Obſeruat enim *Hildanus* Geneuae, & aliis in locis terrae non mandari corpora, niſi a medico, ad id officium deſtinato, explorato atque inſpecto cadauere. Sed vt ad bibliopolarum negligentiam redeam, huic vitio facile occurretur, vir clariſſime, ſi tibi placuerit. Si enim taedium tibi non affert, quod tecum inſtituo litterarium commercium, de iis omnibus libris artem noſtram ſpectantibus, quae hocce in regno publici iuris fient, nuntium ad te ſum miſſurus, quin et aequum, quantum in me erit, ſubiungam de iis iudicium; tu vero idem officium mihi praeſtabis ea nunciando quae tum Lipſiae, tum Hafniae, tum Ienae, & alibi

opera

opera excudentur, tam quoad omnes medicinae partes, quam ſuper aliis materiebus, modo plauſu digna iudicentur. Equidem in alienas terras excurrendi nec mihi animus eſt, nec tempus ſuppetit; ſed ampliſſimus Galliae cancellarius, litteratorum omnium Maecenas, quique de te honorifice, vt par eſt, ſentit, & qui noſtro eruditorum diario praeeſt & inuigilat, iubet me ſcribere ſibi te gratiſſimum facturum, ſi deſideriis annuas meis; & vt magis probet quam gratum ipſi ſit inſtitutum a nobis hunc in morem litterarum commercium, tum ſigillo ſuo muniri quae a me in poſterum ad te mittentur epiſtolae, tum quas ad me ſcribes ſuo nomini inſcribi conſentit. Haec tamen aduertenda; vbi epiſtolae nihil adiunxeris, ſimplici inuolucro coopertam ſic inſcribes, *a Monſeigneur, Monſeigneur le Chancellier de France, a Paris.* Si quod forte opuſculum ad me mittere velis, ſimplici item inuolucro eodem modo inſcripto coopertum nunciorum publicorum miniſterio abſque impedimento afferretur, modo non vltra rationem turgeat, id eſt praeſentem faſciculum mole non ſuperet; alioquin partitis vicibus mittendum. Sed tunc nulla adiungenda epiſtola, quae hebdomada antecedente, aut ſubſequente ſeorſim mittenda. Sic publicanorum noſtratium & veſtratium inhians auaritia deludetur. Quod vt ſecurius adhuc fiat, ita adornanda epiſtola vt in gratiam ampliſſimi Cancellarii ad me conſcripta videatur. Sed ad noſtros redeo libros. Vix ac ne vix quidem e ſuo penu quid detrahunt medici noſtrates. Solis verſionibus ſtudent, praecipueque librorum Anglica lingua conſcriptorum, quorum plures, nec infimi pretii, paucis ab hinc annis venales proſtant; ſed, quod obſeruandum ex Anglico ſermone in Gallicum conuerſi. Solus, quem ſciam *Ioannes* ASTRVC, regi a ſanitatis conſilio, *duobus voluminibus in 4to de morborum venereorum hiſtoria et curatione Latine diſſeruit;* egregium certe opus, cedroque dignum, omnia complectens quae ſuper hiſce morbis hucuſque tradita, & obſeruata. Quod ad caeteros libros ſpectat, quinque voluminibus in 12. *ſpecimina medica ſocietatis Edimburgenſis*, duobus in 12. *obſervationes de remedio li-*

thontriptico Ioannae STEPHENS, uno in 12. *de aëris effectu in corpus humanum* D. ARBVTHNOT, duobus in 12. *eiusdem autoris* tractatum *de alimentis*, uno *de vesica vrinaria* tractatum D. PEARSON, uno *de morbis Anglicis* D. CHEPRE, vno D. LOBB *de podagra et calculo* tractatum, vno *de statu medicinae tum veteris tum recentioris* tractatum D. ELIFTON, duobus *de febribus malignis & pestilentibus* D. CHIRAC, regi a sanctioribus consiliis, & archiatrorum comitis, quibus coronidis loco adiiciam *regiae chirurgorum Parisiensium academiae volumen primum* in quarto, observationibus faetum, vtinam non ratiociniis. Sed haec omnia, vti iam dixi, Gallice conscripta, ac proinde tibi inutilia, si linguam non calleas nostram: aliter se re habente si quod horum operum saliuam tibi moueat, indica viam qua ad te peruenire possint, & lubentissime ad te ea mittam. Horumce librorum titulos indicare satis est tibi, vir clarissime, qui diario conscribendo non vacas; mihi autem non item. Si quos igitur librorum titulos ad me mittere non te pigeat, integros conscribi opto, additis etiam anno, bibliopolae nomine, vrbisque vbi venales prostant. Diarii eruditorum litterariis nunciis inserendum curaui titulum *synopseos tuae medicae historiae*, quantum ex litteris Hoffmannianis mihi innotuit. Correctiorem a te mittendum spero. Nam bibliopolis nostris adhuc opus hoc ignotum est. Vale, vir celeberrime, et me tibi crede devotissimum. *Lutetiae Parisiorum idibus Iuniis.* cIↄIↄccxxxxiii.

21. Iam pridem ab illustrissimo *Friderico* HOFFMANNO, vir celeberrime, didici vestris non ignota regionibus dissidia saluberrimam inter facultatem Parisiensem, seu potius totum medicorum Gallicorum ordinem, & chirurgorum tum Parisiensium tum prouincialium societatem. Ab omni aeuo medicorum ius architectonicum agnoscere recusarunt chirurgi; sed nusquam magis eorum increvit audacia, quam paucis abhinc annis, a quibus primarius regis chirurgus, vir in arte sua sat versatus, autoritate ex medicorum aulicorum parte non aequilibrata, abutens, nil intentatum reliquit non

tantum

tantum vt chirurgos pari cum medicis incedere paſſu efficiat, ſed vt chirurgiam medicinae ſuperſtruat ruinis. Hac ſpe allectus regio edicto ſanciri curauit nullum in poſterum chirurgorum Pariſienſium ſocietati adſcribendum, niſi humanioribus inſtructum litteris, & laurea Apollinari cohoneſtatum; auctoritateque regia contractus quo chirurgi iurati cum barbitonſoribus chirurgis, olim in unam ſocietatem coaluerant, ad nihilum redactus; edictumque in ſenatus Pariſienſis commentarios relatum. Hinc crediderunt chirurgi ſe ſaluberrimae facultatis iugo liberos, & a probatoriis ſuis tentaminibus medicos excludere non dubitauerunt, animo fingentes ſoli contractui ſupra laudato medicorum in chirurgos ius inniti. Inde acerrima medicos inter et chirurgos enata controuerſia, quam ſenatus Pariſienſis iudicio ſuo compoſuit, chirurgorum, vt decebat, arrogantiam coercendo, & medicorum iura incolumia praeſtando, quae ſaluberrima facultas pluribus ſcriptis, publici iuris factis illuſtrauerat, & ſtabilierat. Eadem in vnum corpus redacta tum academiis quae Galliam noſtram, tum & eis quae exteras vrbes nobilitant, communicanda cum decreuiſſet, occaſionem nactus, ad te, vir celeberrime, mitto. Alterum ſcilicet exemplar tibi, alterum ſaluberrimae Halenſi facultati deſtinatum. Eo lubentius haec ad te mittendi prouinciam ſuſcepi, quod abſque vllo dubio de ſaluberrimae facultatis Pariſienſis gaudio gratulabimini, & noua inde ſuffecta ſit obſequium in te meum atteſtandi occaſio. Vale. *Pariſiis* v. *cal. Octobr.* cIↄIↄccxxxiii.

Hebdomada proxima ineunte praelo committetur *opus* egregium, regis iuſſu confectum, *de peſte*, autore D. SENAC, regiae ſcientiarum Academiae ſocio, ſereniſſimi Aurelianenſium ducis archiatro, omnia complectens quae ad hiſtoriam, therapicam, & politica ea de re ſtatuta pertinent; ad unum, forte & alterum volumen in 4to aſſurget. 22.

Nullum licet reſponſum litteris a me ad te, vir celeberrime, v. calendas Octobres datis acceperim, nihilominus oblatam arripio 23.

 occaſi-

occaſionem debitum ſoluendi, id eſt, *quatuor poſteriores medicinae rationalis Gallicae tomos ad te mittendi*, qui tibi grati adueniant exopto. Ex praefatione ſexto tomo praeeunti colliges me vertendis Hoffmannianis operibus amplius non inſudaturum; quod bibliopolam impulit, vt alterius laborem expoſceret, cuius opera *tractatus de febribus*, iam omnino confectus, breui typis committetur. Faſciculo incluſa reperies *commentariolum* a me leuiter enaratum *de vita Ioannis Baptiſtae* SILVA, & ſcriptum, quo ſaluberrima Pariſienſis facultas chirurgorum nouos conatur inſultus compeſcere. Paucis diebus ab acceptis tuis litteris cum celeberrimo noſtro *Camillo* FALCONET, regi a ſanitatis conſilio, regiae numiſmatum Academiae ſocio, ſaluberrimaeque facultatis Pariſienſis doctore, omni eruditionis & vrbanitatis laude ſpectabili, de tua quam nunciabas *medicae hiſtoriae ſynopſi* verba cum facerem, querebatur vir acriori inſtructus iudicio nullum ex iis autoribus qui *hiſtoriae medicae* conſcribendae prouinciam ſuſceperunt eam ad noſtrum vſque tempus perduxiſſe. Data me occaſione edocuit arctam ſe inter & *Danielem le* CLERC neceſſitudinem interceſſiſſe, & aduerſaria multa ab illo conſcripta ſuis in ſcriniis putreſcere, quae libentiſſime cum eo communicaret, qui ad hocce ſaeculum *medicam hiſtoriam* vellet producere. Si tibi haec aduerſaria voluptatis, aut vtilitatis quid allatura iudicaueris, ea ad te mitti curabo; modo qui in Europa fere tota ſaeuit Mars impius, concordiam noſtros inter reges non labefactet; quod deus auertat. Tuum ea de re reſponſum via quam prioribus indicaui litteris, expecto; cui, ſi opera oblata arrident, litteras cel. FALCONET ſcriptas ſubnectere non mihi ſuperuacaneum videtur. Eadem via & *vitam integram*, aut *ſupplementum vitae Friderici* HOFFMANNI, ac catalogum eius operum ad me poteris tranſmittere, non neglectis praeſcriptis conditionibus, & cautionibus. Praecedente epiſtola te rogaui vt me certiorem faceres num quatuor *Martini* SCHVRIGII, phyſici Dreſdenſis, *de trichologia*, *haematologia*, *galactologia*, & *grauiditate tractatus*, qui in dicti SCHVRIGII operibus ſaepius laudantur, pu-

blici

blici iuris facti ſint, aut faciendi; nullus enim eorum apud nos peruenit, licet caeteri peruenerint. Cum autem caeteros comparauerim, ſupra laudatos ipſis libenter ſociarem. Vale. *Pariſiis pridie calendas Maias* cIɔIɔccxxxxIIII.

ANDR. ELIAS BVCHNER. *)

Veniam dabis, vt ſpero, meae in reſpondendo tarditati, cum in 24. numera, quae hactenus expedienda fuerunt, negotia unice obſtiterint, quo minus debito meo hactenus ſatiſfacere potuerim, nec etiam in praeſentiarum reliqua, nondum prorſus exantlata, id permiſiſſent, niſi paullulum ſepoſitis iiſdem, calamo admodum fugitiuo pauculas haſce lineas feſtinanter in chartam conieciſſem, ne forſitan in ſuſpicionem negligentiae aut pravae ſocordiae inſons apud te incurram. Ante omnia igitur devinctiſſimas tibi, vir excellentiſſime, perſoluo grates, pro humaniſſima, de ſuſcepto tandem *praeſidio Academiae noſtrae imperialis*, mihi facta gratulatione, ac huic annexo voto ſincero, cui vt & ego, quantum ad me attinet, in poſterum debite reſpondere queam, immenſa, vt certiſſime ſpero, me adiuuabit diuina gratia, vna cum honoratiſſimorum dominorum collegarum conſiliis & laudabili in exornandis & amplificandis *ephemeridibus* noſtris induſtria, quippe cui meam qualemcunque, pro virium modulo, iungere opellam, nunquam ſane deficiam, quouſque vitam largietur creator benigniſſimus. Vt autem tibi ſpeciatim, vir excellentiſſime, aliquantulum ad minimum innoteſcat, quanti & te, & amicitiam & fauorem tuum, mihi ſemper pretioſiſſimum, & tua ſaluberrima conſilia habeam ac in poſterum habiturus ſim; non ſolum, quos nuperrime mihi commendaſti, viros illos doctiſſimos, nimirum praenob. doct. WALLASKAY, & doct. HOFFMANNVM, prompte ac perlubenter in Academiam noſtram imperialem recepi, eiusque matri-

 culae

*) *Sereniſſ. Boruſſ. reg. conſil. intim. Academ. imperial. nat. curioſor. praeſes, medicinae & phyſ. prof. publ. ord. Fridericianae h. t. prorector & facult. med. decanus.*

culae inſerui, ſed & in poſterum illos maxime, quos honore iſto dignos & ad promouendum dictae noſtrae Academiae emolumentum & ſplendorem aptos iudicabis, prae reliquis eidem adſcribere apud me conſtitui. De reliquo parum hactenus abfuit, quin praenob. D. WALLASKAY, ſi, quod in Ruſſiam meditatur iter, adhuc proſequi intendat, comitem mihi ſimilis ſuſcipiendi exorauerim itineris, quoniam nuperrime iuſſu Auguſtiſſimae Ruſſorum imperatricis, illuſtri FISCHERO interprete, functio medici ordinarii aulici, cum ſatis lauto ſtipendio, clementiſſime mihi offerebatur, ita tamen, vt elapſo ad minimum quadriennio, ad patrios redire lares liberum mihi maneret. Aſt, licet haud leuis me inceſſerit cupido, diſſitas haſce viſendi regiones, in complurium eruditorum notitiam perveniendi, maioreſque ſic profectus in ſtudiis meis faciendi, tantum tamen continuae & amicorum, & in primis, amantiſſimae coniugis, apud me obtinuerunt preces, vt, ſi quoque diuino quodam iuſſu relinquenda foret patria, extra Germaniae fines ad minimum me haud progreſſurum eſſe, ipſis promiſerim. Antequam vero ſat prolixam hancce penitus claudo epiſtolam, te hiſce adhuc humaniſſime rogatum volo, vt in poſterum non ſolum de egregiis & ſolidiſſime ſemper exaſciatis tuis diſſertationibus exemplar quoddam pro bibliotheca Academiae noſtrae adſervare, ſed &, ſi quae forſitan de hactenus publicatis adhuc tibi ſuperfuerint, etiam harum exemplar futuris addere velis. Nuper enim duodecim volumina ſtudioſe conquiſitarum diſputationum, praefatae bibliothecae donauit amiciſſimus noſter collega, praenob. KNIPHOFIVS, quas ſubinde nunc augere cogito, cumque in finem nunc in primis illas, quae moderantibus excellentiſſimis Academiae noſtrae collegis ventilatae ſunt, vndique obtinere intendo, & idcirco te quoque, vir celeberrime, propoſitum hocce beneuole promoturum eſſe certiſſime confido; occaſiones autem, quibuſcum commode interdum huc tranſferri queant iſtae tuae doctiſſimae lucubrationes, ſi prius iſti meo petito locum te beneuole dediſſe cognouero, lubentiſſime ſemper ſignificabo. Tandem

dem illuſtrem noſtrum HOFFMANNVM meo nomine haud grauatim humillime quaeſo ſalutes. Vale. Dab. *Erfordiae a. d.* VIII. *Mart.* cIↃIↃCCXXXVI.

Quod paucis ſaltem ad honoratiſſimas tuas, heſterna die mihi red- 25. ditas, reſpondeam, non tam prauae cuidam ſocordiae, quam nimiae temporis anguſtiae tribuas quaeſo: malui enim pauca potius tempeſtiue, quam multa, vel ſuperflua ſero nimis tranſſcribere. Ante omnia igitur deuinctiſſimas tibi, vir excell. perſolvo grates, pro tranſmiſſis egregiis cura tua hactenus euulgatis opuſculis: occuparunt illa iam debitum ſuum locum partim in communi Academiae noſtrae, partim etiam in priuata mea bibliotheca, in perennem celeberrimi nominis tui memoriam. Non minus gratam mihi fore *diſſertationum*, tuo ſub praeſidio hactenus publicatarum, *continuationem* liberaliter ſimul promiſſam, certiſſime tibi perſuadeas velim, eamque ob cauſam, prout deſideraſti, hac occaſione ſignificare volui, vltimas, quas obtinui, de *morbis verni temporis*, & de *ventriculi & inteſtinorum ratione in omni morborum genere habenda*, inſcriptas eſſe. Gaudeo etiam de egregio tuo propoſito, in *praefatione ad* BLANCARDI *lexicon* medicum communicato, *Olai* nempe BORRICHII *linguam pharmacopoeorum* auctiorem, itemque nouam linguam anatomicorum, & forſitan etiam chirurgorum, publicandi: probe enim noui, quod praeter me complures alii diu talia exoptauerint, ideoque vt vitam vireſque clementiſſime tibi deus concedat, cordicitus voueo. Caeterum cum tibi placuerit celeb. CASSEBOHMIVM commendare, lubentiſſime itidem huic tuo adſurgam deſiderio, conſuetumque diploma propediem tranſmittam tibi, obnixe ſimul rogitans, vt in efflagitandis quibuſdam *obſeruationibus* exercitatiſſimi huius anatomici, pro augendis noſtris *ephemeridibus*, pergas, harum enim quintum volumen intra quatuor vel ſex hebdomadarum ſpatium prelo ſubiicietur, vt futuris autumnalibus nundinis publicae luci exponi queat, adeoque gratiſſimum mihi foret, ſi his pariter, ac forſitan etiam

qui-

quibusdam tua ex penu depromtis, augere & exornare illud mihi liceret. Quod super est valere non solum te, vir excellentissime, iubeo, sed & vt fauore tuo vlterius me complecti haud desinas, enixe rogito. *Erfordiae* a. d. XVIII. Iunii, clↄIↄccxxxix.

26 Paucis scire te volo, me *fasciculum dissertationum*, nuperrime transmissarum, rite obtinuisse, maximasque idcirco & meo & communi Academiae nostrae nomine, gratias tibi persoluere; proinde etiam praematuram tristissimamque praenob. D. de DRAVTH mortem maxime dolere, insimul vero valdopere laetari, quod de resarcienda hacce iactura tam serio statim laboraveris, commendando in locum defuncti, alium fama atque doctrina admodum celebrem virum, nostrae hinc Academiae, prout non immerito sperare licet, valdopere profuturum. Absque vlla ergo haesitatione tibi, vir excellentissime, consuetum diploma receptionis hisce transmitto, vt illud, vna cum adiunctis, commoda illa, quae iam tibi prostat, occasione, cl. D. ALBRICHIO perferri cures. Vale. *Erfordiae die* V. *Maii.* clↄIↄccxxxx.

27. Multas omnino magnasque tibi gratias debet vniuersa nostra Academia ob commendatum & procuratum collegam non minus eruditum, quam munificum, in persona excellentiss. doct. ALBRICHII, vtpote qui cum transmisso illo nitidissimo aureo numo, tam magnitudinis & ponderis, quam antiquitatis & raritatis gratia admodum notabili & aestimando, tali modo gratam sui nobis commendauit memoriam, quali a nullo vnquam receptorum olim collegarum factum esse recordor. Destinaui ergo eundem statim fisco nostro, insimulque eo allaborare mecum constitui, vt in natura adseruetur, nec vnquam permutetur, nisi forsitan extrema nos vrgeat necessitas. Indicaui idcirco haec omnia bono seni, debita cum gratiarum actione, in adpositis litteris, quas vlteriori tuae beneuolae curae commendo, insimulque certiorem ipsum reddidi, de oblatis iam inque bibliothecam nostram Academicam

trans-

tranſlatis *obſeruationibus eius de peſtilentia ann. 1718. & 1719. Coronae graſſata.* Poterunt interim hae ipſae, vna cum reliquis hactenus editis doctiſſimis tuis ſcriptis, bibliothecae noſtrae itidem deſtinatis, haud grauatim commodae & ſecurae cuidam occaſioni reſeruari, qualem forſitan propediem me nacturum eſſe ſpero, tibique idcirco, quamprimum ea ſeſe offeret, ſtatim indicabo. Vale. Dabam *Erfordiae*, III. *nonar. Nouembr.* cIɔIɔccxxxx.

IO. LVDOLPH. BVNEMANN.

Per mihi gratae tuae fuerunt litterae, teſtes amicitiae veteris, 28. ne in diſſitis quidem locis intermortuae. Gratulor tibi non magis quam Academiae Fridericianae, quod tu illi, illa tibi tandem eſt reddita; gratulor mihi de amico nunc vicino magis, maxime vero meis filiis, qui quotidie ex tua emendatiſſima variaque doctrina vberrimos fructus poterunt capere. Ex his natu maiorem, qui naturali quodam inſtinctu inde a teneris ſe arti ſalutari conſecrauit, velim tibi habeas commendatiſſimum. Ante tua tempora celeberrimorum virorum doct. ALBERTI, & IVNCKERORVM in ſe fauorem amoremque ſemper celebrauit, horum ſtudiis tu, amice & fautor integerrime pondus longe maximum certiſſime, vt plane confido, es additurus. Non tam amici quam patris iure velim, in eum vtaris, amplectere illum, mone, excita, vrge, quo ea, quae ipſi adhuc deſunt, deerunt autem ei plurima, ſuppleantur & ſarciantur. Scripſit mihi nuper admodum, ſe proxime poſt aduentum fratris, quem non minus ad optima quaeque ſtudia tibi commendo, examen ſuorum in ſtudio medico profectuum ſubiturum; vtinam tibi non incommodum foret huic examini praeſentem intereſſe, atque iudicem, num aliquid iam in eo in futurum aliorum vſum profligauerit. Tuum de eo iudicium, quippe integerrimum mihi expeto etiam atque etiam. Ad SWARZII Altorfini, excellenti ingenio atque doctrina viri litteras cultiſſimas menſe Nouembri decurſi anni cIɔIɔccxxxII. reſpondi, atque ex deſiderato ab eo antiquo *chronico Romano* cIɔccccLXXVI. ea, quae

ad antiquos typographos pertinebant, excerpta transmisi. Sed nescio qui factum, vt ad meas prolixiores litteras, per Cassellas & Francofurtum ad Moenum, vt noster nuntii publ. praefectus iubebat, portorio a me exsoluto missas nihil plane adhuc responderit. Forte proxime a te monitus aliquid ad illas meas reddet. Vendebatur in auctione Riuiniana Lips. secundum catal. p. 201. n. 1944. *Matth.* IVDICIS lib. *de typographiae inuentione & de prelorum legitima inspectione Coppenhagii* 1566. 8. pretio octo imperialium vniusque grossi Misnici; noui hunc *librum longe rarissimum* venalem pretio septem imperialium, si celeb. SCHWARZIVS eum fortasse requirat. Pro Lactantio ed. .1 Rom. 1465. obtuli celeb. SCHWARZIO, non noueram autem ipsius, sed *Schuindelii* esse alios libros pretium XII. imperialium aut non multo maius adaequantes. Vale ex voto. dab. *Mind. Westph.* d. x. April. cIↄIↄccxxxIII.

PHILIPP. BVRGGRAVIVS.

29. Dignatus es, vir excellentissime, commentationem meam *de exist. sp. neru.* tuo ornare calculo. Illius apologiam iam ea qua decet obseruantia offero. Si nec haec displicuerit, satis mihi erit laudis. Caeterum non dubito quin dogmatibus Stahlianis innutritos maxime irritavero; nisi vero GOELICKIO & GOHLIO meliora dabunt, nil a me responsi habebunt. Tua vir celeberrime tuique similium approbatio mihi potissimum in votis est. Alios, qui carpunt quod non intelligunt, haud curo. Vale vir excellentissime, & mihi favere perge. Dab. *Francofurti ad Moen.* d. v. Maii, cIↄIↄccxxvIIII.

SAMVEL DE COCCEII. *)

30. Eruditissimus ille ingenii tui foetus, quem haud ita pridem publici iuris facere, meoque nomini inscribere non dubitasti, cum

*) *Potentissimo Porussiae regi ab intimis status ministeriis, supremus omnium regiarum academiarum curator, caet. caet.*

cum gratulandi, tum gratias agendi mihi ſuppeditat occaſionem. Et gratulandi quidem propterea, quod editionem operis huius doctiſſimi nomen tuum aeternae famae monumentis inciſuram eſſe auguror: gratias vero agendi, quod me potiſſimum animi tui delegit propenſio, cui librum hunc abſolutiſſimum ſolemni dedicationis feſtivitate conſecraret. Quemadmodum igitur, vir doctiſſime, te in dies magis magiſque inclareſcere vehementer gaudeo; ita quoque tibi confirmo me quauis oblata occaſione eſſe futurum, vir eruditiſſime, tui ſtudioſiſſimum. *Berolini* XXIIII. Maii cIↄIↄcc XXXVI.

IO. FRID. CRELLIVS.

Veniam dabis, vir excellentiſſime, pro ſingulari tua humanitate 31. ignoto homini, qui nominis tui celebritate commotus, his primum litteris tibi innoteſcere tuumque exorare fauorem geſtit. Non ſine multa animi voluptate nuper admodum in elegantiſſimum de *rei medicae hiſtoria*, a te primum lingua eruditorum conſcripta, volumen incidi, atque illud ſumma cupiditate perluſtraui. In quo cum aduerterem, te ideo potiſſimum circa tempora Romanorum ſubſtitiſſe, quod *litem de conditione medicorum Romae degentium ignobili* curatius explicare conſtituiſſes, neque tamen ſcriptorum hac de re in Anglia nuper editorum exemplar vllum obtinere potuiſſes, dolui tam leue momentum in perficiendo opere ab omnibus eruditis cupide expectato tibi impedimento eſſe. Cumque illuſtris MENKENII noſtri fauore tam *oratio* MEADII, quae primam huic controuerſiae mouendae anſam MIDDLETONIO ſuppeditauit, quam MIDDLETONII ſcripta, (reliqua enim alterius partis ad nos plane non allata ſunt) in manus meas pervenerint, atque vix aliud praeterea exemplar in Germania obtineri poſſe credam; iniquum duxi, illa in puluere muſei mei ſitu & ſqualore corrumpi, quae a te multum deſiderata in publicum prodeſſe poſſent. Auſus itaque ſum tibi, vir excellentiſſime, eadem offerre, quae ſi adhuc vſui eſſe aliquo poterunt, neque illa aliunde iam obtinuiſti, non parum mihi gratulabor. Adieci diſſertationem primis vitae academicae

annis a me elaboratam, in qua hanc quoque controuersiam attigi: non quod aliquid notatu lectuue dignum in eadem contineri credam, cum si nunc in publicum edenda foret, multa omnino delenda, mutanda, adiicienda ipse deprehendam, quorum plura, vir excellentissime, primo statim obtutu notabis, quae pro tua beneuolentia primo aliquid in publicum euulgandi conatui condonabis, sed vt meae erga te obseruantiae testimonium exstaret. Vale vir excellentissime, meque tuo patrocinio commendatum habe. Dabam *Lipsiae* XIIII. *kalend. Febr.* cIↃIↃCCXXVIIII.

32. Nuperas tuas, ultimo Aprilis ad me datas, vltimo demum Iunii rite accepi, tibique pro transmissis beneuole ingenii tui foetibus grates persoluo decentissimas. Citius ad illas, vti par erat, rescripsissem, nisi illo ipso tempore in perficienda dissertatione philosophica, & subeundo examine practico fuissem occupatus, quibus impedimentis, vt officii intermissionem, pro tua humanitate excuses, oro rogoque. Lubens plura ad *controuersiam de medicis seruis* spectantia adiecissem, nisi nobis omne ferme cum bibliopolis, apprime Londinensibus, commercium esset interclusum; quicquid enim ex Anglia noui ad nos adfertur, illud fere omne illustri debemus MENKENIO ad quem tamen rarius aliqua Londino afferuntur. Ceterum opto, vt propediem tibi vltimam manum erudito operi admovere liceat. Adjeci tenuis laboris mei specimen aliquod, obseruantiae testimonium, & eidemque ectypum quendam iconis Aesculapii, qualem excell. PLATNERVS in gemma gestat, adieci, parum ab aliis diuersam, nisi quod insuetum quid dextera tenere videatur. Aliud praeterea dubium de eodem Aesculapio animo haeret, quippe LANGIVS noster in *historia medica* operibus suis praemissa p. 8. de modo incubandi in templis Aesculapii ita tradit: „vt autem exacte cognoscerent indicatum remedi„um, sacerdotes numerum vegetabilium, in hortis in atrio positis, „colebant insignem, quae loca prius aliquot per dierum spatium fre„quentare cogebantur miseri, vt in somno oblata planta atque re-

medium

medium statim pateret. Quod cum nulla veterum adstruat aucto-ritate, neque in CLERICI, neque tua, ab experientissimo PLATNERO mecum communicata, *historia medicinae*, vllum huius rei vestigium potuerim deprehendere, simplici eius asserto fidem dare dubitaui; quod si tua decisione animum firmare non dedignatus fueris, me tibi maxime obstrictum profitebor. Vale vir excellentissime, tuoque me fauori commendatum habe. Dab. *Lipsiae* IV. *Non. Aug.* cIↄIↄccxxIx.

GERARD. CORNEL. DRIESCHIVS. *)

Fatendum est sane Pannoniam hanc nostram cum Dacia, & Moe- 33.
sia numorum esse antiquorum feracem prae ceteris prouinciis, siue Graecos spectes, siue Latinos. Qui si ab iis emantur, qui rei numariae nec scientiam, nec notitiam vllam habent, puta Hebraeis, & colonis, qui vel ipsi eosdem inueniunt, dum terram fodiunt, & occant, vel repertos ab his pro metalli solum valore, ac τύπων, seu figurarum integritate amplius aliquid in illos erogant, vt suos faciant, aequo plerumque pretio, tametsi non semper minimo, haberi solent. Hocque ipsum est, quod me ad aliquam collectionem inchoandam animauit. Neque enim sum ex eo hominum genere, qui numos veteres, & alias istius modi antiquitates soluere quouis pretio debeam, aut possim, quod virorum tantummodo principum, atque magnorum est, qui in re lauta domi, & amplis possessionibus sunt constituti. Cum loculis meis rationem ineo, nec mihi semper, quod lubet, licet. Paucorum nihilominus annorum spatio collegi vltra cIↄcIↄcIↄcIↄcIↄ. partim aeneos, partim argenteos, & paucos quosdam aureos, non computando eos, qui mihi in duplo remanserunt, quorum haud exiguus fuit numerus ac fere tantus, quantus seruatus, si non maior. Istorum maximam denuo partem, qui sic attriti erant, vt aciem plane fugerent, vt nec legi amplius, dignosciue vlla ratione valerent, in cyathos conflari, ac vasa ipse curaui, alios ami-

*) *Eminentissimo archiepiscopo Strigoniensi a secretis litteris.*

cis obtuli pari, quo redemeram, pretio. Consueui autem argenteum, qui huc ad me perfertur ab Hebraeis, vicinis ruricolis, & aliis quibuscunque, si bene seruatus sit, & illo caream (quod, quia catalogum, atque ipsam collectionem ad manum habeo, jam scire datur) XXI. communiter, aut XXIIII, nonnunquam etiam, si plane elegans sit, obvius licet, XXX, XXXX, ac pluribus, aeneum primi, vt vocamus, moduli XIIII, XVIII, subinde XXIIII, ac triginta plane, secundi VII, VIII, vel IX, tertii II, III, aut IIII, crucigeris soluere. Aureis minus adhuc certum apud me pretium est positum. Praeter eos quos ex Germania, Gallia, Italia, Hollandia, & Anglia, vbi doctiores, quam in Hungaria nostra numorum veterum cognitores, & amatores reperiuntur, accipiebam frequentes ex Dacia, Moesia, Sclavonia, postremis item Hungariae finibus, Marcomannia, Sarmatia, vel aliunde submittebantur, hos retinere, ac seu probe adseruati essent, seu male, aequali omnes pretio pro diuersitate locorum, e quibus ferebantur iam minori, iam rursus maiori, prout venditoribus incidebat, vel forte ipsi etiam comparauerant, redimere oportebat; inde accidit, quod mihi tot in duplo, ac multum detriti, quos alias non emissem, venerint; quia illos antea inspicere, atque examinare non concedebatur. Advehebantur autem saepius vna eademque vice centuriae tres, vel duae argenteorum, aeneorumue istiusmodi numorum, atque inter illos non raro quinque, sex, aut septem cum eadem ex integro aduersa, auersaque. Quicquid bene conseruatorum (nam ceteri vt prius indicavi, omnes liquefacti fuere) apud me inueniebatur, BOVLIVS, qui res Tirolensium Vindobonae curat in consilio Caesaris aulico, ante annum unum ac dimidiatum hinc a me abstulit. Ab eo tempore nihil amplius ex recensitis superius locis propter occlusos vndequaque, ob mali pestiferi, & contagiosae luis suspicionem, transitus perlatum ad me fuit, nec tam cito esse aliquid iterum perferendum reor, quanquam apud varios varia pro me adseruari sciam. Quaedam tamen centurionis vxor vidua, abs qua, vel cuius potius marito,

multa

multa ſaepenumero ex ſuperiori Moeſia, ſeu Valachia Auſtriaca, quam poſtremo hoc infortunatiſſimo nobis bello totam denuo amiſimus, talia antiquitatis monumenta mihi conquiſita fuerant, dum hac nuper tranſiret, ad praeſcriptam alteram ex ſanis Hungariae prouinciis venientibus XIIII. dierum moram Virouillae, ſeu Mannerſdorffii, ad Auſtriae confinia exigendam centurias aeneas tres, & vnam propemodum argenteam, hic apud me reliquit, omnes genuinos ac probos, praeter quatuor aeneos primi moduli, & poſteriores quidem eleganter expreſſos vniuerſos, ceteros etiam ſic adſeruatos, vt dignoſci continuo, ac legi, plurima certe pars eorum, non magno labore poſſit; vendere non alia conditione vult, quam ea, qua olim maritus ſuus, iam vita functus, ex Dacia ad me mittere eſt ſolitus, nempe vt cuncti retineantur. Verum cum pleroſque iam poſſideam, nec viginti, ex hoc tanto numero, exceptis, haud credidi e re mea fore, ſi tot nouis duplicatis me denuo onerarem. Tu vero ſi eoſdem habere deſideras, conſtitue mihi hominem, cui ſint conſignandi Numerum illorum, ac pretium coniectum in has litteras folium te docebit. Idem HOFFCVNZIVS, qui epiſtolam mihi tuam reddidit, ſub vno mecum tecto in eadem domo commorans, mihi pariter ſignificavit (quanquam in litteris tuis ipſe nullam de hoc mentionem facis) mineras tibi quaeri, & expeti. Sunt mihi multiplices, ac praeſtantes ex omni genere, aurea praeſertim vna quae in quolibet magni principis γαζοφυλακίῳ proſtare, illudque decorare valeret, plures aliae maiores, minoreſue circiter XX. argenteae multo etiam copioſiores, in quibus aurum, argentumque tanquam in fila ductum, aut malleo percuſſum in folia, viſitur, natiuae cinnabaris magnae, ad libram unam vel duas, & vltra ponderantes tres, mediocres, ac minores plures, tum aeneae, plumbeae, ferreae caet. forte C. quas, quia natura magis in iis conſideranda venit, quam eruditio, quae numis ineſt, vbi ſe emptor obtulerit, cunctas auferri patiar; horum autem, quos tantum ſemel poſſideo, ita tenax ſum, vt nec duplicato mihi, triplicatoue, nec ſummo ſim pretio,

quo

quoad vixero, dimiſſurus. Talem namque delectationem animi ex his capio, vt emere nouos quotidie velim, ac libenter omnes, quibus careo, ſi aequo habere permittatur. Quicquid vero deinceps, quod in collectione mea iam reperiatur, & ab aerugine temporumque iniuria cuſtoditum egregie, vel commode ſaltem, ac mediocriter ſit, vel hic apud Quados, vel aliunde, vbi patefacti denuo aditus in vicinas, exteraſque regiones fuerint, conquirere potero, tibi cum ita iubes, ſeruabitur; atque de hoc ſecurum iam eſſe te plane iubeo. Ceterum ſiquid noueris, in quo tibi etiam porro ſeruire queam, pro iure tuo, quod in me iam obtines, monebis; voluntatem mihi quidem certe nunquam ſenties defuturam. Vale vir celeberrime & iſtam eruditionem tuam plurimum colenti fave. Dabam *Piſonii Quadorum* v. *Idus Novembreis* cIɔ Iɔccxxxviiii.

34 Cum ſuperioribus curſoribus ad te dederim ſatis ampliter, quae ſcire de numis hic obuenientibus deſiderabas, tum incidit mihi poſtea, quod oblitus fuerim huius numi exemplar ad te mittere, quem in nullo auctore, quantum ſcio memini delineatum, deſcriptumque adhuc vidi. Tu ſiquid certius de hoc noueris, me vti edoceas oro. Eſt ille argenteus, praeſtantiſſime ſeruatus, maiori, vt vides, forma, pondus quoque aliorum in duplo habens. Accepi eundem Buda ante annos plus minus tres plurimis aliis permiſtum, qui omnes haud magni momenti erant; ſed quod in aliis paſſus tunc damni ſum, hic abunde penſauit. Venit mihi indidem alias alius Traiani argenteus, formae ordinariae, cum typo conſueto deae Monetae, dextra bilancem ſiniſtra cornucopiae geſtantis: inſcriptio aduerſae communis cum multis aliis eſt: IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. PP. Averſae ſingulare quid habet: METALLI VLPIANI DELM. De quo quid ſentias, erudiri amabo, poſt ſenſa tibi etiam mea declarabo. Similis monetae mentionem facit MEZOBARBA in Hadriano, citatus erudiſſimum SPANHEMIVM f. 844. METAL. DELM. VLPIANI tamen

nomen,

nomen, tam amicum alias Traiano, nullibi in numis legi, praeterquam in uno, qui ſic habet: BASILICA VLPIA. Vale. Dab. *Piſonii Quadorum pridie idus Novembreis* cIↄIↄccxxxviiii.

Quid id eſſe dicam, vir celeberrime, quod cum plures iam ad te 35.
dederim, tu nullis meis nunc amplius reſpondeas provocatus, ne hoc quidem, vtrum numi, quos ita deſiderare videbaris alias, ad te peruenerint intacti. De quo equidem vehementer adhuc angor. Haud ſperem aliquod malum tibi accidiſſe, vel tuis, vt propterea proſtratus iaceas. Quicquid ſit, laetabor ſane plurimum, ſi te ſoſpitem eſſe, recteque ſemper valuiſſe, ac modo etiam valere ex tuis iterum cognovero. Vale, ac faue. Dabam *Piſonii Quad. poſtridie idus Maii* cIↄIↄccxxxx.

Ad rem noſtram progredior, intelligo numariam, qua tantum ad- 36.
ficeris, ac delectaris. Poſt reſerati denique quam nunc aditus ſunt, tametſi nondum ex omni parte, novi mihi numi venerunt ex variis locis, probe adſeruati, & elegantes, plerique argenti, aenei perpauci, & vix aliqui, exſpecto autem quotidie plures ex Dacia, Sirmia, & Slauonia, tum etiam Terentio nonnullos; ſed & promiſſos ab amico habeo Vindobona, qui iam bis Piſonem acceſſit horum oblitus. Nullos autem prius ad te mittam, quam cognovero nuper miſſos tibi redditos eſſe, aut placuiſſe. Haud enim de pecuniis recipiundis adeo ſolicitus vnquam fui, aut ero, quam de amore & amicitia tua, quae maxumi facio, conſervandis. GESSNERI *opus numiſmaticum* ex nouis litterariis cognitum iam pridem eſt mihi; nihil eiuſdem adhuc vidi, vbi vero perfectum omnino fuerit & abſolutum, ad me perferri ex Heluetia curabo. Tu autem vale, ac me tuorum in numero familiarium ſuſtine. Dabam *Piſonii Quador.* VII. *kalendas Iunias.* cIↄIↄccxxxx.

Heri denique numorum meorum ſecretio abſoluta eſt, quae cras 37.
ad BELIVM, ſicuti promiſi, perferetur; nonnihil etiam citius eandem finiuiſſem, niſi ab eo tempore, quo illam inchoaueram, du-

plex mihi ſuſcipiendum iter fuiſſet, alterum Tirnauiam, Bazinium alterum. *Vltra centum argenteos in eadem numerabis, quos inter magni tres, Gothici duo, ac Thaſiorum* unus, aeneorum primi, & ſecundi moduli par fere numerus, aut non multo certe inferior; ceteri tertiae formae, quos inter multos egregios, nec facile denuo obvios reperies, omnes, pauculis quibuſdam exceptis ex omni aere, ac forma probe adſeruatos. Tantum otii mihi non fuit, vt eoſdem in ſuas iterum claſſes diuiderem. Iſtud tibi hodie perſcribendum eſſe denuo putaui, vt non ignores plane, quid accepturus ſis. Vale, ac mihi bonus faue perpetim. Dabam *Piſonii Quador.* v. *idus Quinctileis* cIↄIↄccxxxx.

38. Septem hebdomadae ſunt, quod numos hinc ad te miſerim per BELIVM noſtrum, vti iuſſeras; ab eo tempore Vienna me complexu ſuo tenuit vſque ad III. nonas Septembris, vt propterea mirari non debeas nullas hinc amplius a me tibi redditas fuiſſe. Varios in Auguſta vrbe numos vidi, qui mihi etiamnum deſiderantur; *Maximum* tamen in argento, & *Claudium* XI. aureis Hungaricis, hunc VII. illum IIII. ibidem comparaui, & μȣσείῳ noſtro intuli. *Didius Iulianus*, quem ſaepius quaeſitum nunquam alias vidi, aut reperi vſpiam, ex hoc metallo cuſum, oculos meos vehementer feriebat; ſed ingens ei pretium proponebatur, ac maius, quam conditionis mediocritas meae ſuſtineret L. nimirum aurei, ſumma regnantis alicuius principis, aut Caeſaris (quemadmodum BVSBEQVIVS loquitur de *Dioſcoride*, Conſtantinopoli ſua aetate venum expoſito per Hebraeum) non mei marſupii; nihil tamen detrectaſſem hoc quoque pretium venditori, qui itidem Hebraeus erat, Francofurto Viennam devectus, totum numerare, niſi priuignae meae lis, quam cum ſocero ſuo habet, multas hoc a nobis tempore pecunias extorſiſſet. Interim, dum Viennae morabar, plures ex vicinis locis numi per eoſdem Hebraeos huc adlati fuerunt, quos nemo domeſticorum meorum, abſente me, iuſto aeſtimare pretio didicit. Si vero rurſus ad nos perferentur, nec ſe

prius

prius emtor obtulerit, de quo dubitare iam incipio, collectionis tuae ratio habebitur, modo istuc te velle nunciaueris, ac postremum hinc a me missi non displicuerint. Vale, ac me tuorum in numero constanter habe. Dabam *Pisonii Quador. nonis Septembris* cIↃIↃccxxxx.

Post, superioribus diebus Vindobona redux, quam primas hinc i- 39. terum ad te miseram, venit in manus meas altero statim die *Hanniballianus* optime adseruatus, numus exigui ponderis, verum elegantia & raritate insignis, qualem ante hoc tempus nunquam conspexi. Τύπος plane idem est, qui in MEZOBARBA legitur, quem in vnico de Hanniballiano rege numo recenset, Fluuius nempe decumbens, pone quem vas aquam effundens, dextra arundinem tenet, qualis etiam ad sinistram surgit. Haec tamen meum inter & MEZOBARBAE numum differentia reperitur, quod MEZOBARBA in auersa illius area notet CONOB quasi dicat *Constantinopoli obsignatus;* in meo clarissime adparet CONSS, quod idem est, atque *Constantinopoli signatus*, vel *Constantinopoli* tantum, vt s. postremum sit nota monetarii. Alia quoque diuersitas in adversa reperitur: ponit MEZOBARBA FL. CL. quod postremum CL. rursus meo deest; arundo praeterea, quam dicit dextra teneri, mihi potius contus vel remus putatur, quem vtraque manu continet, vt illo vel se Fluuius, adhibito labore & impulsu, qui conspicitur, sustinere, vel etiam alio promouere corpus velle videatur. De numo satis hactenus. Nunc aliud mihi tecum suscipiendum negotium est, quod si te auctore vel adiutore feliciter ad exitum deductum fuerit, aliquo tuo commodo, nec modico, id fiet. Iudico autem per HOFFMANNVM tuum, si tu te detrectas, nec occasionem habes, idem suscipi, atque expeditum dari commodissime valere. Res istiusmodi est, quam adiectum his litteris folium tibi pluribus explicabit. Hoc igitur opus quod ita descriptum legis, & cuius ego possessor sum, Regi vestro, qui tantus litterarum, ac litteratorum patronus audit, & vero est, vendi posse optarem. Petuntur pro eodem VI. aureorum millia, nec dimidiatum sane

pretium, quod pro confectione illius impendi oportuit, laborem haud computando & ordinem, cui pretium poni nequit. Sexta pecuniariae istius summae pars apud eos remanebit, qui operam ad hoc suam conferent, vt ne numeranda quidem sit mihi. Quo certior etiam libri habeatur cognitio, poterit is legato regis vestri, in Augusta vrbe commoranti, prius exhiberi. De eo persuasissimum esse te cupio, si opus istuc de Angliae, Galliarum, Hispaniae, vel alterius cuiuscunque regis, aut principis genere scriptum haberetur, nec sine piaculo, & summa regnantis offensa efferre prouincia liceret. Neque hoc ego nunc adtentare praesumerem, nisi, post illud quam pluribus Vindobonae ministris, & aulicis nuper exhibuissem, qui omnes idem suspexerunt, & admirati sunt, vno ore dignissimum Caesare confessi, responsum tulissem, nullam hoc tempore pecuniam prae manibus esse, nec tam cito iterum fore ad similes res emendas, vt me ista tueri semper excusatione queam. Atque sic dissolutum esse sufficienter puto, quod solum & vnicum adhuc inde obiici abs te mihi valuisset. BELIVS noster, qui codices hos non semel inspexit, examinavitque, de iisdem audiri quoque poterit, is plura referet, ac depraedicare debebit, si necessarium esse credideris. Quod optimum factu videbitur, facies. Vale, ac de numis aliquando aliquid, vtrum ad te peruenerint, nuncia. Iterum, ac semper vale. Dabam *Pisonii Quador. pridie idus Sept.* cIↄIↄccxxxx.

40. Ad plures meas iam inde abs te responsum praestolor. Proxime vero etiam consilium tuum requiram pro amico in re medica. Ceterum, quemadmodum esse futurum his nundinis animo providi, ita factum est, vt pauci ad manus meas numi pervenirent, vniuersim xv. argentei xii, & aenei iii. Hos inter *Quintillus* numeratur tertii moduli egregie custoditus in aduersa, & *Antoninus Pius* secundae formae σὺν τῷ τύπῳ duorum ancilium, praeterea inter illos reperiuntur *Seuerus*, *Caracalla* & alia nonnulla minime contemnenda numismata: quae omnia ad te perferentur. Vbi plura con-

conquisiuero, quod quidem tam cito haud credo fore, nisi Dacia aliquid subministrauerit, de quo tamen etiam vehementer dubito hoc tempore, te, vir celeberrime, certiorem faciam. Interim vale, ac nos, quod facis, ama. Dabam *Pisonii Quador.* V. *nonas Octobris* cIↄIↄccxxxx.

Per VIII. iam dies occasionem solicite quaesiui numorum argenteorum, quos solos expetis, ad te perferendorum; sed neque HOFFCVNTZIVS, neque BELIVS, neque WIELANDIVS indicare adhuc vllam sciuerunt; posterior quin adeo intra V. septimanas per ordinarios cursores nullas inde litteras, quod omnes mirantur, advenisse nunciauit; in quo tamen, quod falleretur, ostendi, cum inde recentiores abs te huc ad me perlatae sint. Quicquid sit, non tam facile illos credam incerto itineri, nisi occasio sese tutissima mihi monstrauerit. Namque dolendum summe foret, si tot egregii numi, optime conseruati, nobis eriperentur, aut aliter perirent in via. Aeneos quod hac vice mitti nolueris, doleres profecto, si vidisses, *fuerunt* enim *inter primi ac secundi moduli complures*, quorum alii propter pulchritudinem, alii propter typi raritatem, imperiali, ac duobus, tribusque florenis nostris Rhenensibus valebant. Quod reliquum est, vale, ac me carum habe. Dabam *Pisonii Quador.* XVII. *kalend. Decembris* cIↄIↄccxxxxII. 41.

Perlatus ante octiduum ad me numus e Dacia fuit percussus Albae Iuliae, seu Carolinae, honori baronis *Francisci Nepomuceni* KLOBVSICZKII, quando ante tres septimanas in possessionem noui pontificatus sui mittebatur. Is me multis modis orauit, vt iudicium de hoc sibi meum perscriberem, quod & praestiti diligenter, ad teque nunc remitto, vt illud examines, ac me, si vel aliquid non vidi, neglexique, vel perperam notaui, vicissem admoneas. Quod si & alios istic consulere praeterea volueris, per mihi sane gratum praestabis officium. Vale ac doce me aliquando, vtrum numi per SCHRECKIVM, BELII generum, eo missi, tibi sint consignati. Vale 42.

le iterum, ac ſaepius. Dabam *Piſonii Quador.* III. *id. Febr* cIↄIↄccxxxxIII.

43. Deſcriptio numiſmatis, quod ciues Albae Iuliae, ſeu Carolinae in Dacia honori pontificis ſui, *Franciſci Nepomuceni* KLOBVSICZKII, nuper in poſſeſſionem eccleſiae ſuae miſſi, cudi fecerunt. Aduerſa pars ſedentem in nubibus Fidem pallatam, radiato capite, ac longo habitu, ſiue ſtola, decoram exhibet. Noſcitur haec ex calice, quem dextera complectitur, ex quo hoſtia intaminata, itidem radiata, primum, & praecipuum fidei noſtrae monumentum, inſigne, ac ſacrificium prominet. Binae claues ab ipſo CHRISTO, auctore fidei noſtrae, diuo Petro, principi Apoſtolorum, in ſignum ſupremae in eccleſia poteſtatis, datae hinc inde conſpiciuntur, quarum altera gremio incubat, altera per genua defluit; ſiniſtra Klobuſiczkianum inſigne, ornatum pontificio galero, ſuſtinet. Pone ad latus dexterum, pariter in nubibus, adſtat Genius alatus, facie in Fidem ſedentem conuerſa, pedum dextera, ſiniſtra mitram continens. Inſcriptio, iſta legitur: DIVAE PALLADI. Quae mihi haud ſatis rem totam, & aduerſae τύπον h. e. omnes aduerſae figuras, declarare videtur. Nam praeterquam quod in re ſacra, vbi praecipue adhuc Fides in quaeſtionem venit, minime decens videatur, deorum, dearumque nomina paganorum adhibere. DIVA PALLAS praeſidem ſcientiarum ſacrarum potius exprimet, quam ipſam Fidem. Inſcriptio autem clara debet eſſe, vt figuris iuncta rem ſtatim ob oculos ponat, & comprehendi faciat. Quare ſubſtitui non inepte forſitan ex ſequentibus aliqua potuiſſet: RELIGIO VICTRIX. RELIGIONI VICTRICI. RELIGIO RESTITVTA. RELIGIO ADSERTA. RELIGIO STABILITA. aut, ſi ſatis meritorum ad hoc iam habuiſſet nouus pontifex: RELIGIONIS VINDICI. & ſic ſcutum praefatum gentilicium apte ſuſtineretur a Fide, quod multo nunc hercule melius ἐις τὴν πυϱαμῖδα, ſiue columnam, quae ante templum, ipſumque adhuc munimentum proſtat, & illius tamen honori poſita, dicataque videtur, meo quidem iudicio, tranſlatum fuiſſet. Sed ſiniſtrum latus, & auerſam deinceps

inceps quoque totam ſpectabimus. Hic primum ſe monſtrat perampli, ſuperbi, ac ſumtuoſi templi ſtructura munimento incluſa: e regione illius, extra munimentum, ſurgit a foris moles ingens, Coloſſo ſimilis; haec faſcia circumligatur, in qua legitur: S. P. Q. CAROL. id eſt: *Senatus, Populuſque Carolinus*, vel *Carolinenſis.* Inſcriptio auerſae iſta ſuperne notatur: REGINAE PROVIDENTIA. In area numi, ſeu parte inferiori annus, quo cuſus eſt numus, exprimitur ad hunc modum: MDCCXXXIII. Nunc ſiniſtri lateris inſcriptiones ſeparatim cunctas, figuris, ac notis, vt ſunt, relictis, diſcutiamus. In ſuperna parte, quae principem locum obtinet, corpuſque numi totum adficit, obſeruo PROVIDENTIA non tantum in Ablatiuo caſu, quemadmodum Grammatici vocant, poſitum; ſed, ad hoc pariter deſignandum, etiam virgula, ſiue accentu, notatum, qui contra omnem prorſus veterum ſcribendi rationem adhibetur. Quanquam nec, quid Ablatiuus hic praeſtet, video; niſi hunc effici ſenſum voluerit auctor numi: Reginae nimirum eſſe factum prouidentia, quod ſenatus, populuſque Carolinus iſta locare honoris inſignia pontifici ſuo potuerit. Quo vti genere loquendi non conſueuerunt antiqui; ſed in veſtibuli ſuprema, media, vel ima parte, in Nominativo caſu poſuiſſent: PROVIDENTIA AVGVSTA. vel AVGVSTAE. in Genitiuo caſu, loco REGINAE, quod peraeque inuſitatum in numiſmatis eſt. Circa templum vero in orbem, ſeu ἐν τῇ περιφερείᾳ (quod ad eundem fere morem in numorum non vno Neruae, Traiani, Antonini Pii, Didii Iuliani, Seueri, aliorumque pluribus conſpicere licet) addidiſſent: S. P. Q. C. OPTIMO PRAESVLI. ſi columna pontifici nouo, quod auguror, erecta fuiſſet; quod ipſum tamen monumentum non exprimit, expreſſiſſet autem, ſi vel inſigne ipſius in eadem perſtitiſſet, vel ſimili fuiſſet inſcriptione notata. Si vero Coloſſus etiam Auguſtae poſitus honoribus foret, eadem inſcriptio, vnica tantum voce mutata, rem denuo totam inſpicientibus, atque legentibus manifeſtaſſet: S. P. Q. C. OPTIMAE PRINCIPI. quae caelata in ipſa iterum columna mallem videre, quam faſcia, veteribus

ribus quidem nunquam, quod ſciam, ad ea monumenta, quae ferre aetatem debebant, adhibita. Nunc iſta monuiſſe ſufficiat, & annus, quo poſitus eſt, loco relinquatur. Numus hic, ſi conſultus antea fuiſſem, ita erat reſtituendus. Aduerſam dediſſet Regina, Veſtae habitu conſpicua, hoc eſt ſtolata, pallataque, ac VII. turribus redimita ſedens, manu ſiniſtra ſceptrum, equino capite praefixo tenens, dextera figurae, cui duo Genii ſeminudi, non alati, alter pedum, alter mitram geſtantes adſtitiſſent, in genua procumbentis digito annulum inferens cum hac Inſcriptione: PROVIDENTIA AVGVSTAE vel LIBERALITAS AVGVSTAE. Averſa Templum exhibuiſſet, munimento cinctum, huius e regione columna ſurrexiſſet, in cuius baſi gentilicium Klobuſiczkianae domus inſigne, ornatum pontificio galero, conſpectum fuiſſet. Circa haec in orbem ita ſcriptum legiſſemus: S. P. Q. C. OPTIMO PRAESVLI. Dacia, cuius ſuprema princeps Regina noſtra eſt, VII. turres in inſigni modo geſtat, veteribus autem Dacia cum ſceptro, cui caput equinum praefixum erat, exhibebatur. Inſertio annuli a REGINA ſub Daciae inſignibus, pontificatus deſignat oblationem; quibus pontifices tanquam ſponſis iuncti dicuntur.

44 Magno me hercule metu ac ſolicitudine liberaſti, quod numos, quos ante ſeptimanas plus minus XI. ad te curaueram per BELII generum, quoſque iam prope in perditis numerabam, aliquando tibi conſignatos fuiſſe ſcribas. Interea credo etiam hinc eo perlatam eſſe deſcriptionem numi cuiuſdam in Dacia percuſſi; de quo, vti & emendatione in primis noſtra quodnam tuum, quod aliorum eruditorum veſtrorum iudicium, & opinio ſit, ſcire vehementer expeto. Vale. Dab. *Piſonii* XVIII. *Februarii* cIↃIↃCC XXXXIII.

45 Notus adprime mihi PAVERVS eſt, quocum negotia ſaepe alias multa habui, & nunc etiam habeo. Is non modo litteras a te VI. kalend. Mart. exaratas heri adtulit, ſed hodie argentum quoque, quan-

quantum adſignaſti. Iſtud ignorare te nolui: ſcito etiam, quod magis hoc tempore iudicium tuum de numo, nuper in Dacia percuſſo, audire, quam inde mihi pecuniam numerari amaſſem. Hoc, ſi me, vt ſcribis, vere amas, mitte celeriter. Haerent iam a menſe multi pro me numi argentei Budae. Hi quando perferedi ſint, adhuc incertum eſt, quemadmodum & hoc, quid inter illos inveniatur. E Dacia quidem omnes prodeunt, vbi reperti fuerunt, vt boni aliquid ſperare liceat. Vale. Dab. *Piſonii* v. *idus Mart.* cIↄIↄccxxxiii.

IO. THEODOR. ELLER. *)

Exoptatum diu opus tandem ad finem perductum non ſine a- 46
nimi delectatione videre mihi contigit. Gratulor tibi, vir celeberrime, de labore iſto viriliter aggreſſo & omnibus numeris abſoluto. Tuum ſane erat eouſque adſcendere, & artis rudera in vetuſtiſſimo fabuloſae aetatis ſqualore ſepulta detegere. Nihil magis in votis nunc haberem, quam vt ad noſtra uſque tempora diductam *artis medicae hiſtoriam* cum orbe litterato communicare in poſterum haud dedigneris. Egregium certe foret inſtitutum, per tot ſaecula diſperſa, ad incrementum artis facientia inuenta anatomica, chirurgica, bontanica, chemica &c. genuinis ſuis autoribus tribuere & adſignare. Numen precor, vir clariſſime, vt in ſeros te ſeruet annos, egregium artis ſalutaris decus & ornamentum! meque tunc, quouſque ſpiro, ad quoduis officiorum genus deuinctum habebis. Vale. Scrib. *Berolin. ipſis calendis Decembr.* cIↄIↄccxxxi.

IOAN. FILSTICHIVS. **)

Quod e remotiſſimo Europae angulo, cui incluſus lateo, quaſi 47
in lucem prorumpere, ac illuſtris excellentiſſimique viri labores, quos ſcio ſatis arduos eſſe & concatenatos, ſcriptione hacce mea turbare auſus fuerim, illud non temeritati meae, ſed potius

*) *Seren. Boruſſor. regis conſil. aulic. & archiater primarius; caet.*

**) *Quondam illuſtr. Coronenſium in Tranſiluania gymnaſii director.*

tius virtuti tuae ſingulari, quae radios ſuos per tot ſiluas & montes in Tranſiluanium uſque noſtram ſparſit, tribuas velim. Nam a quo, partim ex ore ſtudioſorum inde ad nos redeuntium, partim ex litteris ad illuſtriſſimae ſocietatis veſtrae viros, vtpote excel. D. ALBRICHIVM, & piae recordationis D. DRAVTHIVM, ſucceſſiue exaratis, aliisque ſcriptis in lucem emiſſis, exquiſitiſſimam tuam, vir praecellentiſſime, eruditionem animique integritatem abunde cognoui; de eo fui ſollicitus, qua ratione tibi ex ignoto reddi poſſem paullo notior, nullo alio fine, quam vt patronum in academiis mihi in te, magnifice vir, conciliarem, in cujus ſinum meditamenta mea qualiacunque deponerem, ac ita pro voto in ſtudiorum meorum curſu progredi poſſem. Dignare proinde, vir celeberrime, quod obnixe rogo, hominem quinquagenarium, pulueri ſcholaſtico, ſatis moleſto & acerbo, vltra decennium inuolutum, vertiginiſque morbo aliquandiu laborantem, tuo patrocinio atque fauore, atque permitte, vt habeat in exoticis oris in te praeceptorem ſtudiorumque moderatorem, quem in materiis dubiis & perplexis inſtar oraculi viui conſulat. Vt autem eo clarius tibi, vir illuſtris, pateat, quanti te, tuasque virtutes faciam, offero tibi *monetam argenteam*, quam in ſcriniis habui, effigiem *Heraclii, imperatoris* alias notiſſimi, in fronte gerentem; quibus te haud parum delectari ſcio. Quam eo animo ſumas, quo mittitur, ac recipias in ſignum animi tibi tam firmiter deuincti, tametſi leuidenſe ſit munuſculum, & expecta plura huius generis dona, ſi deus vitam pacatioraque conceſſerit tempora, quibus mercatoribus noſtris non vnica in Germaniam proficiſcendi dari ſolet occaſio. Deum interea precor, vt, pro ea qua pollet gratia, te tuamque ſplendidiſſimam familiam omni felicitatis genere augeat & beet, ac in rei publicae litterariae decus & ornamentum quam diutiſſime conſeruet. Vale. Scribeb. *Coronae Tranſiluanor. d.* VIII. *Sept.* cIↄIↄccxxxxI.

48. Quod paullo ſerius, quam par erat, reſcribam, & ad honorificas

cas tuas mihi pergratas nuper huc miſſas, poſt longum temporis interuallum reſpondeam, illud minime negligentiae meae, ſed tam inopinato mercatorum noſtrorum nuper e via, quam verſus Lipſiam ingreſſi fuerant, reditui, quam belli cruentiſſime in Sileſia ac adiacentibus regnis hactenus geſti periculis & impedimentis, tribuas velim. Deo meliora nobis tempora reducente, & pacem, quam anxie & hic deſideramus, communem concedente, quod iam intermiſſum eſt, vberiori menſura compenſabo. Pro oblato munere chartaceo, & quidem e propriis ſcriniis tuis deſumpto, deque tua, vir illuſtris, vaſta eruditione haud obſcurum teſtimonium perhibente, aliiſque exhibiti fauoris honoriſque documentis, decentes, quas debeo, ago gratias, acturus deinceps, ſi vlteriori lucis vſura frui per gratiam dei licuerit, vt ſcripto, ita re ipſa. In cuius rei maiorem certitudinem denuo, vir excellentiſſime & celeberrime, aliud *numiſma argenteum* maioris ponderis & pretii, tibi forte non ignotum honorifice oblatum volo, ſi vel hac in re gratum animum tibi exhiberem; quod vt pariter ſerena fronte ſuſcipias, eſt quod obnixe rogo. Perge modo, vir excellentiſſime, ſicuti coepiſti, meae tenuitati rebuſque fauere, ac ſuppedita, quoad licuerit, in materiis dubiis mihique ignotis ſiue conſilium ſiue auxilium, quo a te adiutus, eo felicius & facilius prouinciam hanc ſcholaſticam, tenebricoſis iſtis in locis, vbi mortuos duntaxat conſulere licet, deinceps quoque adminiſtrem. Denique maiorem adhuc in modum te rogo, velis mihi VOLFFII *diſſertationem*, quam *de carceribus eruditorum* ceu *muſeis* quondam haud inconcinne conſcripſit, ac HOFFMANNI veſtri *ſchediaſma de fato phyſico & theologico*, quibus certa de cauſſa indigeo, hac occaſione tranſmittere, pretium pro illis expoſitum futuris nundinis remittam. Quod reliquum eſt precor, vir excellent. vt ſub vlteriori dei conſeruatione diutius viuas, vigeas, vireas, & floreſcas, in orbis litterati & veſtrae Academiae decus, familiaeque commodum ac ſplendorem. Vale. Dabam *Coronae Tranſiluanor.* cIↃIↃCCXXXXII. d. XVI. Aug.

 Offero

49 Offero tibi *duo numismata* pariter ex antiquitate pagana adhuc residua, quae vellem, vir celeb. tam gratissima fore, quam grata fuerunt tua dona litteraria nuper Lipsia missa. Nisi turbae nouae, quas tamen deus pro ea, qua pollet, gratia auertat, quietis modernae publicae tempora reddiderint deteriora & periculosiora, cum mercatoribus nostris Lipsiam iterum peregrinaturis plures ac pretiosiores monetas tibi mittam, vt vel hinc constet, quanti te faciam, & quam lubentissime tuis commodis inseruire, velim. Interea cum ex titulo tuo cognouerim, te Petropolitanae societatis esse socium, officiose rogare volui, vt haud grauatim, si negotia tua vtique concatenata id permiserint, *historiam Academiae Petropolitanae ac Ruthenicae* breuibus saltem tradere, cum de illius origine, professoribus, methodo docendi, & constitutione nihil legerim vel audiuerim. Adiice, quaeso, & auctorem, qui de antiquitatibus Gothorum scripserit, in quibus cupio erudiri, propter exactiorem rerum nostrarum Dacicarum notitiam. Si placeret D. BREITHAVPTI quondam professoris Halensis *institutiones theologicas*, Halae editas, annexo pretio, mihi transmittere, pergratum esset, daremque operam sedulo, vt prima occasione debita gratiarum actione, pretium libri remittere possem. Quid statuat secta dicta *die Freymaürer*, hactenus indagare non potui, de quibus pariter desidero notitiam aliquam. Quod reliquum est vitam & firmam valetudinem tibi tuisque & prospera quaelibet a deo t. o. m. precor. Scrib. *Coronae* cIɔIɔccxxxxiii. *d.* viiii. *April.*

HIERONYMVS FREYER. *)

50 *Aristophanem* in *Pluto* v. 483. iam ante inspexeram: sed hic mediam in ἱκανὸς corripit, quod ex schedula adiecta patet. Ergo alia est quantitas mediae in ἱκάνω, quam semper producit *Homerus*: differuntque quantitate primitiuum & deriuatum, vt in aliis. COELEMANNVS & KIRCHNERVS ex anthologia citant distichon sequens: ἐξ

*) *Illustr. pedagogii regii Glauchensis inspector.*

ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.
Sex horae tantum rebus tribuantur agendis,
Viueque post illas littera zetha monet.

Ex quo saltem id clarum est, non perperam legi apud *Herodianum* & *Isocratem* ἱκανώτερος, ἱκανώτατος: quod etiam admittit grammatica nostra p. 55. Ceterum posset etiam probari ἱκανότερος, ἱκανότατος, si modo vnus poetarum penultimam in ἱκανὸς produxisset. Magnam igitur a me inibis gratiam, si communicare mecum beneuole volueris tale exemplum forte alio tempore tibi poetas graecos legenti obuiam futurum. Mediam in ἱκάνω produci, grammatica nostra docet p. 325. n. 4. qui antea erat octauus. Vale. *Halae in orphanotropheo Glauchensi ad d.* VIII. *Mart.* cIↃIↃCCXXXIII.

PIVS NICOL. GARELLIVS. *)

Summae mihi delectationi fuit, vir celeb. humanissima epistola 51.
tua, ex qua & te bene valere & laudatissimis quoque studiis sedulam operam nauare intellexi; quod vero mei memor fueris, tuarumque lucubrationum, (quae, vti par est, magno apud me sunt in precio) participem facere volueris, ea de re quas maximas possum ago gratias, optaremque referre, mea si id tenuitas valeret. Equidem in adornando te *Celso*, Latino Hippocrate nostro, totis viribus incumbere gaudeo; aegre propterea fero, a me tibi nullum ex Aug. Caesarea bibliotheca auxilium praestari posse: diligenti siquidem facta perquisitione neque *mss.* vllum purgatissimi huius scriptoris *codicem*, neque vllas, tot inter varias editiones docti alicuius viri in eum labores inueni; sed quamquam muneris mei assiduis occupationibus perquam obruar, haud tamen tui gratia desistam, libenterque quos Neapoli habeo amicos, interpellabo, si quid forte ea via egregiis conatibus tuis adiumento esse valeam. Quamprimum inde aliquid obtinuero, sine mora

 tibi,

*) *Quondam gloriosissimae memoriae* CAROLO VI. *a consiliis sanctioribus & valetudinis tutela.*

tibi, vir celeberrime, ſignificabo. Intera ſi quid aliud in tua commoda poſſim, iube; tui namque ſtudioſiſſimum ſemper inuenies. Vale & me, vt coepiſti, amare perge. Dabam *Vindobonae. a. d.* VI. *cal. Iunias.* cIↄIↄccxxxiii.

IO. MATTHIAS GESNERVS. *)

52. Quid in ruſticis moliamur, docebit te programma *actis eruditorum 1732. Iun.* inſertum. Satis belle res procedit, abſolutum nuper eſt alphabetum, quod vocant typographi tertium. In indice in primis a me elaboratur, vt *lexici ruſtici* nomen & vſum tueri poſſit; & alioqui non puto bene edi auctoris cuiuſcunque librum poſſe, niſi cuius bonum indicem ante vel habeas vel confeceris. Eorum, quae typis edita ſunt, nihil magnopere a me deſiderari, ex eodem programmate diſces. Quid in *Celſo* poſſes, vir excellentiſſime, in primis magna cum voluptate didici ex *diſputatione de oſſibus conferuentibus.* Eſt penes me *Aldina Celſi editio 1528.* 8vo mai. quam commodare vſibus tuis ſum paratiſſimus, itemque *Almeloueniana* prior 1687, 12mo. Non dubito, quin apud excellent. PLATHNERVM noſtrum inuenturus ſis, quidquid fere in hoc genere poteſt deſiderari: & eſt vir humaniſſimus, & χαριέστατος. *Celſus Aldinus*, cui multa adſcripſit SCHVRZFLEISCHIVS eſt in Vinarienſi bibliotheca, fuitque meo beneficio aliquam diu in manibus excell. BAIERI collegae nuper tui, qui idem dicebatur ſaxum voluere. Habet ea bibliotheca etiam *medicos principes*, non recordor *Henrici* STEPHANI an *Aldinam edit.* quorum marginibus oppido multa commiſit NAVCELIVS. Sed, quantum narrant qui iſtinc veniunt, parum iam diſtat ille theſaurus a defoſſo. BINDERVS fuit, qui ſaecularem apud vos lauream petiit, collega tum meus, iam paganus ſacerdos. Sed eum vix ita potentem arbitror, vt reſerare clauſtra iſta poſſit; purpurato aliquo opus eſt aut conſiliario, qui quidem gratioſus ſit. Opus mihi eſt vnica obſeruatione *Victorii* in Columellam, quam periiſſe mihi video. Fruſtra hic

*) *In Academ. Goetting. eloquent. & poeſeos profeſſ. publ. ord.*

hic explicationes illas *Victorii* quaesiui per aliquot menses: frustra, metuo, Vinaria repetam, quod damni factum est. Caeterum librorum optimorum hic satis est. Sed ita fere sunt homines nostri, vt humanitatem pene omnem expromant in exteros atque hospites, inter se inuicem sint adstrictiores. Si adfueris, nullae non capsae tibi patebunt. Penes me quidem si quid sit, quo vel praesens vel absens commodare tibi possim, faciam vt sentias, in parte felicitatis haud contemnenda a me poni, si quid a me officii in virum doctum & bonum, h. e. tui similem, proficisci possit. Vale. *Lipsiae a. d.* XIIII. *Febr.* cIↃIↃCCXXXIII.

Redit ad te *Lindanus* tuus, nihil, spero, deterior, sed gratissimis 53.
gratiis onustus, non quo multum ille profuerit *meis rusticis;* sed quod scrupulus mihi exemtus est, qui suspicarer, magnum quiddam esse, quod frequenter adeo laudaretur a LICHTENHANIO. Igitur id ipsum scire iuuat, non esse quod inde petatur, praeter vinorum dulcium & coctorum rationem. Interim, quod dixi, maximae tibi a me veniunt gratiae. Tradet tibi ista collega meus perreximus, M. ERNESTI, vir non linguae tantum vtriusque, sed philosophiae etiam & matheseos peritissimus, in cuius consuetudine & familiaritate vnice acquiesco. Is cum olim maximi te, pro eo ac par est fecerit, aditum sibi ad notitiam tuam parari voluit. Pluribus non est opus, in viro quem sua tibi virtus facile conciliabit. Et satis audax sum, qui commendare tibi iam alios audeam, vix ipse admissus; praesertim litteris negligenter adeo scriptis; sed quales nimirum scribi potuere inter occupatiunculas aliquantum crebriores, quod morbus vnius alteriusque hebdomadis me ex bibliothecula & schola excluserat. Bene vale, vir excellentissime, & nos ama, vel hoc nomine non indignos beneuolentia tua, quod magnum in ea ornamentum nobis positum esse arbitramur. Iterum vale. Scribeb. *a. d.* XIII. *April.* cIↃIↃCCXXXIIII.

Liber, quem ex nupera auctione emi, est, vt ex typorum ratione ap- 54.
paret

paret volumen alterum *medicorum principum* H. STEPHANI, habetque *Aetium* ex verſione *Ia. Cornarii*, *Philaretum* de pulſuum ſcientia *Albano Torino* interprete, *Theophilum* de exacta retrimentor. veſicae cognitione interp. eod. *Actuarium* de ſpiritu animali caet. *Iulio Alexandrino* interp. *Nic. Myrepſum* ex edit. L. *Fuchſii*, *Corn. Celſum*, *Scribonium Largum*, *Marcellum* ed. *Cornarii*, *Sammonicum*, & *Rhemnium Fannium* de ponderibus & menſuris. Sed non opus erat omnia iſta adſcribere, tibi, qui vel ipſe poſſideas illud opus, vel certe quotidie inſpiciendi copiam habeas. Feci tamen, vt tanto tibi certius conſtaret, nihil a me diſſimulari. Horti Columellae quam ſcribis vetus editio eſt, puto, circumfuſa commentariis *Iulii Pomponii Fortunati*, cuius praefatiuncula incipit. „*Memorabiles horti in fabulis narrantur fuiſſe Heſperidum, in* „*quibus non poma quidem aurea, ſed tantum oleaſtri viruerunt.* „*Ante omnes vero regis Alcinoi Nauſicaae puellae patris, caet.* Communicata mecum eſt olim editio ſcriptorum rei ruſticae Ieuſoniana a. cIɔcccclxxii. excuſa. Si ab ea diuerſum aliquid eſſe penes te diuinarem, rogarem, vt illius mihi copiam facias. Ne negotii tibi plus quam par eſt imponam, mittam ad affinem meum folia aliquot alterius Bononienſis antiquae & ipſius editionis, quam cum Ieuſoniana conuenire comperi, quibus collatis potero facile intelligere, vtrum illa tua mihi opus ſit. Bene vale, vir excellentiſſime, & illud tibi perſuade, in magnae me felicitatis parte poſiturum, ſi qua in re beneuolentiam tuam mereri poſſim. Scrib. *Lipſ. a. d.* XII. *Aug.* cIɔIɔccxxxiiii.

IVSTVS GODOFR. GÜNZIVS. *)

55. Quem propter luculentiſſimos medicos commentarios, ac ſummum bonarum litterarum ſtudium illo tempore inde ſemper maximi feci, quo ad medica ſtudia animum adieci, vti te aliquando litteris adire poſſe ardenter optaui, ſic de nacta iam optima occaſione mihi vehementer gratulor. Neque de tua in me humanitate dubi-

*) *Celebris Lipſienſium medicae artis doctor.*

dubitare ſinunt ipſa illa ſtudia, quibus ab humanitate nomen eſt, quaeque adeo feliciter cum medicina coniunxiſti. Quaero autem, & per aliquot iam menſes vbique ſed fruſtra quaeſiui elegantiſſimam tuam *diſſertationem de belleboriſmis veterum.* Eamque non tam pro me quaero, etſi ea etiam aegerrime careo, quam pro excellentiſſimo Lugdunenſium in Batauis medico *van* SWIETEN altero ſane BOERHAAVIO, quem ipſe per viginti annos fideliſſimum praeceptorem habuit. Maximi is tua ſcripta aeſtimat, meque de hac tua diſſertatione mittenda aliquoties ſollicitauit. Quod ſi tibi eius exemplum ſupereſt, quo carere poſſis, facias quaeſo vt teneam, quo reſtinguere tandem SWIETENII ſitim queam. Ipſe gratus humanitatem tuam agnoſcet, ac ſi in me eſſe aliquid putas, quo tibi poſſim vſui eſſe, credas velim nunquam ad quaeuis officiorum genera adeo promptum hominem te inuenturum eſſe. Relatum eſt, te iam totum in perpoliendo tuo *Celſo* eſſe, quem ſcis omnes vere deſiderare, forte quod aliquid eſt in bibliothecis noſtris, quo eges, ſiue impreſſio antiqua, ſiue alius rarior libellus, qui eo pertinet. Curabo haec lubenti animo, & ſi quid eſt de hoc genere aliud, ſi ſtudia tibi mea non diſplicent. Equidem olim etiam inter legendum nonnulla notaueram in Celſo, ſed ſcis iuuenilem audaciam, adeo ea ipſe nunc non probo. Cel. *van* SWIETEN in nouiſſimis ſuis litteris ſcripſit, euentum ſpei de *lithontriptico Anglicano* neutiquam reſpondere. Commendo tibi mea omnia, & ſi fieri poteſt, vt breuiſſime ſaltem aliquid reſcribas, vehementrr opto. Vale. Dabam *Lipſiae d.* XVIIII. *Febr.* MDCCXLI.

ERNEST. EMMAN. GVTTORFFIVS.

Acceſſus meus Halae fuit octauo, quo a te triſtitiae plenus diſceſ- 56.
ſi, die, & in itinere Ienam allatus adii D. TEICHMEYERVM, cui & tuo & cl. FEVERLINI nomine, qui mihi diſſertationem de methodo mathematica ipſi offerendam dederat, ſalutem dixi plurimam. Talem inueni virum, qualem putaram, nempe de ſe

ſuiſque rebus cum gloria ſplendoreque lóquentem, de cetero humanitate maxima me excipientem. Inter alia hanc mouebat quaeſtionem, quid nimirum excell. profeſſores Altorfini de ſe ſuiſque ſcriptis dicerent? cui auribus eius inſeruiendo reſpondi: te venerantur, ſcriptaque tua debita extollunt admiratione. Sine dubio hoc ipſi fuit oblectamento. Cum prof. SYRBIO quoque colloquutus ſum, faſciculumque diſputationum *de controuerſia Leibnitio-Wolfiana* tradidi, magnopere ipſi gratum, ſeque ſtatim cum attentione perlecturum & excell. FEVERLINO reſponſurum pollicebatur. Faciebat mentionem controuerſiae a CARPOVIO motae, principiumque rationis ſufficientis a WOLFIO propoſitum plane nullum dari, omnique carere fundamento aiebat, hincque incaſſum de eo moueri lites. Officii mei requireret ratio vt ad cel. FEVERLINVM exararem litteras, & pro multis ab ipſo acceptis beneficiis me gratum profiterer, ſed triſtitia id prohibet. Quum enim me omnium Altorfii degentium clariſſimorum virorum conuerſatione iam priuatum videam, libentius mortem quam vitam eligerem, omniſque ſcribendi cupido mihi adimitur. Hinc enixe abs te peto, vt me apud ipſum excuſes, cum promiſſo vt in poſterum expleam, quae iam perſoluere prohibeor. Vale. *Halae Salicae* d. VIII. Maii. cIↃIↃCCXXVI.

CHRISTIAN. FRIDERIC. HAENEL.

57 *Diſſertationes iſtae*, quas adhuc in publicam lucem prodire iuſſiſti, omnes mirifice placuere, inter quas tamen prae reliquis ad palatum fuere *binae* illae, quas *de funiculo vmbilicali eiuſque ligatura* cum orbe erudito communicaſti. Res momenti eſt maximi in medicina, quam vocant, forenſi. Nonne ſexcentas ob neglectam huius funiculi vincturam capite plexas nouimus? cum medici plerique extra dubitationis aleam poſitum eſſe ſibi perſuaſerint, aliiſque, lethalem inde haemorrhagiam neceſſe oriri. Vale. Dab. *Snebergae* cIↃIↃCCXXXIII. XIII. *calend. Decemb.*

SIGE-

SIGEBERTVS HAVERCAMPVS. *)

Mihi quidem a teneris bonarum artium ingens fuit amor, ſed & 58.
a puero neſcio quod ἑλκυστικὸν ad rem numariam; non ſane illam quibus implere ſordidi ſolent loculos, ſed quibus ſaepe exhauriuntur ſacculi eruditorum, vt fiant Catulliani & pleni araneарum. Tum quidem monetas colligebam inſolitas & aliarum, quam noſtrae terrae, regionum; ex quo vero tempore aliquem eruditae antiquitatis guſtum percepi, efflictim deperii antiqua, Graeca praeſertim & Romana numiſmata, neque per aetatem decreſcere feruorem aut tepere illud ſtudium ſentio. Adfuit ſaepe bonus antiquitatis Genius, qui haud protrita eius generis in ſinum meum effudit; ſaepe quoque animoſus emtor exſtiti, neque enim aliter haec ſacra fiunt. Duo triginta itaque & amplius annos omnis metalli generis, magnitudinis, *regum*, *imperatorum*, *vrbium*, *coloniarum* caet. antiquorum numorum comparaui mihi congeriem, vt vnus plura poſſideam numero, quam qui in patria mea nunc vniuerſi. Haec iuueniliter, & forte glorioſius; ſed velim vt ex eo intelligas quantopere accepta, cara atque recreans animum meum tua mihi fuerit epiſtola, quae ſola via eſt, qua accedere ad inuicem poſſumus terris multis, fluuiis & montibus diuiſi. Bene illi ſit, qui Cadmeam artem primus inuenit & docuit, atque loqui fecit mutas chartas. Duplices ſaepe ſaepius habui multos, quum & integra muſea complura emerim. Ex illis maior pars in Libitinam aurificum abiit, neque mentiar, ſi plus mille florenis ex argenteis praecipue ea peſte abſumti aeſtimari potuerint numi. Quid enim mihi cum duplicibus, qui vix locum in ampliſſimis thecis ſingularibus meis inueniam? Reliquos duplices in auctionibus vendidi, vel ſi rariores eſſent, amicis do-

*) *Quondam per vndecim fere annos in pago quodam Belgico verbi diuini fuerat miniſter, deinde Lugduni Batauorum, in celeb.* GRONOVII *locum ſuffectus, Graecas docuit litteras, nuper ibidem vitae ſuae penſum abſoluit.*

no dedi, vel cum aliis nonnunquam commutaui. Iam vero a longo tempore nullos possideo duplices, quoniam nullos fere emo nisi rariores, qui singuli in auctionibus hic vendi solent, tam in aere quam in argento vel auro. Superest tamen via, qua intra haud longum tempus vberrime siti tuae satisfieri poterit. Magna enim copia numorum Consularium aliorumque prouinciarum mense Aprile apud nos vendetur ex insigni *museo Wildiano*, cuius catalogum vna cum his litteris ad te mitto. Excerpere inde numeros per otium poteris, atque annotare pretium, quo singulos emi tibi velis. Quod si tibi non adeo cognitum sit eorundem pretium, ego, vbi epistolam tuam acceperim, per litteras tibi significabo, quo passim pretio illi numi, quos per numeros significaveris, in hisce terris & in publicis auctionibus vendi soleant. Consulares ipse quingentos circiter possideo, atque in museo illo Wildiano paucissimi sunt, quibus ego quidem caro; *Aciliae tamen familiae numus*, quem memoras, *nondum a me obseruatus est.* Si quid in his terris vel in comparandis numis (quod tamen vix fieri poterit nisi in auctionibus publicis, quae fere singulis annis occurrunt) vel libris, vel alia quacunque re vsui tibi esse potuerim, mihi parcas nolo. *Quanta autem in re numismatica moliar* ex praefatione musei Wildiani intelliges. In *Thesauro Morelliano* XII. *Caesarum* perueni ad explicationem numorum Claudii. Tres ille thesaurus constituet tomos. Primus, qui iam impressus est (sed non nisi cum reliquis in lucem ibit) complectitur commentarios meos atque *Chr.* SCHLEGELII, quos a vidua & heredibus opera heu! LIEBII nostri τȣ̃ μακαρίτȣ emi. Secundus, commentarios meos, & paucos SCHLEGELII (quem in opere hoc diligentia maiore tamen & vbertate quam acumine sudantem mors abstulit) complectitur. Tomo tertio ipsae tabulae numismaticae exhibebuntur. Sed dum antiqua haec in lucem protraho & illustro, ecce nouum laborem mihi nihil tale cogitanti impositum, vel verius boni antiquitatis Genii munus ad manus venit inauditum hactenus antiquariis, mihi inexpectatum, & prorsus mirabile. Triduo enim abhinc

abhinc praedam nactus ſum opimam, non quidem armis Dianiis, ſed per amicos tanquam ſagaciſſimos venationis eiuſmodi canes. Qualem neque vidi vnquam neque per ſomnium ſperare poteram, neque praeuidere vllo modo. Exſpectas iam & quaeris quid tanto dignum hiatu! Theſaurus eſt, & quidem reginae quondam toto orbe famigeratiſſimae, CHRISTINAE videlicet. Quae ſicuti plurium rerum raritate conſpicuarum ardebat amore, ſic cupiditate poſſidendi numiſmata antiqua rariſſima & optime ſeruata inſaniebat cupidine. Magna cura & regio ſumtu omnes numos ſuos imperatorios Graecos & Romanos, ex aere maioris & minoris moduli, artificio mirabili, atque ad ipſorum archetyporum veritatem ſimilitudine admiranda, depingi atque in aere ſculpi curauerat manu *Petri Sam.* BARTOLI, artificis Itali longe celeberrimi. Nunquam vllum exemplar theſauri eius in lucem vel conſpectum prodiit, quia ſollicite ſibi & tabulas aeneas omnes & vnicum, quod probationis gratia adſeruabat, exemplar impreſſum reſeruabat Heroina, regali arculae incluſa omnia. Numiſmata ipſa nunc poſſidet dux quidam Italus, quae vltra centum florenorum millia aeſtimari dicuntur. Sed Fortuna mihi fauit, vt in gratiam bibliopolae mei, Petri *Hondii*, omnes illas tabellas aeneas, nulla excepta, Romae per amicos, aliquot florenorum millibus adquiſiuerim. Sunt autem numero LXV. atque dimidia fere pars numos maioris moduli continet, ſic vt ſingulae tabellae 24. orbes ſiue numos. XII. ab vtraque parte, & plures ſi caput non exprimatur, contineant; dimidia vero pars numos ſecundi vel tertii moduli, quae tabellae quadraginta orbes ſingulae complectuntur. Tabellas ipſa Roma iam recepi & bibliopolae tradidi, iſque pecuniam venditori. Domi autem meae impreſſum exemplar habeo, atque ſepoſitis tantiſper quaecunque ſeponi poſſint (octo enim operarii in typographeo libris libelliſque, quos nunc quidem ſub prelo habeo, quotidie & mihi ſoli deſudant) cras auſpicato (vt ſpero atque fauente ſupremo numine) ingens illud opus auſpicabor, ad cuius impreſſionem noui characteres funduntur, admodum pulchri, vt quanpote ma-

gnifice & ſplendide REGINAE CHRISTINAE ille theſaurus in lucem prodire poſſit. Quid octo homines mei vnius gratia faciant ſi quaeris, celare equidem te nolo, qui, quod cogito in aperto plerumque habere ſoleo. Vnus *hiſtoriam vniuerſalem*, quam ex millenis numis antiquis in lucem profero, mihi typis luculentis & charta puriſſima procurat. Quatuor tomis abſoluetur, ex quibus iam tres prodierunt, ſermone patrio in amicorum gratiam & familiarium, labore tamen haud mediocri; nam vt, quae ad eruditionem & hiſtoriam ſpectant, tranſeam, in puritate ſermonis noſtri, in candore ſtili, in orthographia & grammatica caet. multum mihi taedii deuorandum fuit. Pauciſſima imprimuntur exemplaria, quia tabellas numiſmatum numero ducentas amplius Latino operi, cui titulus erit *Theſaurus Regius*, & de quo in praefatione ad *Ioſephum* mentionem inieci, inſeruire, neque Belgica hac editione deteri volo. Tres tomi prodierunt, & poterat quartus hoc ipſo comparari anno, niſi CHRISTINA regina mihi manum inieciſſet. Secundus ex operariis verſatur in *Theſauro Morelliano*, qui ad quintum ſui alphabetum peruenit. Tertius & quartus in ſplendidiſſima nouaque *Salluſtii editione* in 4to. in qua omnium virorum doctorum notae, mea cura diſpoſitae caet. adparebunt ſolis Cortianis exceptis; nocere enim nemini volo, neque eius officere editioni. Quatuor reliqui verſantur in opuſculis, quae quidem ego parente orbata, vel procul agentibus deſtituta, tanquam manu obſtetricante ſuſcepi, meoque foui ſinu. Ex bibliotheca videlicet mea edo libellos aliquot *Ioannis* NICOLAI, quos feliciter ab interitu, locis vbi piper & odores vendunt, eripui, atque blattis & tineis ſubtraxi. *Io. Bapt.* OTTII quoque *ſpicilegia* ex *Flauio Ioſepho* ad n. t. illuſtrationem RAPHELII caet. exemplo, vſque ex Helvetia a ſene decrepito mihi tranſmiſſa, modo prelo dedi. Poteruntque minores hi libelli intra menſis, vt ſpero vnius aut alterius ſpatium abſolui; cui tum curae ſuccedet noua Sparta. Memoriae enim *Io. Alb.* FABRICII, generoque eius REIMARO gratificaturus, curam editionis ſplendidiſſimae *Dionis Caſſii* cum anno-

tati-

tationibus eiusdem FABRICII imponi mihi passus sum. Specimina eius & conditiones (volunt enim per subscriptionem edere) mense Iunio videbis. Nescio an *Orosium* meum numis rarissimis onustum, an *dissertationem de veteri Gr. alphabeto*, numis plurimis illustratam, siue II. tomos, quos *sylloge de recta & vera linguae Gr. pronunciatione* complectitur aliasque nugas meas videris. Quaeso ad me scribe, quos ex meis libros possideas, atque vtrum noris aliquem, qui excerpta ex illis facere possit, quae inserantur *Actis Eruditorum Lipsiensibus*, talem enim sibi dari in Germania optant bibliopolae mei, qui frustra exemplar vnum aut alterum ad MENKENIVM miserunt, nimis multis rebus, vt puto, occupatum. Homo loquax & scribax, tibi dudum forte molestus, hic, reliquis tuis propediem responsurus, desino. Caeterum scito, non te magis acquisitione Othonis tui, quam me te amico νεώνητῳ delectatum. Vale. *Lugd. Bat.* XXVIIII Maii. cIɔIɔccxxxx.

IO. HENR. DE HEVCHER. *)

Non possum verbis consequi, quantum laetitiae voluptatisque litterae tuae attulerint, quibus neque optatiores, neque iucundiores afferri potuissent. Ex quo amicissimus mihi HEISTERVS Altdorfio discessit, nunquam non optaui, vt amicum obtinerem, qui huius in Academia vestra resarciret iacturam. Ecquid me putas iam gaudere posteaquam ex insperato talem nactus fuerim in dignissimo eiusdem successore? Gauderem adhuc magis, si tuo me quoque fauori dignissimum reddere possem. Ex quo SERENISSIMVS REX munus mihi imposuit *conquirendi* varios *rerum naturalium thesauros*, de subsidiis, quibus id efficere queam vndique dispicio. Forsan iam tibi innotuit, vir excellentissime, regium institutum? sin minus, dabo in posterum operam, vt melius innotescat. Id saltim non negabis, ex fertili petrefactorum segete, quam Altdorfinus ager profert, quamque *Baieriani commen-* 59.

*) *Sereniss. Poloniarum regis & elect. Saxonici consiliarius aulicus & archiater primarius, medicinae in Acad. Vitembergensi profess. caet.*

mentarii loquuntur, in noſtros quoque vſus redundare quaedam poſſe, quae, ſi rariora fuerint, ſumptibus nos non parcere te ſcire vellem. Carpolithos, inter alia, eoſdemque praeſertim veros, operoſe inueſtigo, eo quod eorum hiſtoriam conſcribendi prouincia mihi ſit tradita. Intelliges ex his, non in colligendo ſolum, ſed & edendo nos eſſe occupatos. Eam ob rem, quae RIVINVS *de terris medicis* conſignauit, aeque ac terras ipſas, quas poſſedit, regiis comparaui ſumptibus, propediem edenda. Interea temporis dum haec meditor, venit in mentem, me quondam in *Memoria Wurffbainiana*, ipſiſque legiſſe *Germanorum ephemeridibus*, etiam hunc virum de *terris ſigillatis* quaedam eſſe commentatum, quae adhuc apud heredes lateant. Cum is Noribergenſis fuerit, rogo te, atque obſecro, imo obteſtor, velis in id incumbere, vt, num compotes *mſcti.* fieri poſſimus, quantocyus reſciam. Sed tuo, precor, nomine rem agas, ne, ſi quando pro REGE id emi reſciuerint heredes, maius, ac par eſt, ſtatuant pretium. Tantum me tibi exinde debere exiſtimabo, quantum perſoluere difficile erit. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo quod ſentio: nihil eſt, vir celeberrime, cum omnia a te expectem, quod mihi gratius facere poſſis; nihil eſt, quod non viciſſim poſſis expectare a tui ſtudioſiſſimo HEVCHERO. Vale. Dab. *Varſauiae* XIIII. *Aug.* cIↃIↃCCXXVI.

60. Redditae mihi fuerunt amantiſſimae litterae tuae d. XXI. Febr. ſcriptae. Eſt & in manibus noſtris *manuſcriptum Wurffbainianum*: ſed a cl. BAIERIO nihil adhuc dum reſponſi. Forſan, negotiorum mole obruto liberum non eſt reſpondere. Ego, morae impatiens, ad te tranſmitto tabulas aeri inciſas, humillime rogans, velis meo nomine ſalutare virum excellentiſſimum, & ab eo impetrare, vt ſi quos habeat his tabulis non depictas terras, delineationes earundem, ſi non terras ipſas, mihi quantocyus impertiatur. Soluam ſedulo quicquid erit impenſarum. Quaeſiui nuper ex illuſtriſſimo comite MANNTEVFELIO quale reſponſum Peterſ-

terſburgo acceperit? reſpondit ille Ruſſos iam de alio eſſe ſollicitos, interea meritorum tuorum ſemper futuros memores. Opus, quod meditaris, quod perficis, luce publica eſt longe digniſſimum. Miror, quod inter auctores, quibus vſus es, BARCKHVYSENII & FREINDII *hiſtoriae medicinae* nullam feceris mentionem. Compilaui & ego olim quaedam ad hoc argumentum ſpectantia, ſed tanti polyhiſtoris, qualem te aeſtimo, perluſtratione plane indigna. Attamen habebis ſchedas mox atque rediero in Saxoniam, non, quod credam te vllam exinde capere poſſe vtilitatem, ſed quod velim illas optimae meae in te voluntatis teſtes. Quod reliquum eſt, caelum terramque mouebo poſt reditum, vt imprimatur liber, vt frui laboribus tuis poſſis: fac modo, vt reſciam, quale ſtatuas illis pretium. *Terrae Arabicae & Turcicae* optant interpretem. *Anatomicae hiſtoriae ſpecimen* I. vidi; ſed non vidi ſecundum. Interea vale, vir celeberrime, mihique amicitiam tuam nunquam ſatis aeſtimandam conſerua. *Varſauiae d.* XXVIIII. *Martii* cIↄIↄCCXXVII.

De ectypis terrarum ſigillatarum Arab. & Turcicarum recte iu- 61.
dicas, ſpero attamen te quorundam ex illis interpretem futurum felicem. Quae ex *Abulpharagio* & *Herbeloto* ſuppeditare conſtituiſti, mihi erunt perquam grata. Baieriana ſupplementa exſpecto auide. Ego nunc totus in eo ſum, vt ingentem rerum, quae me abſente ad nos peruenit, copiam, in ordinem redigam atque diſponam, poſtea opellae, quae petrefacta Lithuanica & Polonica recens detecta exponet, manum admoturus. Tu interea & tibi & mihi vale. Dab. *Dreſdae d.* X. *Iun.* cIↄIↄCCXXVII.

Quod tardius paullo ad amantiſſimas litteras tuas reſpondeam, in 62.
malam nolim, interpreteris partem. MIDDLETONIVS in cauſa eſt, quem vna cum his litteris ad te mittere volui. Omni a me actum eſt induſtria, quo librum inuenirem; ſed nec meae ſpei reſpondit opera, nec voluntati tuae, quod maxume animum excruciat. Vnum tantum laſciui ingenii foetus exemplum Lipſiam

adlatum eſt. Id omnibus PLATNERVS profeſſor eripuit: ſed CRELLIO cuidam donauit. Is mutuo dedit WOLFFIO, Dubenſi medico, homini turbulento, in ſimpulo fluctus mouenti, qui ad ſe pertinere credidit, vindicare medicis illatam iniuriam. Quanquam omnis antiquae hiſtoriae, & literarum ignarus eſt, audet tamen de ſe promittere, quod homine indocto maius eſt: at librum reddere inde noluit. Expectant eundem bibliopolae Lipſienſes, & MENKENIVS quoque eius ſpem facit. Nihil, quaeſo, dubitabis, me aduentui inhiaturum eſſe, vt alios occupem, & ad te quantocyus mittam. Tandem ectypa terrarum Baierianarum, quae inter noſtra non reperiuntur, ad manus noſtras peruenerunt. Vereor, vt vanam ludas operam in enodandis characteribus Arabico-Turcicis, terris noſtris impreſſis. Si vera ſunt, quae *Bellonius* habet, omnes characteres eiuſmodi, glebulis impreſſos, varios licet, ac diuerſos, duas tantum Arabicas dictiones ſignificare, fruſtraneus erit & tuus & aliorum labor in iis explicandis. Pro KEHRIO tuo agam quicquid potero, licet ſint, qui dicant, Arabice doctiorem Lipſiae reperiri. Recordor & ego, CLODIVM Lipſienſium in *Bibliotheque Germanique Kehrianam numi Mogolici interpretationem multum caſtigaſſe:* &, ſi ingenui pudoris eſt, profiteri per quem profeceris, KEHRIVS certe in explicatione numorum Cuficorum HERBELOTVM, GOLIVM & HOTTINGERVM laudare debuiſſet. *Hiſtoriam medicinae* auide expecto aeque ac *diſſertationes tuas*, quae moram operi iniecerunt. *Hoffmanniani commentarii*, vt verum fatear, expectationi noſtrae non reſponderunt. Proluſiones, quas ſubiunxit, magis placent. Commoratur adhuc dum apud nos SERENISSIMVS BORVSSIAE REX, & cum inſigni animi voluptate commoratur. Bibliothecis & muſeis regiis examinandis aliquot horas impendit, ſeque non nudum eſſe rerum ſpectatorem oſtendit. Praedicare ſatis nequeo ſummi principis ſummum in litteras amorem, mirari profundam multarum rerum ſcientiam. Cras *Ruyſchianorum praeparatorum*, quibus theſauros noſtros ornare voluit optimus ſenex, & quae heri

heri demum Amſtelodamo huc peruenerunt, demonſtrationem expectat, eo auidius, quo magis notum, anatomes & chirurgiae incrementa curae cordique optimo regi eſſe. Eminent inter illa pericranium, cerebrum, lingua, brachium, teſticulus humanus, & cotyledon: omnia nitidiſſime, vt noſti, praeparata. Ceterum quicquid eſt apud nos viſu dignum, eſt autem perquam multum, id omne non conſpicit ſolum, ſed & conſiderat REX ſciendi cupidiſſimus, & probat. Ipſe hinc iudicare facile poteris, quantum inde nobis gratulemur omnes, quantum debeamus REGI noſtro, cui tribuendus ſoli tantus vrbis noſtrae ſplendor & dignitas. Inter haec omnia vix dies elabitur, qua noua non celebrentur ſpectacula, qua non, quicquid oblectare animum MAXVMI HOSPITIS queat, excogitetur. Quantum ad ſeria negotia, haec me penitus latent, & latebunt, vtpote rerum, quae ad me haud pertinent, ſciendi minus cupidum. Id quod mihi inter haec omnia reſtat temporis, lucubrationibus tribuo. Eſt enim conſtitutum, de petrefactis, in Polonia, Lithuania & Pruſſia noſtra recens detectis quaedam in lucem edere, quam ob cauſam BAIERVM veſtrum rogo denuo, velit de tranſmiſſis mentem ſuam exponere. Sed cum is opus habeat monitore, te obſecro, vir excellentiſſime, velis precibus tuis, vt voti quantocyus compos fiam, efficere. Ego viciſſim in omnibus meam tibi polliceor induſtriam, eam, quaeſo, non deſpice, & vale. Dabam *Dreſdae* I. *Febr.* cIↄIↄccxxvIII.

En tibi ſcriptionis impedimenta, quorum alterum fuit Berolinenſe Frauſtadienſeque iter, alterum rerum, quae artes ſcientiaſque exornant, in regios porticus collocatio, tum & regiae valetudinis cura. In his duobus labor noſter occupatus eſt omnis, dum & in hac confirmanda, & illis in ordinem digerendis, integros dies conſumſimus, & conſumimus adhuc dum. Certe, ſi aedium iſtarum, quas REX ſcientiis deſtinauit, magnificentiam ſpectes, ſumtuoſiores nondum vidit Europa; ſin apparatum, non inſtructiores. Reperias ibi omnia omnis eruditionis auxilia, ha- 63.

bes hic, quod omnium, qui artes & ſcientias colunt, deſiderium expleat, habes denique illud omne publicis expoſitum vſibus. Atque cum REX, habita valetudinis ratione, iter Lithuaniam diſtulerit, hyemales noctes deſcribendo huic apparatui impendam, & tecum omnia, antequam in lucem proferantur, communicabo. Quantum ad *Middletonianam* attinet *controuerſiam*, noſti ex nouis Lipſienſium literariis, quam acri animorum contentione res haec agatur. Niſi itaque eorum omnium, quae in hoc argumento ſcripta ſunt, copia tibi ſuppetat, vix e re tua futurum credo, vt te huic immiſceas contentioni. Ea vero ſi a me deſideras, tantum abeſt, vt tibi illorum a me copia fiat, vt mihi ipſi, primum MIDDLETONI ſcriptum, mutuo ab amico quodam Lipſienſi petendum ſit. Quem ex vxore ſuſcepiſti filium gratulor, & paternarum virtutum opto heredem. Gratias tibi pro tranſmiſſis diſſertationibus refero maximas, quarum & argumentandi vis & argumenta, & erudita elaboratio celeberrimi nominis tui gloriae optime reſpondent. Cum RVYSCHIO & de arte ſua, & de artis operibus adhuc agimus, neque adhuc dum de pretio inter nos eſt conuentum. Quibus hic rei anatomicae cura commiſſa eſt, illi nec SCHVLZII ſunt, nec TREVII. Breui, nihil agunt, nec multum acturos credo. Interea vicem tuam doleo, & cum ampliori theatro ampliora tibi opto ſtipendia, ingentique flagro deſiderio videndi praeparati illius, ex tua liberalitate ad nos perventuri. Tuebitur id apud nos in perpetuum nominis tui honorem & vna cum Ruyſchianis noſtra mirifice exornabit. BAIERI mordacitatem non miror, ipſe eius moroſitatem expertus, dum de tranſmiſſis quibuſdam petrefactis ſententiam ſuam nondum expoſuit. HEISTERVS, olim veſter, nuperis his diebus, ad illuſtrem quandam, in vicinia, feminam accerſitus, huc me ſalutatum acceſſit. Vellem & tui hic videndi detur aliquando copia, amplectendique cominus, quem eminus ſemper colui. Plura, temporis anguſtia praepeditus non addo, quam quod te vna cum tuis valere iubeam. Dabam raptim *Dreſdae d.* IV. *Septembr.* cIↃIↃCCXXVIII.

Et

Et libri, & litterae tuae mihi sunt redditae. Respondit expecta- 64.
tioni meae euentus; adeo enim liber iste tuus laudes tuas loquitur ipse, vt nostris non indigeat. Tradidit illum SERENISSIMO REGI comes FRISIVS, & cum commendatione tradidit. Hoc vel inde iudicare poteris, quod ab eo, quo comiti exemplar nomine tuo obtuli momento, is legere librum coeperit, & ita lectione delectari, vt, finita vix hebdomade, illum finiuerit. Iussit ille vt gratias tibi soluam pro munere, vt nomine suo tibi dicam, sibi persuasissimum esse, hoc in argumento neminem te melius scripsisse, vt tandem te reddam certiorem, se, mox atque auris illa tua anatome cimelia regia exornaueris, tui quam maxime memorem futurum. Ita vero spero omnia ex voto tuo me & egisse & acturum adhuc, prout in litteris XXII. Septembr. ad te datis significaueram. Ceterum & MANNTEVFELIO comiti donum tuum obtuli, qui gratias agit, quas & ipse reddo, quantas possum, maximas. Tandem aliquando & a cl. BAIERO responsum accepi, quo de lapidibus olim transmissis mentem suam exponit. Consentit mecum in plurimis, in reliquis vna cum me dubius haeret. Ego nunc in eo totus sum, vt rariora, quibus abundant thesauri nostri, exponam, a petrefactis initium facturus. Hi indies maiora capiunt incrementa, quod vel inde iudicabis, quando intelliges, ea quoque, quae purpuratus GVALTIERIVS olim collegit naturae & antiquitatis opera, Roma Dresdam translata esse. O! vtinam itinerum impedimenta otia nostra non adeo turbarent, o! vtinam laborum nostrorum fila tantum non rumperent. Interea temporis agimus quod possumus. Ego te bene agere, beneque valere iubeo. Dabam in *arce Mauritiana d.* XVI. *Nouembr.* cIↄIↄCCXXVIII.

CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS. *)

Cum iam olim abs te amari me cognouerim, vir excellentissime, 65.

*) *Litteratissimus Gottingae theologus & hist. litter. prof. publ. ord.*

non dubito, has ad te dare literas, prouocatus quodammodo a te beneuolentissime. Publice scilicet nuper in *secundo tomo Actorum erud. Franconiae.* p. 427. iussisti ad te mitti *codices mss. orientales*, pollicitus, te eos remissurum cum relatione de contentis & pretio *msti.* Cum igitur in bibliotheca nostra publica sit liber *ms. Arabicus*, eum mitto, adiectis precibus, vt proximis Brunsuicensium nundinis eum remittere ne graueris, simulque me docere, quid argumenti hoc libro contineatur, & quanti is habendus sit. Gratissimo ingentem hanc beneuolentiam agnoscam animo, nec vlla in re tibi deerunt officia mea studiaque, modo occasio tibi gratificandi afferatur. Adieci schedulam, quam & ipsam remittas quaeso, cui REIMIVS, vir Arabice doctissimus, suam inscripsit de hoc codice sententiam. Cum vero ei ex solo titulo fuerit iudicium ferendum, non mirabor, si errasse fuerit deprehensus. Mittes vero tuas literas vna cum hoc codice Brunsuicum ad celeb. APINVM, qui eum tradet nostris mercatoribus. Vale, vir ingenio, doctrina, fama florentissime, & me tui obseruantissimum fauore tuo beare perge. *Gottingae* XXI. *Ianuar.* cIↄIↄCCXXX.

66. Quam cupide opem feras iis, vir celeb. quibus tuo est opus auxilio, clarissimum documentum habeo literulas illas, quibus me doces, qualem quantumque librum Arabicum habeat bibliotheca nostri gymnasii. Agnosco, vir excellentissime, humanitatis tuae magnitudinem, ac me profiteor pro hoc tuo beneficio ad quaeuis officia paratissimum. Gratias item, quas debeo, (debeo autem maximas,) ago pro duobus programmatibus, adiectisque *odis* rarissimae eruditionis, itemque pro doctissima illa *disputatione de verbo* προσκυνεῖν. Amo vero Academiam Altdorfinam, & amore, imo & admiratione dignam iudico bonorum omnium. Semper ea alit heroes aliquot literarios, inter quos tu nunc es, vir prorsus eximie, & alii plures, e quorum numero exemtus nuper est ZELTNERVS, vir mea laude maior. Qui qua permotus causa pro Helicone rus elegerit, ex te scire gestio, ideoque te rogo maiorem

in

in modum, id vt celare me nolis. Scis, quam curiosum se praebeat BAELIVS in investiganda causa, qua motus Carolus v. ex aula transierit in monasterium. Non minor, fateor, me cupiditas incessit cognoscendi ἀποστασίας, vt ita dixerim, Zeltnerianae causam. Mitto disputationem Iubilaeam, nec dubito, eam abs te maiori, quam meretur, exceptum iri benevolentia. SPEIRMANNVS tuus viuit adhuc & viget, accepitque, quae mitti ad ipsum voluisti. Pagus, cuius pastor est, distat hinc 18. milliaribus. Vale, vir summa & eruditione & virtute conspicue, meique beneuole memor esse perge. *Gottingae* XXIV. *Sept.* cIↃIↃCCXXX.

IO. MICHAEL HEVSINGER. *)

Non commilitonem me vnquam, sed discipulum habuisti & audi- 67.
torem, cui primus Graecarum litterarum amorem inspirasti, dum a. cIↃIↃCCXI. *Epicteti enchiridion* & alia praelegisti. Hinc non molestum tibi fore spero, si nunc etiam te praeceptore vti voluero. Dum enim proxime iussus sum *Aesopi fabulas Graecas* in vsum gymnasii nostri edere, easque vulgo parum emendatas legi video, nec tamen ad eas elimandas satis subsidiorum habeo, etsi & *ms.* bibliothecae nostrae exemplar, & veteres editiones plures ad manus sunt: magnopere a te potissimum doceri cupio, vtrum Anglicanae editiones, quarum nulla mihi copia est, atque in primis *Hudsoniana*, a *Neucletina* multum discrepent, variantesque earum lectiones dignae sint, quae excerpantur. Non dubito, quin apud te illarum sint aliquae, egoque tuorum auditorum alicui, quem idoneum putas, huius operae pretium gratus persolverem. Nulla aliunde spes est, postquam & Lipsiae, & alibi, frustra haec exemplaria requiri cognoui. Interea grati animi exiguum hoc munusculum accipe, *Iuliani Caesares*, quos superiori anno, amici casu, LIBII nostri, coactus, in lucem emisi, &, si eos non indignos putas, quos bibliothecae tuae adscribas, in hac, tanquam mei in te animi pietatisque meae obsides, adserua. Ego vero

*) *Illustris gymnasii Isenacensis director.*

vero omnem captabo occaſionem, qua non indignum plane te, vir illuſtris, diſcipulum, nec immemorem ingratumque oſtendam. Vale, & de ſalutaribus artibus, boniſque litteris, vt ſoles, merere immortaliter; me vero in tuorum cultorum ac clientum numero habe. Iterum vale, patrone ſumme. *Gothae* IIII. cal. Septembr. cIɔIɔccxxxvII.

68 Praeceptorem te mihi aliquando fuiſſe, nondum gloriari deſino, cum a. cIɔIɔccxI. & ſequenti in numero eorum fuerim, qui ſeminario praeceptorum in paedagogio regio tum erant adſcripti. Aduerſa autem valetudine, qua plures ex eo tempore annos ſum conflictatus, Halam a. cIɔIɔccxIII. relinquere coactus fui, quam nunquam poſtea mihi repetere licuit. Teſtis huius rei erit breuis STVSSII noſtri ſcriptio, qua extrema vita mea breuiter narratur, quam ideo exhibeo. *Iuliani Caeſares meos* tibi, talium rerum vni omnium peritiſſimo viro, non diſplicuiſſe, non parum gaudeo. Vtrum vero iudicium meum, quod p. cxxxxII. de loco illo βλασφήμω tuli, probes, ſcire peruelim. Verboſam illam adnotationem Hamburgenſis theologi celeberrimi, I. C. WOLFII, a nobis diſſentientis, epiſtola aliqua elicuit. *Tuam de Thaſiorum numis commentationem*, quam ampliſſimus LINGIVS noſter iam pridem mihi laudauit, non ſine magna voluptate, cum primum accepero, perlegam. Mandata tua, & quae iam dediſti, & quae poſthac dare volueris, curabo diligenter, omnique ſtudio, officio, opera id adſequi conabor, vt & ipſe, & ceteri omnes intelligant, me ſummi nominis tui cultorem eſſe obſeruantiſſimum deuotiſſimumque. Tu vero, vir illuſtris, non moleſte, ſpero, feres, me, nimio forſan perpoliendi *Aeſopi mei* ſtudio, ſaepius tibi litteris precibuſque meis grauem eſſe, &, quicquid mihi commodaueris, diſcentium ſtudiis commodari exiſtimabis, gratiam autem, quae tibi debebitur, a me ſolo repoſces. Vale, ac reipubl. litteriſque, de quibus optime mereris, diu vige ac flore. Dabam *Gothae prid. id. Sept.* cIɔIɔccxxxvII.

FRIDE-

FRIDERICVS HOFFMANNVS. *)

Recte omnino ad me perlata ſunt, quae porro de meis conſignaſti. Attentus perlegi cuncta & tam nitida atque exaſciata deprehendi, vt a nemine, quam SCHVLZIO meo, ſic conſcribi potuiſſe, merito credam. Sed ipſum hoc miro animum affecit deſiderio, reliqua eodem modo contexta quamprimum obtinendi; certum, ſingularem quam fragmenta pepererunt oblectationem, incomparabilem prorſus fore ex integro ſcripto. Quare, ſi quid preces meae apud te poſſunt, poſſe autem multum confido, perge, rogo, ſedulus in elaborandis quae reſtant, & matura opus, quo mox, & viuus adhuc, voluptate hac perfrui queam, videndi publicum memoriae meae monumentum. Ego certe omnia liberali redimam honorario, ac vt te collocati non poeniteat laboris, ſed quam tibi ob id obſtrictus ſim, re ipſa ſentias, faciam. Auidus etiam exſpectaui *hiſtoriam tuam medicinae*, ſed nondum accepi, neque etiam inter edita, aut edenda, in Lipſienſi catalogo vidi. Si prodiit, mittas, quaeſo, proxime, quia ex omnibus optimam illam fore, ſperare iubet ſingularis tua in hoc etiam campo eruditio. Quas ego nouiſſime edidi diſſertationes adieci binas, nec non primum medicinae rationalis ſyſtematicae tomum, multis acceſſionibus & expunctis quibus ſcatebat mendis, his nundinis recuſum. Tu vero, vir excellentiſſime, fac, iterum obſecro, vt propediem deſiderii mei compos fiam & ſaluus ſemper incolumiſque perenna, ac mihi, vt facis, fauere perge. Scribebam *Halae* VIII. *calend. Nouembr.* cIↄIↄccxxvIII. 69.

Tres iam abs te, vir celeberrime, accepi epiſtolas, vna cum iis, quae de conſignatione vitae meae deſideraui, nec non *hiſtoria medicinae.* 70.

*) *Quondam sereniſſimo Boruſſorum regi a conſiliis ſanctioribus, & ſalutis tutela, comes Palatinus Caeſareus, primarius in patria medicinae profeſſor, totiuſque Academiae Fridericianae ſenior, Academiarum imperialium naturae curioſor. & Petropolitanae, regiarum etiam ſocietatum Londinenſis atque Berolinenſis ſodalis.*

Veniam autem dabis ſerae reſponſioni, quam fecit vehemens catarrhalis morbus cum tuſſi conuulſiua, qui me ipſis calendis Ianuarii prehendit. Nunc quum tantiſper inducias dat, multis nominibus vt tibi grates referam, habeo. Primum eſt ob abſolutam vitae meae deſcriptionem, quae mihi vbique perplacet. Nec eſt, vt tibi refingendam remittam, ſed quae expungenda, addenda, vel vberius illuſtranda, ipſe facili negotio perficiam. Multum certe tibi ob id debeo. In cuius teſtimonium ceu teſſeram his adieci viginti vncialium honorarium, nullam praeterea occaſionem commodis tuis inſeruiendi praetermiſſurus. Dein gratiſſimum mihi fuit munus *hiſtoria medicinae*. Offendi hanc omnino te dignam, & praeter concinnum ordinem & elegans ſcribendi genus, omnia cum iudicio ex antiquitatum monumentis eruta. Id autem mecum optabunt atque a te cl. SCHVLZI efflagitabunt omnes, qui norunt, quam pauci huic labori pares ſint, vt quam primum ad colophonem perducatur ſcriptum vniuerſum; quum potior hiſtoriae recentioris pars ab aliis vel plane ſit omiſſa, vel perfunctorie tantum pertractata. Annuat voto meo ſummum numen, tibique cum perpetua felicitate vires firmamque valetudinem largiatur, quo multum adhuc ad publicam vtilitatem conferre literariamque rempublicam modis tibi deuincire poſſis quamplurimis. Vale vir celeberrime, & mihi fauere perge. Dab. *Halae d.* XVII. *Ianuar.* cIↄIↄCCXXVIIII.

71. Adeo ſiles pertinaciter, vt noſtri priſtinaeque amicitae memoriam depoſuiſſe videaris tantum non penitus. Miror id ego, miratur & filius. Qui tui ſtudioſiſſimi, nihil admiſſum nouimus, quod animum reddere potuiſſet alieniorem. Ne tamen quicquam omiſiſſe videar ego, en! has amici atque propenſi animi teſtes, quas tranſeunti Altorfium medicinae cultori ſolerti, CARLIO, vna cum nouiſſime edita diſſertatione & concinnato ab amico ſcriptorum catalogo tradidi, tibi reddendas. Quid tu egeris & interea docti meditatus ſis, ſcire aueo. Fac igitur, vt quamprimum de tua incolumitate, amicitia & fauore reddar certus. Ego vero, quoad

vixero,

vixero, ero tibi, vir excellentiſſime, omni ſtudio addictiſſimus. Dabam *Halae idib. Octobr.* cIↄIↄccxxx.

I. B. HOFFMANN.

Humaniſſimis tuis, vir excellentiſſime, litteris incredibiliter ſum 72.
exhilaratus. Non enim grauiſſimi ſolum teſtes ſunt maximi tui in me fauoris, ſed mihi etiam fidem faciunt minime dubiam, opellam tibi meam non ingratam fuiſſe. Qua de re mihi eo magis gratulor, cum eandem non faſciculo, ſed faſce egregiorum ſcriptorum ita largiter remunerari non ſis grauatus, vt omnibus meis, ſi qua ſunt, officiis, nedum vlla gratiarum actione beneuolentiae tuae reſpondere nequaquam poſſim. Neque minus excell. BVRCKHARDO gratiſſimum feciſti, *quod membranis iſtis* pretioſiſſimis *illuſtrandis* de Auguſta bibliotheca non mediocriter volueris mereri. Ipſa eius epiſtola hoc pro me loquetur, qui, ſi mandatis tuis beneuolentiſſimis me poſthac dignatus fueris, omni ſtudio enitar, vt, te eas non omnino negligenti dediſſe, cognoſcas. Ita vale, vir excellentiſſime, ſemper proſperrime. Dab. *Wolffenbütteli d.* XXIIII. *Febr.* cIↄIↄccxxxI.

IO. MAVRICIVS HOFFMANN. *)

Academiae noſtrae meoque nomine tibi gratiae debentur inſi- 73.
gnes, pro ſelectis tuis *obſeruationibus*, quas nouo noſtro *ephemeridum volumini* prepediem prelo ſubiiciendo communicare beneuole voluiſti, quaſque eo quo accepi ordine iam dum diſpoſui, futuro noſtro operi ſplendorem, eruditi orbis applauſum promerituras, celeberrimique nominis tui gloriam noua acceſſione adaucturas. Votum tuum, virorum excellentiſſime, quo de noui anni auſpiciis feliciter coeptis mihi gratulatus es, grata mente agnoſco, ſupremumque numen piis precor precibus, vt te in ſaeculi delicium & ornamentum bonique publici & ſalutis aegrorum emolu-

*) *Quondam philoſophiae & medicinae doctor, diuerſorum* S. R. I. *principum conſiliarius & archiater, vniuerſitatis Altorfinae ſenior, ibidemque facultatis medicae profeſſor publicus primarius, Academiae naturae curioſor. adiunctus.*

molumentum quam diutiſſime annare & perennare faxit. Vale patrone venerande, meque ſolito fauore tuo proſequere: iterum vale. Dabam *Onoldi* d. VII. Ianuar. cIↄIↄccxxvi.

CHRISTIAN. ALB. LVDOV. COMES AB HOHENLOHE ET GLEICHEN.

74 Tua in me voluntas atque humanitas, quam mihi Halae inde quo tibi cognitus ſum, multis modis exhibuiſti, animum meum cupiditate implet, illam mihi abſenti quoque integram ſeruandi, quae cauſſa eſt, cur a me impetrare haud potuerim, quin hiſce literulis meis Muſas tuas interpellem. Vt valetudo caeteraeque res tuae votis meis & nunc & in poſterum ſemper reſpondeant, eſt quod etiam atque etiam opto. Non ſine iucunditate recordor bibliothecae & *theſauri tui numiſmatici*, cuius luſtrandi copiam mihi ſubinde amica mente feciſti, memoriam eius rei mihi iniecit *catalogus bibliothecae Hauſianae* auctionis lege non ita poſt diuendendae, quem pace tua hic tibi tranſmittere volui, forſitan ibi deprehendes, quibus inſignem tuum apparatum numiſmaticum nonnullis acceſſionibus inſtruere ac condecorare queas. Vale & me tui ſtudioſiſſimum porro ama. *Lipſiae d.* XXII. *Oct.* cIↄIↄccxxxiii.

CAR. STEPH. IORDANVS. *)

75 Je me ferai un devoir & un plaiſir, de vous communiquer tout ce, que j'ai de litteraire dans ma bibliotheque. Votre merite m'eſt trop connu, pour ne pas rechercher de pareilles occaſions. Mr. *Uble* a entre les mains la correſpondance adreſſée à Mr. *la Croze*, je ne ſai, ſi entre ces pieces ils ſ'en trouveroient ſur les Caracteres Cuffiques: ſil les a, vous pouvès compter, qu'ils vous ſeront envoyès, charmé d'avoir l'occaſion de vous donner des marques, que je ſuis avec eſtime, & conſideration

MONSIEVR
le 21. Feuv. 1741. *Berlin.*

Votre très-humble et très-obeiſſant ſerviteur.

GEORG.

*) *Quondam potentiſſimo Pruſſiae regi a conſiliis ſanctioribus.*

GEORG. IACOB. KEHR.

Peragratis Austrasiae, Lotharingiae, Alsatiae, Palatinatus, Hunnorum, Hassorum & Wetterauorum tractibus numen benignissimum tandem in amoenissimam Musarum sedem Tilianam septem ab hinc mensibus me perduxit, multosque fautores & patronos beneficiis me excipientes mihi conciliauit. Praenob. CARPZOVIUM, linguae Hebr. profess. publ. ord. & M. WINCKLERUM, diuitis mercatoris filium, litteratura Arabica instruo, bibliothecarum senatoriae Academicaeque catalogos orientales conficio, vetustissimos nummos Saracenicos Bagdadi, Wáseti, Mohammediae in Chaldaea, Ispahani, Balchis & Samarcandae cusos, veterique Arabum charactere Cufico inscriptos explico, multosque iam explicui, scilicet XVII. drachmas Saracenicas annis Hegi. 180, & 190. & 127. cusas, ex museo illustris D. MASCOVII, senatoris Lips. & XXIII. variorum locorum & characterum, aetatumque numos orientales ex bibliotheca Guelpherbytana illustr. consiliarius HASPERGIUS explicandos mihi nuper misit. Ex duorum theologorum, Schleusingensis cl. MEISII, & Honouiensis, cl. MEUSCHENII, bibliothecis mscta Arabica, Persica, atque Turcica mecum habeo, quae recensiturus sum. Ad augendam orientalem supellectilem meam plurimum, vir celeb. conferre poteris, idque vt facias submisse te oro precorque. Si qua in re tibi vicissim inseruire potuero, iubeas, meque promtissimum experieris. Ex bibliotheca Wagenseiliana Auicennam Arabice, quam elegantissimis typis Romae impressum hic in bibliotheca senatoria, tanquam pretiosissimum cimelion, asseruant. Vale & mihi faue. Dabam *Lipsiae* d. VI. Maii cIↄIↄccXXIII. 76.

IO. GOTTFR. LAKEMACHER. *)

Equidem vehementer gauisus sum, vbi ante annos hosce tres nuncius ad me allatus est, euectum te ad illum dignitatis esse gradum, quem virtus & doctrina tua admirabilis dudum promeruerant. 77.

*) *Tunc philoloph. & liberal. art. magister, nunc Helmst. Graecae & oriental. linguar. professor publ. ordin.*

ruerant. Ac impellit me ſane priſtini tui in me amoris recordatio, vt gaudium illud meum teſtatum tibi hac occaſione faciam, honoreſque ſuſceptos ex animo gratuler. Faxit deus, vt prouinciam, quam non ſine magna laude adhuc geſſiſti, nobilem omni cum incolumitate & proſperitate tua ita porro adminiſtrare poſſis, vt artis ſalutaris ſtudioſi fructum inde capiant vberrimum, miſeri multi opem ex tua opera ſentiant exoptatam, ipſe vero gloria fruaris laboribus atque meritis tuis digna. Vnum hoc te rogo, vir experientiſſime, velis illam mihi beneuolentiam, qua dignatus me olim es, nunc etiam ſeruare. Quod quidem ab humanitate tua eo facilius impetraturum me eſſe confido, quo certiori nuper indicio mihi oſtendiſti, nondum te mei cepiſſe obliuionem. Mandaſti enim cl. FABRICIO noſtro, vt verbis tuis mihi ſignificaret, reperiri in bibliothecarum veſtrarum aliqua celeberrimi interpretis, *Beidauii*, opus in Coranum eximium: quod cognouiſſe quam gratum mihi acciderit & iucundum verbis eloqui vix poſſum. Licebitne vero mihi aliquando tam eſſe felici, vt, fide virorum locupletiſſimorum interpoſita, opus ipſum inſpiciendum nanciſcar, quo enotare inde poſſim, quae ad inſtitutum meum quam maxime faciunt? Molior enim, vt forte iam noſti, *editionem Coroni nouam*, quam ſpes eſt inter Batauos lucem aliquando eſſe aſpecturam. Accipe ex reculis meis, quod ad manus nunc eſt: quanquam lectione illud tua non ſatis eſſe dignum facile agnoſco. Vale decus litterati orbis praeclarum, meque tibi habe commendatiſſimum. Dabam *Helmſtadii ad d.* XXVI. *Sept.* cIↄIↄCCXXIII.

IO. BAPIST. MORGAGNVS. *)

78. Ex quo tuum, vir clariſſime, *hiſtoriae anatom. ſpecimen* I. perlegi, ſingularis tua eruditio atque doctrina ad te diligendum me impulere; nunc vero cum & litteras ad me tuas, & *diſſertationes*, in primiſque eam quae *de cauitatibus oſſium capitis* inſcripta eſt, acceperim, humanitas quoque, & beneuolentia permouent ad amandum. Atque

*) *Gymnaſii Patauini primarius anatomes profeſſor & regiae Londinenſis ſocietatis ſodalis.*

Atque vtinam codex quem cupis, vbi apud nos deliteſcat, ego, aut amici diuinare poſſemus; nihil, mihi crede, libentius facerem, quam vt tibi deſcribendum curarem. Sed quoniam ipſe indicas, Romae praeſertim eſſe quaerendum, illic per amicos dabo operam, vt diligentiſſime quaeratur. Si deus noſtris aſpirauerit votis, poſt iuſtum tempus ex altera mea epiſtola cognoſces. Nunc enim cum tuam, mihi hodie redditam, ante hos tres menſes ſcriptam eſſe animaduerterim, nolui differre hoc, quidquid eſt, litterularum ea ſpe vt quo leuiores ſint, eo citius iſtuc mittantur, citiuſque te certiorem faciant, tua & mandata, & epiſtolam, & diſſertationes mihi fuiſſe gratiſſima, meque tibi gratias agere, & habere, & quoad potero, eſſe relaturum. Quod ad ea attinet, quae te in publicum bonum meditari ſignificas; propoſitum tuum vehementer probo. Probo etiam quod de natura, & cauſis membranae in naturalibus iſtius feminae inuentae ſatis appoſite conieciſti. Caetera etiam diligenter adnotata perplacuerunt, & ad memoriam reuocarunt, me quoque nonnunquam ad ea loca vix vnum aut alterum canaliculum videre potuiſſe, qui vero lacunae *Graefii* appellantur, nonnunquam nullos. Caeterum quod de tuis quoque collegis doctiſſimis plures mediocritati huic meae ita faueant, vt tu, vir cel. & deceſſor tuus humaniſſimus fauetis, ipſorum, & veſtrae benignitati acceptum refero. Faxit deus, vt & aliquando is ſim qui iam vobis eſſe videor, & poſſim ſingulis & vniuerſis ita officiis reſpondere, vt egregia voluntate, & ſumma de vobis, & omni Academia veſtra nobiliſſima opinione certe reſpondeo. Ab HEISTERO noſtro praeſtantiſſimo iam diu litterarum nihil habeo. Vale, vir doctiſſime, & me, vt amas, ama. Dab. *Patauii* XII. *kal. Maias* cIↄIↄCCXXIII.

Eo gratiores fuerunt litterae ad me tuae ſuperiori menſe allatae, 79.
quod poſtquam ſub initium anni 1723. benigne ad me ſcripſeras, atque ego tibi Aprili & Septembri eiuſdem anni reſcripſeram, nihil abs te epiſtolarum acceperam, neque an poſt *hiſtoriae anatomicae ſpecimen* I. & duo priora de obſeruationibus anatomicis programmata,

aliquid

aliquid eiuſdemmodi edidiſſes, ſcire poteram. Nunc cum ex litteris humaniſſimis, tum ex gratiſſimo adiecto munere conſultationum, & ſpeciminum commercii litterarii, pro quibus gratias ago, & habeo plurimas, quid agas, libenter intelligo, & quod agis in bonum publicum, etiam atque etiam vehementer probo, atque commendo. Itaque cum eruditis amicis Pataüii, & praeſertim Venetiis (qui locus multis nominibus veſtris conſiliis eſt opportunior) reliqua exemplaria communicaui, in primis autem cum praeſtantiſſimo medico *Petro Anton.* MICHELOTTO, qui ad me heri ſe quam libentiſſime vobiſcum id commercii exculturum, reſcripſit. Cl. viro PONTEDERAE noſtro ſuum quoque faſciculum reddidi: quod cl. TREW ex adiuncta eius epiſtola cognoſcet. Quod reliquum eſt; ſi quid praeterea aut tibi, aut viris doctiſſimis ſociis tuis a me gratum fieri poteſt; promptiſſime ſemper, quantum occupatiſſimo homini licet, praeſtabo. Deum veneror, vt vos omnes, & te in primis, vir excellentiſſime, in publicum litterarum emolumentum quam diutiſſime incolumes ſeruet. Dab. *Patauii pridie nonas Maias* cIↄIↄccxxxi.

GODOFR. GVILIELMVS MÜLLERVS.

80. Tranſmitto hic tibi quam pollicitus *pretii aeſtimationem Morellianam numorum conſularium*, vna cum tredecim, quorum iam mentionem feci, eiuſdem generis numis. Addidi numum ex *Arria familia* alias *rariſſimum*, nec non *Seueri imperatoris* elegantiſſimum nondumque vulgatum, Graecum, aereum, & duos Gothicos diuerſi metalii atque moduli, non ſemper obuios. Schedulae inſcriptus eſt indiculus numorum, quem iam tecum antea communicaui, argenteorum meorum exquiſitiſſimae conſeruationis & elegantiae, appoſitis ſimul illis, quos interea accepi, rarioribus, *Caracall. Barb. Orb. Diadumen. & Maxim.* Vale. Dab. *Francofurti ad Moen.* VIII. Sept. cIↄIↄccxxxx.

INDEX.



INDEX PRIOR AVCTORVM VETERVM.

Eee

RECENTIORVM.

* * *

INDEX POSTERIOR
TYPORVM ET NOMINVM PROPRIORVM.

Doſſe-

I. S. M. R.

Muſſi-

Q.

R. Re-



ERRATA EXSTANTIORA.

Pag. 3	lin. 31	*proemio*, lege *prooemio.*
5	3	*esse; cum*, tolle punctum & lege *esse, cum*
6	13	*impressi*, lege *impresso.*
7	6	*numima*, lege *numisma.*
10	30	SCHMIDTS, lege SCHMIDIVS.
11	16	*paenes*, lege *penes.*
12	29	*archeol.* lege *archaeol.*
15	28	φλώγα, lege φλῶγα.
22	7	*pecuniariae*, lege *pecuariae.*
23	inter lineas 14 & 15 adde MACEDONVM.	
28	5	*momentarum*, lege *monumentorum.*
31	4	*Mitylenaeorum*, lege *Mytilenaeorum.*
31	17	*Pyndarus*, lege *Pindarus.*
39	3	*persona equos agens*, lege *persona, quae equos agit.*
44	8	HAVDVINVS, lege HARDVINVS.
54	20	GESSNERIANVS, lege GESSNERIANOS.
55	10	*minotarum*, lege *minotaurum.*
57	8	*melle annorum*, lege *mille annorum.*
63	29	ΡΟΔΙΟΝ, lege ΡΟΔΙΩΝ.
72	1	AEREEI, lege AEREI.
166	25	SCHMIDTS, lege SCHMIDIVS.
175	31	*Pallium*, lege *Palladium.*
185	31	*torquens*, lege *torques.*
186	9	*torquens*, lege *torques.*
290	16	*Phornutum*, lege *Phurnutum.*

Reliqua B. L. *facile vel feret, vel auferet.*



Bericht an den Buchbinder.

Das Kupfer TAB. I. gehöret zwischen pag. 14. und 15. TAB. II. zu pag. 70. und 71. die übrige drei Kupfer können nach Ordnung der Zahlen zwischen pag. 322. und 323. eingeheftet werden.

